TRACTATVS
DE PRÆCEDENTIA HOMINIS.

Authore

D. IO. BAPTISTA LEONELLIO BARTHOLINO I. C. P.
In Paterno Perusino Gymnasio Iuris Canonici Professore Ordinario.

Opus sanè Iuris vtriusq; professoribus,& in vtroq; foro, atq; in Principum Aula versantibus valde vtile,& maximè necessarium.

Cum tribus Indicibus, Primo Quæstionum, Secundo Articulorum, Tertio verò rerum notabilium.

Ad Illustriss. ac Excellentiss. D. ASCANIVM CORNEVM Castilionis, & Clusij Marchionem, atq; Ciuitatis Acerni Dominum.

Montibus insurgens fœlix adit æthera Cornus,
Sub radice fluens irrigat vnda solum.



PERVSIAE, M D C I.

Apud Petrumiacobum Petrutium.

Ego Fr. Benedictus Ercolanus Inquisitor Perusiæ, & Vmbriæ præsentem librum perlegi, & nihil inueni circa fidem, & bonos mores immo dignum omni laude, & vt in lucem prodeat.

Ego Franciscus Vicinus Canonicus Perusinus, & S. Theol. D. mandato admodum Illustr. & Reuerendiss. D. Episcopi Perusini Tractatum istum de Præcedentia Excellentissimi Doct. D. Io. Baptistæ Bartholini perlustraui atque inoffenso pede percurri; cum in eo nihil contra fidem, vel contra mores inuenerim, immo ad bonum commune satis commodum. Ideo impressione dignum iudicaui.

ILLVSTRISSIMO
AC EXCELLENTISS. DOMINO
ASCANIO CORNEO
CASTILIONIS,

Et Clusij Marchioni, atq; Ciuitatis Acerni Domino, Domino suo obseruandissimo.

Io. Baptista Leonellius Bartholinus I. C. P.

QVONIAM nobilitatis est proprium, ut ei omnes boni semper faueant, cum si vera fuerit in Virtute consistat, & propterea iure nobiles alijs maiores habentur, hinc est, quòd cum tractatum de præcedentia, ut iam scribentium receptus mos est, sub nomine alicuius Excellentissimi Herois promulgare decreuerim; consultó inter omnes (Princeps Excellentissime) te vnum elegerim, cui illum nuncuparem; sicut enim

tibi præcedentia iure optimo ob tuas eximias virtutes debetur; ita etiam liber de præcedentia iure optimo tibi dedicatur. Siquidem clarissima est apud omnes iuris conclusio ei præcedentiam deberi, qui cæteris antecellit ob suas virtutes, vt in eodem tractatu passim scripsimus. Vnde à Patria exordiendo, à qua vnum caput habetur laudandi, vt docet Osorius in suo tract. de Nobilitate Christiana, obseruaui apud antiquos historiarum Authores Ciuitatem Perusiæ, cuius tu, tuiq; maiores omnes alumni estis, esse antiquiorem qualibet alia, non tantùm in Hetruriæ partibus, verùm etiam in tota Italia. Qua de re cum Ciuitas ista antiquitate præcedat, meritò quidem Ciues illius alijs debent nobiliores iudicari. Accedit etiam, quòd populus illius semper vitam duxit moribus Christiana Religione, ac omnium virtutum genere ornatam, vt vnicuiq; perspectum est. Et propterea in ea semper floruerunt viri Excellentissimi in disciplinis bonarum artium, in re militari, & præsertim in pietate Christiana. Si permitteretur recensere penè infinitos præclarissimos viros huius nobilissimæ Patriæ potius deficeret calamus, quàm posset ad finem

finem dicendi perueniri. Non omittam tamen inter tot Heroes illorum mentionem facere, qui de tua Agnatione præstãtissimi extiterunt. Tanta.n.fuit præstantia doctissimi viri Petriphilippi Cornei in cognitione rerum, atq; sciẽtia vtriusq; iuris, vt meritò quidem veritatis, ac iustitiæ doctor præclarissimus iudicetur. Tanta etiam fuit excellentia in disciplina, ac prudentia militari Excellentiss. D. Ascanij Cornei, Aui tui, vt sua ætate nemini fuerit secundus. Qua de re non immeritò Doctores Almi Collegij Perusini omnium consensu consulendo definierunt, vt refert Thob. Noni. cons. 72. præcedentiam ei deberi in ciuitate Neapolitana. Tanta deniq; fuit pietas Religiosissimi Card. Fuluij Cornei, tui Magni Patrui, quã diuersa Religionis monumenta etiã hodie apertè demonstrant, vt pietatis, ac relgionis summus cultor meritò ab omnibus iudicatus fuerit. Qui quidem sicut omnes virtutibus, & meritis præcedebant; ita quoq; tu (Illustriss. Princeps) eorum propago, & alumnus, eò magis præcedere debes, quo non tantum illorum es imitator, verùm eosdem heroicis actionibus superare contendis. Rursus si præcedentia alicui debetur

ob

ob nobilitatem familiæ, vt scribentes vno ore attestantur, & nos in eodem tract. diximus quæst. 8. Quis nam debet illam tibi denegare? Nemo certè, cum familia Cornea originem ducat ab illa nobilissima, ac antiquissima Romanorum gente, quæ Cornelia dicebatur, vt memoriæ traditũ esse legimus à scriptoribus. Vnde sicut illa ob eius benemerita præcedere debebat; ita quoq; hæc tua eo est maior, quia cum clarissima etiam Romanorum familia Columna coniuncta est. Hinc videmus virtutes, & merita tuæ familiæ in ascendentibus, tuisq; filijs diuino quodam munere esse hæreditaria. Quæ quidem gloria augetur, cum teste Abb. in c. 1. de donat. Nobilitas alia dicatur generis, alia virtutum, & alia morum, atq; in te, tuisq; maioribus, ac filijs qualibet earum cumulatè reperiatur. Es nobilissimus genere ob præstãtiam Maiorum (vt diximus.) Es nobilissimus virtutibus, cum in te refulgeant virtutes Militares ad regimẽ exercitus; Ciuiles, ac Politicæ ad gubernium tui fœlicissimi Status. Heroicæ deniq; ad vtrunq;. Es Nobilissimus moribus, cum omnes tuæ in agendo actiones in bello, & pace, ac omni negocio potius diuinæ, quàm humanæ apud

omnes

omnes appareant. Vnde meritò quidem in tua Gentilitatis Insigni;

Montibus insurgens fœlix adit æthera Cornus.

Ad hæc non est silentio prætereundum præcedentiam tibi deberi, etiam ob dignitatẽ à Sum. Pont. tuis Maioribus ob eorũ eximia benemerita concessam, tibiq; iure successionis debitam, in qua te intueor ornatum nobilissima inter omnes virtutes Iustitia in reddendo vnicuiq; quod suum est, atq; in distribuendo præmia, cui debentur, vt iustitia commutatiua, ac distributiua conuenit. Vnde sicut tui Marchionatus, ac Ciuitatis Status est fœlicissimus, cum abundet copia omnium penè rerum ad hominum vitam pertinentium: ita etiã eadẽ fœlicitate gaudet ob tuam maximã in gubernando prudentiã, atq; in administrando ius summã animi integritatem. Quamuis autem hæc ita sint, si tamen aliquis reperiri potest altero virtutum genere tibi fortè similis, nihilominus omnium virtutum cumulo te alijs maiorẽ intueor. Hinc factum est, vt meritò te inter omnes elegerim, cui hasce meas lucubrationes, qualescunq; illæ sint, dedicare statuerim. Scio quidẽ materiam de præcedentia esse grauem, vtilem, atq;

atq; in omni Principum Aula, ac ciuili hominū statu necessariam, & propterea requirere maximam doctrinam, ac ingenium ad illius declarationem. Volui tamen hanc prouinciam suscipere, vt potius vtilitati publicæ, quàm tenuitati propriæ consulerem. Quàm cum perfecerim iuxta vires meas, sub tuo fœlicissimo nomine in apertū profero. Accipe igitur (Princeps Excellentissime) hoc opusculum ea hilari fronte, qua superioribus mensibus accepisti libellum de Subreptione Rescriptorum, ac tanquam duos imbecillitatis meæ partus in memoriam meæ erga Excellentiã Tuam Illustrissimam obseruantiæ penes te conserua; sicut me iam diu tibi deditissimum foues. Licèt autem munus sit exiguum, scio tamen humanitatem tuam talem esse erga me, vt sperem te illud accepturū non secus, ac si à doctissimo viro prodiret. Cum nobilitas legem illam sibi imponat, sicut refert Sum. Pont. in d. c. 1. vt existimet se debere, quod sponte tribuit. Insuper te etiam, atque etiam rogo, vt me amare, sicut hactenus consueuisti non desinas. Vale.

INDEX QVÆSTIONVM
PRAESENTIS TRACTATVS.

INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM EIVSDEM.

QVÆSTIO PRIMA.

De Honore. Art. 21.

QVÆSTIO SECVNDA

De Ordine. Art. 13.

QVÆSTIO TERTIA.

De præcedẽtia in cõmuni. Art. 22.

9 Quo-

QVÆSTIO QVARTA.

De qualitate Præcedentiæ. Art. 9.

QVÆSTIO QVINTA.

De præcedentia hominis secundum eius naturam. Art. 3.

QVÆSTIO SEXTA.

De præcedentia hominis secundum statum eius. Art. 8.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De præcedentia hominis ratione dignitatis. Art. 17.

QVÆSTIO OCTAVA.

de præcedentia ratione Nobilitatis. Art. 14.

QVÆSTIO NONA.

De præcedẽtia hominis ratione Professionis, & Artiũ. Art. 21.

3 Quid

QVÆSTIO X.

De præcedentia hominis ratione ciuilitatis. Art. 10.

QVÆSTIO XI.

De præcedentia ratione potentiæ. Art. 10.

QVÆSTIO XII.

De practica præcedentiæ. Art. 5.

QVÆSTIO XIII. & vltima.

De iudicio præcedentiæ. Art. 12.

FINIS.

INDEX
ET SVMMARIVM RERVM
MAGIS NOTABILIVM
EIVSDEM TRACTATVS.

Mate-

d

Sen-

Indicis Finis.

AD AVTHOREM

ALEXANDRI VINCIOLI PERVSINI.

DVM reſeras verbis quid præcedentia poßit,
Re quoque, & exemplo non minus illud agis.
Ipſe etenim cunctis meritò præcedis in illa
Ordine, & inuentis; ſed pietate magis.
Nam tali ſtudio conaris tollere lites,
Et dare cuiq; ſuum pro ratione locum.
Hoc ita dum præſtas cunctorum iura tueris,
Atq; tibi grates reddere quemq; decet.

TRACTATVS DE PRÆCEDENTIA HOMINIS.

A. I. B. L. B. I. C. P.

QVAESTIO PRIMA.

De Honore. Art. 21.

EXPLICATVRUM vtilem materiam de præcedentia hominũ, prius scire oportet aliquid de honore, cuius cognitio est adeo necessaria, vt sine ea tractatus iste sit multum diminutus ob illam sacrarum literarum authoritatem, Honorem meum nemini dabo, ideò enim vnus homo debet alteri præcedere, quia eidem honorem suum concedere nõ tenetur. Licèt autem doctissimi viri multa docuerint de honore, quantum tamen facit ad propositum institutum infrascripta capita satis erit de eo adnotare, videlicet.

1 Quid nominis, & an detur honor.
2 Quid sit.
3 Quomodo distinguatur a laude, & gloria.
4 Cur detur.
5 Quo iure detur.
6 In quo consistat.
7 Qualis sit.
8 Cui competat, & sit dandus.
9 A quo.
10 An competat secundum magis, & minus.
11 An homo sit illius dominus.
12 Quando sit dandus.
13 Vbi.
14 Quomodo.
15 Quibus signis.
16 Quomodo acquiratur.
17 Quomodo conseruetur.
18 Quomodo amittatur.
19 Quomodo recuperetur.
20 Quid iuris si de eo dubitetur.
21 Qua via cognoscatur.

Quid nominis, & an detur honor. Art. 1.

NE recedamus a doctrina Peripathetica approbata etiam à I. C. l. 1. ff. de dolo, in explicatione honoris, priùs præmittere oportet quid nominis. Per hanc vocem igitur nil aliud intelligimus, nisi quandam testificationem excellentiæ, & virtutis alicuius D.Tho. 2.2.q.103.art.1. Cassan.in suo Catal. Gloriæ Mundi p. 1. in prin. vbi docet etiam multa illius significata. Hoc præmisso dicimus honorem inter homines non dari, quia secundum ius naturæ omnes sunt æquales. Et propterea secundum illud inter eos non datur vnus maior altero, sicut vnus liber, alter seruus.§.1.seu in princ.insti.de iur.perso.l.libertas.ff. de sta. homi. cum simil. Hinc est, quòd quælibet ordinata Respublica in eius regimine non admittit inæqualitatem, vt doctè docet Fräciscus Patrit. in suo tract.de Repub. lib. 1. tit.6. cum ibi adnot. Cæterum omnibus consideratis in contrariū est de iure respondendum,primo ob authoritatem sacrarum literarum, vt supra relatam. Secundo, quoniam omnes doct.in hoc vnanimiter conueniunt. Hinc videm⁹ in practica multas oriri quæstiones de honore. Et propterea in vtroq; iure adsunt diuersæ leges, & canones sub tit. de iniurijs, contra eos,qui alijs iniuriam inferunt.Hinc est etiam, quòd grauiter puniuntur illi, qui componunt famosos libellos,iuxta l. 1. C.de famos libell.Qua de re cum conclusio ista sit adeò ab omnibus recepta, vt nemo sit, qui de ea dubitet,conuenit nunc respondere ad obiecta. Quando igitur in cōtrarium dicebatur homines inter se esse æquales, dicimus vna cū tex. in locis adductis id esse verum respectu seruitutis,quæ cum sit de iure gētium.§.ius autem gentium.d.insti.de iu. natu. sequitur de iur.nat. omnes homines esse liberos,& sic respectu libertatis esse æquales. At non repugnat naturæ, nec rationi eosdem alio respectu esse inæquales. Et propterea docet Arist.lib. 1.Polit. c.4. Quosdam a natura esse aptos ad gubernandum, quosdam verò ad seruiendum. Hinc est etiam quosdam esse aptos ad scientiam, ideò sunt sapientes, quosdam verò secùs, & sic inter eos datur inæqualitas, & successiuè honor. Ad id autem,quòd adducebatur in confirmationem respondetur,quòd æqualitas in Republica ita videtur intelligenda, vt regimen illius, non sit semper penes certos ciues, vt contingit in nonnullis ciuitatibus male ordinatis;sed ita varietur, vt omnes de eo æqualiter participent alternis vicibus. Sicut enim per huiusmodi alternas vices successiuis temporibus vnusquisque ciuis est particeps d. regiminis ob promotionē de eo ad dignitates, & officia illius; ita etiam conseruatur inter eosdem d. æqualitas. Ex quo sequitur, quòd non tantum honor non denegatur etiam in Republica, verum etiam vnicuiq;, prout conuenit, attribuitur, & exhibetur.

Quid ſit honor. Art. 2.

POſtquam vidimus honorem dari, ſuo iure ſequitur, vt videamus quid ſit. Et cum a doctoribus diuerſimodè definiatur, conuenit prius adnotare quid alij nos doceãt. Franc. Piccolhomineus in ſuo tract. de Philoſ.mora.grad.8. c.24. refert plures illius definitiones, quarũ prima eſt, quòd honor ſecundũ Speuſippum nil aliud eſt, niſi bonorum largitio propter virtutis officium, æſtimatio, ac dignitas virtute acquiſita, figura venerationis, & conſeruatio dignitatis. Hæc definitio fortaſſe ob eius obſcuritatem non videtur approbata. Et propterea ad mentẽ Philoſophi aliter deſcribitur, quòd ſit præmium virtutis: alibi verò additur, virtutis, & beneficentiæ præmium, ac indigentiæ auxilium, & lucrum. Rurſus deſcribitur, quòd ſit ſignum opinionis. Licèt autem iſte doctor demonſtret honorem eſſe ſignum virtutis, aſsignat tum de eo propriam definitionem, ita videlicet, quòd honor ſit præmium virtutis tributum a congruente eius iudice viro probo, vt eius virtus refulgeat, cæteriq; eius exemplo ad virtutem inuitentur. Quæ definitio, quamuis placeat ſummopere, conuenit tamẽ adnot.re etiam quid alij doceant. Vnde Caſſan.in d ſuo catalogo Glo Mun parte 1.in prin. ſimiliter plures refert definitiones. Primo enim approbat deſcriptionẽ in prin. præcedentis articuli relatã. Secundo refert alias, quæ coincidũt cum ſupradictis. Siquidem docet, quòd honor propriè eſt reuerentia, & dignitas, quæ quauis ex cauſa exhibetur. Et propterea dicit vlterius, quòd honor dicitur adminiſtratio Magiſtratus. Ex quibus infert ipſum aliquando nominari pulchritudinẽ, aliquando præmium, aliquando donationem, & remunerationem, atq; alijs etiam ſimilibus nominibus eundem vocat. Summiſtæ in verbo, honor, deſcribunt ipſum eſſe teſtimonium Excellentiæ, quæ eſt in homine. Vt modo dicam, quid meo iudicio ſit tenendum, imprimis oportet animaduertere ad quod genus honor ſit referendus, vnde non videtur denotare aliquid abſolutũ, ſed ſolum quid reſpectiuum, & propterea dicit relationẽ ad aliud, quæ tripliciter reperiri poteſt. Primo in eſſendo. Secundo in adminiſtrando. Tertio in ſignificando. Primo modo habet difficultatem, quia virtus, ad quam relationem habet, non dependet ab honore, ſed potius è contra, vt infra dicemus. At ſecundo reſpectu nil aliud demonſtrat, niſi adminiſtrationem Reip iuxta l. honor Municipalis.ff.de muner.& honor. Atq; ſecundum hanc ſignificationem accipitur in toto dicto titu. Tertia denique ratione honor dicitur, & eſt ſignum teſtimonium, & ſignificatio alicuius rei, & propterea videtur reducẽdus, ad genus relationis. Conueniet nunc, vt videamus cuius rei ſit ſignum. Qua de rẽ talis res aut eſt bona, aut mala, honor non poteſt eſſe ſignum alicuius mali, ſiquidem dicunt doct. hominem ratione mali eſſe inhonoratum, & ſic per oppoſitum honor erit ſignum alicuius rei bonæ. Rurſus cum bonitas iſta

alia ſit naturalis, & alia moralis, honor nõ videtur ſignum rei bonæ naturalis, quia ſub hoc reſpectu etiam animalia bruta haberent in ſe honorem, quod nemo videtur admittere. Vnde ſequitur honorem eſſe ſignum alicuius rei bonæ moralis. Iterum hæc bonitas moralis habet latitudinem, & gradus, & propterea homines de ea participant ſecundum magis, & minus, vt omnes admittunt, & experientia docet. Qua de re quæreret aliquis, et meritò quidem, an honor ſit ſignum rei bonæ moralis ſimpliciter, vel potius ſecundum gradum illius latitudinis. Si enim eſſet ſecundum gradum, ex quo ille eſſet eminens, ſequeretur inde ruſticos, & homines plebeos non eſſe honore dignos, quod non videtur eſſe admittendum. Pro cuius obiectionis ſolutione puto adnotandam diſtinctionem de bono naturali, & morali de qua diximus ſupra, & habetur ad mentem Ariſt. lib. 1. Ethi. c. 5. Vnde ſicut a naturali non meremur, neq; demeremur, ſed ſolùm a morali, cum hæc depẽdeat a noſtra voluntate, & propterea ſi homo careat aliquo bono naturali, non propterea dicitur inhonoratus; ſecus verò ſi careret bono morali. Ita etiã honor erit ſignum boni moralis tantùm, quod cum alio nomine dicatur virtus; ideò videtur concludendum eſſe ſignũ virtutis moralis ſimpliciter, & non ſecundum gradum illius tantum. Nec propterea prædicta latitudo, eiuſq; gradus dicuntur ſuperflui, quia ſicut in eadem virtute vnus eſt magis prædictus altero; ita etiam eſt magis honorabilis. Ex quibus omnibus infertur cognitio diffinitionis ipſius honoris, & quod congruenter fuit definitus etiam a Piccolhomineo, vt conſtat ex eius definitione vt ſupra relata. Infertur etiam ſolutio ad diuerſas difficultates ab eodem authore adnotatas. Siquidem fuit aliquando dubitatum an honor ſit conuenienter definitus diuerſimodè a doctoribus, & præcipuè ab Ariſt. cum ſit dictum, ipſum eſſe præmium, ſignum, adminiſtrationem, & per alios ſimiles terminos definitum. Pro ſolutione expediens eſſet declarare quomodo ipſe accipiatur, atq; differat a laude, gloria, reuerentia, fama, & ſimilibus terminis. De quibus quoniam infra ſumus dicturi, ideo in præſenti ſit ſatis hoc tantum dixiſſe, quòd ſicut definitio ſecundum Logicos eſt multiplex, ac diuerſa; ita etiam non eſt inconueniens eandem rem, ſub diuerſo tamen reſpectu, poſſe definiri. Et propterea honor, vt eſt præmium virtutis, poſſet dici definitum ea definitione, qua dicitur ipſum eſſe adminiſtrationem Reip. iuxta d. l. honor municipalis. Secundo ex deductis dubitatum fuit vlterius, an iſta duo poſſent ſimul ſtare, quòd honor ſit præmium, & ſignum virtutis. Ad hoc reſpondetur ad mentem eiuſdẽ authoris in d. ſuo tract. & grad. ca. 27. quòd quando honor dicitur præmium, conſideratur virtus in genere, & quatenus eſt digna honore. Atq; ſimiliter homo benefaciẽs eodem modo honorem meretur. Dicitur autem ſignum, quia per certa ſigna tale præmiũ tribuitur. Tertio ex eiſdem dubitatur, & quæritur An honor

honor sit præmium, & signum virtutis, tam moralis, quam intellectualis, & rationalis. Quam dificultatem examinat idem author in d. tract. & grad. c. 28. Per ea. n. quæ diximus supra vr̃ conuenire virtuti morali tantum, in contrariũ verò facit doctrina Philosophi, primo de anima in princ. vbi legimus quasdam sciẽtias esse honorabiles, & propterea dicũt Philosophi Metaphisicam esse honorabilissimam, cum sit scientia scientiarum præterea repugnat rationi quosdam scientes non esse honore dignos. Pro solutione dicit author prædictus honorem competere vtrique virtuti, & sic morali, & intellectuali, diuersa tamen ratione, ac respectu. Morali. n. propriè per ea, quæ diximus supra intellectuali verò tanquam priori, & eminentiori bono, & propterea sciẽtia metaphisica nominatur nomine prædicto. Si quis autem plura videre cupiat de difficultate ista recurrat ad lo. præd. secundo posset solui hæc difficultas eo etiam habito respectu, quo cognoscimus quamlibet virtutem intellectualem reduci posse ad virtutem moralem, cum naturaliter nemo sit sapiens, & sciens nisi volens. Et propterea sicùt quis volens huiusmodi scientias meretur præmium; ita etiam honor sibi debetur etiam per illas acquisitas, & sic ob diuersam rationem ipsius boni, & sic cõcludere debemus honorẽ esse præmium, & sig ũ virtutis moralis formaliter. Virtualiter verò etiam aliarum scientiarum, & sic simpliciter est præmium, & signum cuiuslibet virtutis ab homine acquisitæ.

Quomodo honor distinguatur à laude, gloria, fama, & similibus. Art. 3.

QVoniam nomina sunt imposita rebus ad placitũ, licèt cũ rõne iuxta doctrinam Platonis in Dialo. De recta nominum ratione; ideò iuxta declarationem huiusmodi terminorum à doct. datã, tenemur præsentem art. interpretari. Vnde idem Piccolhomineus in d. suo tracta. & gra. c. 26. explicando prædictos terminos docet honoris terminum dupliciter accipi primo latè, & sic coincidit cum laude, gloria, fama, encomio, dilectione, reuerentia, & similibus; secundo propriè, & ita a prædictis distinguitur, & separatur. Et cum honor respiciat borũ, vt diximus supra in præcedenti articulo, ideò dicimus vlterius cum eodem authore, quòd si illud fuerit diuinum, honor ei debitus dicitur cultus diuinus. Si vero fuerit humanũ consequenter conuenit homini pro b.., qui sicut est diuersus, ita etiam diuersimodè nominatur. Vnde si talis homo fuerit maior, sibi debetur obseruantia, si æqualis amicitia, si inferior dilectio. Rursus si prædictum bonum referatur ad aliud, aut solam consideremus illius possessionem; & tunc debetur laus. Aut illius actiones, & vsum, & sic cõuenit encomium, quod cum laude est coniunctum. At si idem bonum consideretur partim sui partim verò alterius gratia, & sub tali respectu debetur honor, & laus. De quorũ duorũ ter-

terminorum differentia tractat etiã Arist.lib.1.Ethic.c.12 per totũ, & ibi Comment. Atq; Cassan. in d.sua prima parte, conside.3. Vnde ratione artium laudamur, ratione verò virtutum moralium honoramur.

Gloria refertur ad laudem, à qua in in eo differt, quia magnitudinẽ exposcit, ac in opinione communique hominum voce posita est. Hinc habem', quod virtute præditus ab omnibus æstimatur, & sic nullum externum signum requiritur. At laus, & honor sine aliquo signo stare nequeunt. Fama deniq; summopere cũ gloria coniuncta est. Differt tamen, quia fama respicit defunctos & absentes. Gloria verò etiam viuẽtibus, & præsentibus conuenit. Rursus gloria semper accipitur in bonam partem, secus fama, licèt propriè fama in malam partem accepta potius infamia nominetur. Vbi omnes termini reducuntur ad honorem, & laudem ratione qua respiciunt finem, vel media ad illum. Et sic ad mentem prædicti doctoris intelligimus, ni fallor, terminos propositi articuli. Ex quorum intelligentia inferri potest solutio ad diuersas difficultates, De quibus partim diximus supra, partim quoque infra dicemus, præcipuè verò quando supra fuit dubitatum, An homo per aliquam artem debeat honorari, respondetur quòd propriè laudatur, impropriè autem honoratur. Et sic semper illud remanet verum, quòd videlicet honor sit præmium, & signum virtutis moralis, quando propriè accipitur, vt clariùs demonstrat idem author in d.c.28 Et propterea ista sint satis.

Cur honor detur. Art. 4.

Sicut causa honoris potest diuersimodè considerari, ita quoq; diuersimodè signari. Docet.n.idem Piccolhomineus in d.suo tract.& gradu c.24. quod finis honoris, est honestum, & vtile. Cum honestum sit vnicuique tribuere quod suum est, hinc oritur vtilitas, quod qui honore afficitur flagrantius virtutem diligit, atque cæteri eius exemplo ad virtutes inuitantur, ac excitantur. Vnde dicebat D. Plato in primo de legibus relatus etiam ab eodem authore in eod.tract.& grad.cap.23. quòd honor, & dedecus sunt potio quæ ciues reddit contra hostes audaces, & contra vitia timidos, Ex quo videtur causam honoris esse, reddere hominem promptum ad fugiẽdum mala, & faciendum bona, ad euitanda vitia, & acquirendas virtutes. Vt autem clarius hanc causam intelligamus tria genera personarũ puto animaduertenda, videlicet Persona, cui tribuitur honor, persona a qua tribuitur, & persona extranea. Primo modo inuentus fuit honor, vt homo excitetur ad virtutes acquirendas. Hinc verificatur illud dictũ, Honor, & vtilitas alunt artes. Hoc idem cõfirmatur, ponderando rationem propter quam reijcitur illa antiquorum opinio, quæ tenebat fælicitatem esse positam in honore, de qua per tract. D. Thomas prima 2.q.2 art. Secundo, & Philosophus libro primo Ethic c.5. & ibi Commenta. & clariùs Frãc. Piccolhominus in sua Philos. mora.lib.2.cap.3. siquidem fælicitas

citas non conſiſtit in honore, ex quo honor eſt ordinatus ad aliud, nempe ad virtutem, cum ſit præmium & ſignum illius, inde neceſſariò infertur cauſam honoris eſſe ipſam virtutē, ad quā ordinatur, & propterea hoc puto dicendum ex hoc capite. At ex parte perſonæ honorantis cauſa eiuſdem nil aliud videtur eſſe, niſi vt reddatur honorato, quod ſibi debetur. Ex quo.n.honoratus, vel honorandus præſuponitur dignus honore ob aliquam eius eximiam virtutem, ipſe honorans, dando ſignum illius, dicitur tribuere ei id quod ſibi debetur, & propterea ex hoc capite iſta videtur vera cauſa honoris. Denique ex parte aliarum perſonarum placet adnotare id, quod continetur in ſecunda parte definitionis aſsignatæ honori à Franciſco Piccolhomineo, vt ſupra relato art. 2. cuius verba ſunt iſta, videlicet: Cæterique eius exemplo ad virtutem inuitātur, vnde cauſa honoris ex hoc capite nil aliud videtur eſſe niſi, vt cæteri moti exemplo perſonæ honoratæ ob ſuas virtutes inuitētur ad ſimiles virtutes acquirendas, Ad hoc, vt illis acquiſitis etiam, & ipſi ſimili modo honorentur. Ex quibus omnibus inferri poteſt virtutē ſemper eſſe cauſam honoris, diuerſo tamen reſpectū conſideratam. Et hoc adeò videtur verum, vt diuerſa ſimiliter ratione ſit etiam cauſa finalis, efficiens, ac formalis, vt de ſe patet. &c.

Quo iure detur honor. Art. 5.

ARgumento. l. manumiſsiones ff. de iuſt. & iu. cuius iuris ſunt virtutes, eiuſdem erit honor, cum ſit præmium, & ſignum earum. Et cum virtutes ſint de iure naturali ex quo humana natura nos docet, atque promptos, & aptos facit ad illas acquirēdas iuxta doctrinam D. Thom. 1.2.q.63.art.1. Ideò hoc idem videtur dicendum de honore, qui ſequitur à virtute tanquam à cauſa iuxta id, quod diximus in præcedenti articulo. Hæc diſtinctio, licet meo iudicio ſit ſequenda, vt tamen ſolutio præſentis quæſiti clarior appareat, oportet aliter diſtinguere, ſiquidem honor tripliciter conſiderari poteſt, quoad articulū attinet, primo in ſe, ſecundo reſpectu honorati, tertio reſpectu honorantis. Primo modo, cum ſit quoddam præmiū, & ſignū, vt ſæpe ſæpius diximus conſequenter, vt tale, ratione eius ſubſtantiæ eſt de iure naturæ iuxta doctrinas adductas. Et rō eſt, quia ſicut natura facit homines promptos, & aptos ad virtutes, ita etiam docet, quo ſigno honorari debeant. At ſi idem ſignū conſideretur ratione qualitatis, puto ipſum eſſe aliquando de iure non ſcripto, & propterea videmus conſuetudine inductum homines, honorari detegendo caput, cedendo certum locum in itinere, vel alio ſimile ſigno. Aliquando verò de iure ſcripto iuxta l. 1. C. de honorat. vehic. lib. 11. At ſecundo reſpectu, ex quo honor debetur virtuti, vt diximus, conſequenter debetur vigore præcepti naturalis; & ſic tale debitum eſt iuſtitiæ. Sicut .n. creditori debetur creditum ſuū, vt notorium eſt in iure ita etiam hoc idem eſt dicendum de virtute, & homine virtuoſo.

tuoso. Difficultas tamen in eo remanet, quòd si honor debetur vigore præcepti, à quo debeatur. Et propterea descendendo ad tertiũ caput omnium quæri potest quis teneatur exhibere honorem. Homo enim singularis non videtur obligatus honorare aliquem particularẽ. Cui quæsito in communi puto ita respondendum, quod debeatur a Gubernatore Ciuitatis, & Reipu. & ad hoc facit doctrina Cassan. in d. suo Catal. glo. Mun. par. 1. consideratione .4. per tot. In tali etiam casu videtur locum habere iustitia distributiua, iuxta ea quæ de illa nos docent Philosophi Morales. Hinc est, quod sacri cano. prudẽter ordinauerunt beneficia Ecclesiastica conferenda esse benemeritis, & idoneis. c. de multa, in fi. de preben. cum ibi adnot. c. constitutis de appella. cum simil. Dixi autem in communi, quia ob qualitatem personæ honorandæ, ac etiam ipsiusmet honoris, id est signi, prædicta decisio veniret aliquando limitanda. De qua re quoniam etiam infra sumus dicturi, ideo sit satis ista nunc adnotasse.

In quo consistat honor. Artic. 6.

SOlutio istius articuli aut est desumenda ex parte ipsiusmet honoris, aut ex parte personarum. Primo modo cum honor sit quoddam signũ, vt sæpe diximus, quærunt doct. in quo illud consistat, sicut. n. iniuria fit verbis, & factis. l. 1. ff. de iniurijs: ita quoq; istud signum in eisdem videtur consistere. Rursus sicut prædicta verba, & facta adeo possũt esse diuersa, vt alia regula cognosci nequeant, nisi considerando eorum significatum; ita etiam hoc idẽ videtur dicendum de verbis, & factis honorem significare debentibus. Et propterea dicebamus in præcedenti articulo prædicta signa, quoad eorũ qualitatem attinet, dependere aliqñ a consuetudine, & aliquando a iure scripto. Cæterum hoc non obstante Cassan. in d. suo tract. part. 1. consideratione 10. 11. Cum plur. sequ. per tot. adnotat, & docet diuersos speciales modos, quibus exhibetur honor, & sic in quibus ille cõsistat. Quos quidem si hìc referre vellem esset transcribere id totum, quod ibi legitur. Ad hoc facit etiam doctrina Feli. in rubr. de maioritate. nu. 22. Hæc autem signa cum expediat redu cere ad certa capita, ideo considerari debent vel in ipsamet persona honoranda, & sic erunt talia, vt illa habeat primum locum, exempli gratia in sedendo, in ambulando, in ratiocinãdo, vel in alio simili actu, aut in persona honorante, quæ siue sit publica, siue priuata. Alia regula adnotari nequit, nisi obseruare prædicta verba, & facta. Quæ cũ possint etiam & sint multa, ac diuersa, vt dixi, hinc est, quòd significatum earum, ac intentio honorantis in eis considerari, atq; attendi debent. Quoad personas verò oportet videre quid iuris de illa quæstione, an videlicet honor sit in honorante, vel in honorato, quam examinat Franc. Piccolhomineus in d. suo tract. mor. grad. 8. cap. 31. per tot. In qua doct. inter se non conueniunt: Pro solutione tamen docet iste doctor, quod

honor

honor accipitur quadrupliciter. Primo pro meritis, & sic semper est in honorato, ex quo in eo sunt meri ta, propter quæ exhibetur sibi honor, vt constat ex supra dictis. Secundo pro actione, & sic est in honorante, cum ipse faciat, & producat hanc actionem honorandi. Tertio pro materia. Quarto pro signo, vt signum est. Et sic his duobus modis mediat inter vtrunq;, quia vno respectu reperitur in vno, alio verò in alio. Hinc dicit iste doctor, quòd soluuntur obiecta, imo adde, & opiniones ad inuicem concilientur, argumento c. super literis, de rescript. Si hæc solutio non placet potest assignari alia, vt dicamus honorem considerari dupliciter, videlicet subiectiuè, & obiectiuè. Primo modo reperitur in honorante, quia cum sit quoddam signum, & illud sit in eo, qui ipsum facit, ideò honor reperitur in honorante, tanquam in subiecto. At secundo respectu reperitur in honorato, qui est obiectum honoris, quo honorans mouetur ad honorãdum, Et propterea diuersa ratione est in vtroque. Et sic habetur solutio ad articulũ, licet hìc multa addi possint ad mentem præsertim eiusdem Authoris Cassan. loc. cita quoniam tamen iuxta propositum institutum iste videntur satis, ideò si quis cupiat casus singulares vlterius obseruare, recurrat ad ipsum in loc. adduct.

Qualis sit honor. Art, 7.

Diuersa prædicata tribuuntur à doct. ipsi honori, ex quibus cognoscitur (ni fallor) qualis ipse sit. Hinc est quòd honor dicitur virtutis alimentum. Et propterea supra dictũ fuit illum esse præmiũ. Ad hoc facit text. in prohem. insti. in fi. & Cassan. in d. consideratione 3. Rursus honor excitat homines ad virtutes, vt diximus supra art. 4. Hinc est quòd propter honorem cõtemnitur mors, & propterea videmus quotidie homines spontè se submittere periculo manifestæ mortis, sicuti aliquãdo debét, vt adnotat Abb. cæteris omissis in c. sacris, numero 7. de his quæ vi, met. cau. Causa honoris, vt passim docent doct. & adnotat Francis. Piccolhomin. in d. grad. cap. 23. semper grauis fuit iudicata, & propterea est adeò ossibus hominum infixa, vt nõ solùm exponant se d. periculo, verum etiam dubitatur An desiderium eius sit peccatum, vt videri potest apud Summistas in verb. honor. De quo quidem desiderio hodie videndus est etiam Alex. Piccolhom. in sua Philoso. mor. lib. 6. c. 10 Rursus honor est tantæ efficaciæ, vt cunctis rebus sit præstantior, & præferendus. Bal. in rubr. de vit. & honest. cleri. numero 8. Cassan. omnino viden. in d. prima parte considera. 2. Et propterea quæstio de honore semper, et vbiq; ardua reputata fuit, Vnde eius interesse est maius quouis alio Hinc est, quòd superiori sæculo introductum fuit duellum, cuius abusus fuit nouissimè damnatus etiam à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de reforma. De qua grauitate etiam infra in quæstione de iudicio præcedentiæ est aliquid adnotandum. Hinc est etiam quòd ob honorẽ augetur vtilitas, vt dicit text. in l. si longius,

in fi. ff. de iudi. Nicol. de Mil. in suo reperto. in verb. hono. Hinc est quoque quòd licet donatio inter virum, & vxorem de iure damnetur, honoris tamen causa omnino permittitur l. nuper ff. de donat. inter vi. & vx. Atque edicta certi magistratus in Vrbe Roma dicebantur Ius honorarium, §. Prætorum quoque, institu. de iu. natu. cum ibi adnot. Tantæ enim æstimationis habetur honor apud homines, vt ille qui eum cōtemnit, reputetur crudelis, sicuti nouissime docet Lancellot. Corrad. in suo tractat. temp. om. iudi. in parte de pace in præfatione numero 12. Et propterea concludunt doct. quòd supra dicebamus, contemnendam esse mortem pro illius conseruatione. Licet autem ex his inferri valeat hominem non esse dominum sui honoris & famæ. An tamen hæc opinio sit vera, non hic, sed infra in proprio articulo sumus dicturi. Qua de re cū per hæc habeamus (ni fallor) solutionem ad articulum, non oportet propterea vlterius procedere.

Cui competat, & exibendus sit honor. Art. 8.

QVoniam honor est præmium, & signum virtutis (vt sæpè dixim⁹) sequitur inde illum non competere ei, qui non est aliqua virtute ornatus. Hinc est quòd multi reperiuntur homines, quibus honor propterea non debetur. Confirmatur, quia artifices non videntur honore digni, sicut nec pueri, nec rustici, & aliæ similes personæ. In contrarium facit talis ratio, quod qui moraliter viuit, sicut non caret virtute; ita etiam nec honore carere debet. Quid igitur dicendum? Pro solutione conuenit primo adnotare quid alij nos doceant. Vnde Franciscus Piccolhominus in d. suo tract. & grad. c. 30 quærit primo an pueris conueniat honor, & definit deberi, non tamen ob actiones virtuosè editas, sed ob spem illas edendi. An autem conueniat defunctis, solutio est eis quoque deberi ob eorum honestas, & egregias operationes. Et ad hoc facit, quod legimus in §. filij autem, institu. de excus. tut. vbi deciditur filios pro republica mortuos propter eorum gloriam viuere. Vnde si viuere intelligantur, consequenter eis honor debetur. Cassan. in d. sua prima par. conside. 6. 7. 8. adnotat diuersa genera personarum, quibus debetur honor. Quæ quidem doctrina est omnino notāda quoad particulares casus attinet, sed non videtur methodica. Et cum hæc eadem quæstio examinetur etiā à Theologis, vt videri potest apud D. Tho. 2. 2. q. 103. art. 2. & Summistæ in verb. honor, ideò ad mentem eorum & præcipuè d. Tho. adnotandum est, quod honor debetur Excellentiæ, & successiuè viro Excellenti. Hæc doctrina videtur vera principaliter, ex quo honor debetur secūdum magis, & minus, vt infra suo loco dicemus. Qua de re cum per hæc omnia habeamus quid alij nos doceāt, cōuenit nūc vt breuiter referā quid meo iudicio sit tenendum. Dicimus igitur, quod omnis homo in comparatione ad alium aut est æqualis, aut superior, aut inferior. Primo modo in tantum debetur huiusmodi personæ honor, in

in quantũm debetur bono morali, & ſic non ratione Excellentiæ, ſed ratione bonitatis moralis ſimpliciter cõſideratæ, ſiquidem ſicut quælibet perſona particularis poteſt iniuriari. §. 1. inſtitu. de iniur. l. 1. ff. eod. ita quoq; à contrario ſenſu poteſt honorari, dummodo tamen moraliter viuat. At ſecundo modo ſine contrauerſia tali perſonæ debetur honor, vt præſertim docet D. Tho. lo. cita. cum in tali caſu verificetur id, quod ſupra diximus honorẽ videlicet deberi ob aliquam excellentiam, quæ aliquando eſt propria talis perſonæ, aliquando verò venit aliunde. Primo modo ſolutio videtur clara per ea, quæ ſupra ſunt deducta. At ſecundo reſpectu reuocatur in dubium, quia licèt quis ſit ſuperior rõne officij, ſæpè tñ cõtingit oppoſitũ rõne qualitatis eiuſdẽ perſonæ. Hinc eſt, quod ſuperiores ſunt aliquando viri improbi, ignorantes, & infames. Cui dubio reſpondetur, quòd talis perſona honoratur ſolum ratione qualitatis, & officij, quo dicitur, & eſt ſuperior, & non aliter, vt docet D. Tho in d. quæſtione, & articulo ad ſecundum. Et ad hoc facit lex penult. ff. de iuſti. & iu. vbi legimus non eſſe attendendum quod facit Prætor, ſed quod facere debet. Hinc nota intelligentiam illius propoſitionis de acceptione perſonarũ, quæ omnino datur in honoris exhibitione, vt docet idem D. Tho. in d. 2. 2. q. 63. art. 3. & ad hoc facit c. cõſtitutis, de appella. cum ibi adnot Siquidem ſicut vna perſona eſt magis digna altera; ita quoque honor eidẽ magis debetur. Tertio deniquè modo non videtur omninò clarum an, & quomodo inferioribus perſonis debeatur honor. Docet enim idem D. Tho. in d. q. 103. art. 2. Ad vltimũ quòd Reges honorant aliquando inferiores ob aliquam eorum excellentiam, & ad hoc facit doctrina Caſſan. in d. prima parte conſiderationе 21 omnino viden. Probat tex. ad not. in can. eſto ſubiectus, diſtin. 95. vbi inter alia legimus, Non habeam te in Principem, ſi tu non habeas me in Senatorem. Hoc idem confirmari poſſet ea ratione, quia non repugnat aliquem diuerſo tamen reſpectu eſſe maiorem, & minorem, ſuperiorem, & inferiorem, ſæpè enim videmus aliquem eſſe ſuperiorem ratione alicuius officij, ſeu dignitatis. Eſſe verò inferiorem ratione ſcientiæ, vel alterius qualitatis, & ita per hæc habemus, vt puto ſolutionem non ſolum ad iſtud tertium caput, ſed etiam ad præſentem articulum.

A quo debeatur honor. Art. 9.

ARticulus iſte maximam habet connexionem cum articulo præcedenti, ſiquidem ſicut alicui debetur honor, ita etiam ab aliquo exhiberi conuenit, & propterea cognita perſona, cui debetur, vt diximus: videtur etiam cognita perſona, à qua debeatur. An autem id ſit omnino verum, oportet ſimiliter diſtinguere, & propterea puto animaduertendum, quod honor, aut debetur ab æquali, aut à ſuperiori, aut ab inferiori: Omnes enim homines ad iſtas tres ſpecies reduci poſſunt, quantum tamen facit ad rem propoſitam. Primo modo præmiſſa ſolutione præcedentis articuli, iſtud debitum ſub

hoc respectu videtur esse solum honestatis. Siquidem inter personas æquales non apparet maior ratio, quare vna persona debet magis honorare alteram, quam è cōtra. Sicut enim par in parem non habet imperium, vt dicit tex. in c. innotuit de elect. & ibi glo. in verb. imparem. l. nam magistratus ff. de arbitr. cum ibi adnot. ita etiā persona æqualis, sub hac tamen ratione æqualitatis non videtur obligata alteri personæ æquali. Et propterea neutra earum cogi potest ad dandum ad inuicem sibi honorem. At secundo modo cum superior sit multiplex, satis erit id adnotare, quòd si fuerit superior ratione potestatis, tūc tenetur ad id, aliquando vigore iustitiæ distributiuæ, iuxta canonem, Ius militare, cum ibi adnotatis, distinct. 1. Et ad hoc faciunt ea omnia, quæ nos docet Arist. & eius Commenta. li. 5. Etich. de ista iustitia. Et D. Tho. 2.2. q. 61. articulo 1. Aliquando verò ratione congruentiæ iuxta ea, quæ diximus in præcedenti. Si verò fuerit superior ratione propriæ virtutis, & excellentiæ, vt exemplum dari potest de duobus doctoribus eiusdem professionis, quorum vnus sit excellentior altero, tūc solum ex quadam honestate videtur ad id obligatus, vt in præcedenti quoque articulo adnotauimus. Tertio denique respectu sub d. ratione inferioritatis, videtur aliquis ad id obligatus, siquidem si aliter esset superior, vel suo honore priuaretur, aut ille diminueretur. Vnde ne detur occasio controuersiæ illum restituendi, ideò non videtur recedēdum à tali conclusione. De qua re quoniam etiam infra sumus dicturi, ideò in præsenti satis erit illud addere, quòd videlicet prædicta conclusio habeat locum, non indifferenter, sed in eo casu, in quo talis superior posset suo honore priuari, vel in eo lædi. Et ita per hæc clarius intelligimus connexionem istorū duorum articulorum. Ad hæc omnia addi etiam debet solutio illius quæstionis, quam examinat Franciscus Piccolhominus in d. suo tracta. & grad. cap. 30. An videlicet viri praui valeant honorare viros probos, & honore dignos. Pro solutione adnotat iste doctor quinque genera hominum. Quidam enim sunt probi, quidam continentes, quidam incontinētes, quidam improbi, & quidam neutri. Probi sine dubio honorare valent. Hinc nota optimum esse laudari à laudato viro. Viris autem continentibus, & incontinentibus permittitur honorare honore dignos. At viri improbi omnino reijciūtur. Siquidem cum honorare sit actio moralis, ab eis produci nequit tum ratione eorum improbitatis, tum etiam ratione eorum deprauati iudicij. Hinc nota viros improbos de iure priuatos esse honore, actiuè, & passiuè. Et ad hoc facit tex. in §. oportet autem, & ibi glo. insti. cano. qui elig. poss. iuncto. §. illud quæsitū, eod. Neutri denique ex eo videntur prohibiti aliquem honorare, quia sunt veluti pueri. Cæterum posset hæc difficultas, meo iudicio, alia via solui, siquidem omnis homo, aut est notoriè probus, aut notoriè improbus, & infamis; aut sumus in dubio. Primo, & vltimo modo solutio videtur clara, vt videlicet ab eis possit

quis

quis honorari. De probo per ea quæ supra sunt deducta, De dubio, ob præsumptionem, quæ facit ad eius fa uorem, iuxta tradita nouissimè a Mænoch. in suo tract. de præsumpt. lib. 5. præsump. prima, & secunda. De secundo denique, & sic de viro impro bo ea ratione verificatur conclusio, vt supra præposita, vltra deducta, quia est infamis, & propterea nec etiam potest testimoniũ reddere iuxta tex. in c. testimonium, & ibi doct. de testib. cum vulga.

Honor an competat secundum magis, & minus. Art. 10.

HOnorem recipere magis, & minus non est omninò clarum, siquidem ipsum esse quid indiuisibile, inde apertè cognosci potest, quia cum sit præmium, & signũ virtutis, vt supra sæpè dixim9, sequitur, quòd sicut virtus est quid indiuisibile, cum sit quid spirituale; ita etiam eius præmium, quod est illius testificatio videtur esse eiusdem naturæ iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. Cæterùm in contrarium verius videtur esse de iure respondendum, vt apud omnes obseruare valui. Hinc videmus quosdam magis, quosdam verò minus honorari. Quam conclusionē copiosè declarat Franciscus Piccolhominus in dicto suo tractat. de gradu cap. 29. per totum. Vbi docet gradus honoris esse desumẽdos, aliquando ex parte meritorum, aliquando ex parte conditionis eorum quibus tribuitur, & aliquando ex parte materiæ, & signi. Clarius hoc idẽ demostrari potest ponderando virtutes, propter quas honor tribui debet, siquidem sicut virtutes respectu participatiũ admittũt magis, & minus, vt docet D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. ita etiã hoc idem videtur dicendum de honore, & propterea in eodem genere virtutum vni debetur maior, alteri verò minor. Ampliatur hoc, quòd sicut vna virtus est maior altera, vt infra suis locis dicemus; ita etiam hoc idẽ est tenendum de honore. Hinc est, quòd maior honor tribuitur iurisconsulto quam alteri artifici, id enim aliunde non oritur nisi ab excellentia professionis. Hinc etiam nota, quòd argumẽtum supra in contrarium adductum, non dicitur obstare, siquidẽ docet D. Tho. in d. art. primo, aliud esse considerare virtutem in se, & aliud ratione participationis. Primo modo est quid indiuisibile, secus secũdo respectu, & propterea legimus in iure artes per exercitium recipere incrementum, l. inter artifices. ff. de solut. cum ibi adnot. An autem d. latitudo, & gradus desumantur, & cognoscantur ex eisdem capit. non videtur vndique clarum. Posset tamen addi id cognosci ex parte causæ, & ex parte personarum tam quibus, tã etiam à quibus honor debetur. Item ex parte signi, & modi. Sub primo respectu cum causa ista sint virtutes, vt diximus, atque ipsæ differant ratione obiecti, & alijs modis, vt infra suis locis dicemus, apertè inde infertur, & cognoscitur, quòd sicut exempli gratia sacra Theologia est dignior Philosophia; ita etiam maiorem postulat honorem. At secundo modo nemo est, qui dubitet, siquidẽ sicut vnus homo est magis virtuosus, seu

seu doctus altero;ita etiam maior sibi debetur honor. Tertio denique respectu signi, & modi honorandi, qui cū sint multi, & diuersi, vt docet Cassan. in d.sua prima parte Catha. Glo.Mun.consid. 10.cum plur. seq.sequitur inde,quòd sicut signum vnum videtur maius altero, ita quoque honor videtur tribuendus eodē modo, id est secundum magis, & minus.

An homo sit dominus sui honoris. Art. 11.

Hæc quæstio est admodum vtilis in theorica, & in practica. Est etiam in controuersia apud doct. siquidem eam examinat Sotus lib. 4. de iust.& iur.q. 2.art. 3. Et in lib. de tegen.& detegen.secr.q. 3.vt autem aliquid per opposita adnotemus,pro parte affirmatiua facit primo authoritas sacræ paginæ supra etiam relata, quæ dicit Honorē meum nemini dabo. At quoniam verbum dare præsuponit dominium.§. sic itaq; discretis actionibus,insti.de actio. ergo homo dicitur illius dominus. Secundo,cum sint tria genera bonorum, videlicet,fortunæ,corporis, & animi. Honor vr̃ cōnumerādus inter bona fortunæ, vnde sicut illa sunt in potestate nostra tit. institu.de rer.diuis.in princ.cum vulg.ita etiam hoc idem videtur dicendum de honore.Tertio contrariorum eadem est cognitio, & disciplina §. primo. Institut. de his qui sunt sui, vel alie.iur. l. 1.ff. eod. cum simil. At quoniam acquirere honorem est in potestate nostra, vt infra suo loco dicemus,ergo illum amittere videtur esse eiusdem iuris. & successiuè idem,quod supra videtur de iure dicendum. Hæc oīa confirmantur vera,quia si aliter esset sequeretur aliquem, aliquando se ipsum iniuriare, & successiuè posse puniri, & teneri ad restitutionem. At quoniam actiones confunduntur,qñ quis est creditor, & debitor sui ipsi°. l. Vranius.& ibi Bart.& alij.ff. de fideiuss.ergò non videtur esse recedendum a d.conclusione. In contrarium facit imprimis alia sacrarum literarū authoritas, relata ab eodem docto. Soto, qua cauetur, quòd vnusquisq; curam habeat de bono nomine. Vnde si tenetur ad huiusmodi curam, sequitur, quòd non sit honoris dominus. Secundo hoc idem probatur argumen. illius tituli.ff. de bon. eorum, qui mor. sibi consci. & ibi præcipuè lex. 3. sicut enim quis non potest mortem sibi dare, vt ibi expressè cauetur, ex quo de iure nemo est dominus membrorum suorum.l. liber homo.ff.ad leg. Aquil.Ita etiam non potest quis proprio honore se ipsum priuare. Argumentum ex eo videtur concludere, quo supra demonstrauimus honorem esse tantæ virtutis, vt pro eo homo se exponat periculo mortis, & propterea propriæ vitæ videtur præferendus. Tertio conuenit, & summopere Reip. expedit habere homines honestos, atq; honestæ famæ, arg.l. congruit. ff.de off.præsid. & prohem. decret. Hinc est, quod si quis aliquem iniuriauerit, cōtra talem iniuriantem potest agi ciuiliter, & criminaliter. §. in summa sciendum est,instit. de iniur. cum vulg. & cum non sit differentia

entia, quoad Remp. attinet iniuria-
e aliquem, vel se ipsum, ideò idem
uod supra videtur de iure dicendū.
Pro solutione est animaduertendum,
uòd doct. vt supra dicebam, in hoc
on conueniunt. Siquidem Caieta.
n 2.2.q.73.art.3. tenet hominē pec
are mortaliter diffamādo se ipsum.
Oppositum opinatus fuit Sotus in
ocis supra citatis. Vnde potest ad-
otare, an opiniones valeant ad inui-
em conciliari, vel vna sit verior al-
tera. Qua de re dicimus honorem
ccipi posse, aliquando pro meritis
psius honorati, seu honorandi. Ali-
uando pro actione honorantis, &
liquando pro materia, & signo, quo
uis honoratur. De qua distinctio-
e etiam supra diximus. Hoc præ-
nisso si honor accipiatur primo mo
o dicerem ego adhuc esse distinguē
um. Siquidem prædicta merita pos
unt alicui competere, aut ratione
icuius excellentiæ, & sic placeret
ominem esse dominum sui honoris,
um sit in potestate eius sibi acqui-
re, vel non acquirere huiusmodi
xcellentiam. Aut ratione bonitatis
mpliciter acceptæ, ita videlicet, si
uis vellet se ipsum diffamare dicen-
o, & confitendo se esse virum im-
robum. Et in tali casu, aut id con-
deratur coram Deo, & sic iudicarē
pinionem Soti esse magis verā ob
lam vulgarem iuris conclusionem,
iarum mentium esse ibi culpā agno
cere, vbi culpa non est. c. fin. in fin.
ist. 5. Hinc est, quòd sub hoc re-
pectu licitum est detegere propriā
urpitudinem. glo. super c. inter dile-
tos, in verb. turpitudinem de donat.
ut id consideratur respectu Reip.
Et sic iudicarem opinionem Caieta-
ni esse omnino sequendam, ex quo
in tali casu offenderetur Resp. cuius
interest ciues esse vitæ laudabilis, iux
ta d.l. congruit, ff. de off. præsid. At
secundo modo, quatenus videlicet
honor accipiatur pro actione hono-
rantis, solutio est desumenda ex
ijs, quæ diximus supra in art 9. Ali-
quando enim est in potestate hono-
rantis honorare eum, qui est dignus
honore. Aliquando verò ipse hono-
rans est de iure obligatus honorandū
honorare. Sub tertio deniq; respe-
ctu sicut signa ista honorandi sunt
multa, & diuersa, vt supra adnotaui-
mus, & de eis copiosè docet, vt di-
ximus, Cassan. in d. suo tract. Catal.
Glor. Mun. par. 1. per plures conside
rationes; ita etiam conclusio resolu-
tiua nō potest esse vnica, regulariter
tamen puto sub hoc respectu sequen
dam esse opinionem Soti, & ratio
est, quia licèt quis in certo casu te-
neatur omnino honorē alicui dare,
non tamen videtur obligatus ad tale,
vel tale signum. Dixi autem regula-
riter, quia posset dari casus, vt etiā
singulare signum comprehendatur in
tali obligatione. Hæc solutio, si non
placet, posset assignari alia, ita vide-
licet; Si homo non esset dominus
sui honoris, melior ratio assignari
nequit, nisi quia de eo disponendo
aliquem læderet. At tali læsione ces-
sante homo remaneret illius domi-
nus, & illa admissa, non est dominus.
Ille autem, qui ex ista dispensatione
lædi, vel respectiuè non lædi potest;
aut est persona ficta, nempe patria,
ciuitas, & resp. Et sub hoc respectu
placet opinio Caietan. per ea, quæ
supra

supra sunt deducta. Aut talis persona esset vera, quæ siue publica, siue sit priuata, aut vlterius inde posset lædi, & tunc adhuc iudicarem opinionem Caiet. esse sequendam. Sicut enim non potest quis renunciare iuri suo in damnum alterius iuxta adnotata in c. si diligenti, de foro compet. & in l. pen. C. de pact. Ita etiam in tali casu non posset quis se ipsum diffamare. Aut talis persona inde non læderetur, & tunc placet opinio Soti. Et ita huiusmodi opiniones possunt ad inuicem conciliari. Et cum per prædictas distinctiones intelligamus, et quomodo ad obiecta supra ad vtrãque partem adducta responderi valeat, ideò non videtur necessarium speciali responsione illa declarare, & successiuè non oportet pro solutione istius articuli aliud adnotare.

Quando honor debeatur. Artic. 12.

QVoniam honor debetur alicui aliquando vigore præcepti, & aliquando libera voluntate honorantis, atq; præcepta affirmatiua obligãt vtriq; semper, sed non ad semper, vt nos docent doct. ideò inde infertur, quòd non quolibet tempore, sed certo, & determinato honor debeatur. Confirmatur, quia cum honor dicat quid relatiuum, vt diximus supra art. 2. ideò non semper hæc relatiua simul reperiuntur, sed solùm in certo, & determinato tempore. Pro solutione puto animaduertendũ articulum istum intelligi posse dupliciter. Primo ratione potentiæ: secundo ratione actus. Primo modo semper debetur, tam ratione personæ cui; quam etiam ratione personæ a qua. At secundo respectu tunc debetur honor, quando videlicet persona cui, & à qua, in simul concurrant. Sicut enim in naturalibus quando agens, & patiens simul concurrunt, & non adest aliquod impedimentum necessariò sequitur actio, vt Philosophi nos docent. Ita etiam quando honorans, & honorandus simul reperiuntur, sequitur honorem exhiberi, aliquando ratione iustitiæ, & eius necessitatis; aliquando verò ratione honestatis, & congruentiæ, iuxta ea, quæ diximus supra. Quando autem honorans, & honorandus simul concurrant, & reperiantur, seu concurrere debeant, certa regula cognosci nequit, cum contingat aliquãdo eorundem deliberata volũtate, aliquando verò mandato superiorum, vt sæpè contingit in Collegiatis alicuius Collegij. Aliquando denique fortuna. Et cum per hæc habeamus solutionem (ni fallor) ad articulum, ideò non oportet vlteri⁹ procedere.

Vbi honor debeatur. Art. 13.

CVm teneat argumentum à tempore ad locum, & è contra, vt docet Euerar. in sua cent. de loc. arg. in proprio loco. Ideò per ea, quæ supra diximus de honore quoad tempus, venit etiam soluendus articulus iste quoad locum. Hinc cognoscimus, quòd in collegijs, seu conuocatione hominum, quando videlicet in certo loco coadunantur ad aliquid peragendum, vnicuique dari debet propria sedes secũdum ordinem ta-

lis col-

lis collegij, & propterea aliquando in proferendo propriam sentẽtiam, præferuntur seniores, aliquando secus, iuxta tradita ab Afflicto in sua prima decisione ferè in fine, & ibi Vrsill. Quæ quidem sedes competit alicui aliquando de iure communi, aliquando de iure municipali seu huiusmodi collegij, aliquando denique vigore consuetudinis. Et cum in hoc consideretur cuiuslibet personæ præcedentia, atq; de ea infra suis locis sumus dicturi, ideò in præsenti non oportet aliud animaduertere. Satis est enim pro nunc, & quoad honorem attinet, quòd quando plures in vnum conueniunt in aliquo loco, siue stando, siue sedendo, siue deambulando, sicut vnicuiq; assignari debet sedes, siue locus sibi debitus; ita etiam honor eidem exhibetur. Et cum in huiusmodi locis plures mansiones reperiantur, ideò quæreret aliquis, quæ nam ex illis sit nobilior. De qua quidem quæstione, quoniam similiter infra sumus dicturi, ideò sit satis in præsenti hoc adnotasse, quòd sicut in quolibet genere datur vnũ, quod dicitur metrum, & mensura omnium eorum, quæ sub illo genere existunt, vt docet Zimara in suis Theorem. Theorem. 13 per tot. Ita etiam in huiusmodi locis, & Collegijs debet dari certa mansio, quæ sit metrum, & mensuram aliarum. Quæ autem sit ista, aut dependet a voluntate huiusmodi personarũ, exempli gratia collegiatarum. Aut est recurrendum ad ea præsertim, quæ nos docet Cassan. in d. suo trac. Catha. Glo. Mund p. 1. cõsid. 16. cum ibi adduct. vnde, vt concludamus in tali loco debetur honor iuxta ea, quæ supra adnotauimus, & in quo concurrũt, atq; in vnum conueniunt honorantes, & honorandi. Regulariter autẽ sicut tempus, in quo honor debetur, certa regula cognosci minimè valet, nisi eo modo, quo diximus supra. Ita etiam hoc idem puto dicendum de loco, in quo honor debet.

Quomodo honor debeatur. Art. 14.

Experientia docti videmus honorem non tãtum deberi, sed etiã sub certo modo, & forma exhiberi. Hinc est, quòd quando quis honorat aliquem detecto capite non contentus tali simplici signo, sæpè id facit etiam sub aliqua forma in signum maioris honoris, reuerentiæ, atque illius excellentiæ. Detegere enim caput est signum prædictæ reuerentiæ, & honoris, vt docet Franciscus Piccolhominus in d. suo tract. & grad. cap. 30. Tale autem signum exhibere potiùs sub vna quam sub altera forma denotat maiorem honorem, atq; reuerentiam, hinc est, quòd quando plures exempli gratia doctores, vel consiliarij ad aliquid definiendum, vel consulendum in vnum in simul conueniunt, non solum vnicuique est assignanda sedes sibi debita iuxta ea, quæ diximus in præcedẽti articulo, verũ etiã illa assignatur aliquando simpliciter, & aliquando sub certa forma, vnde vtilitas solutionis istius articuli illa videtur esse, quòd ex illius cognitione cognoscatur maior gradus honoris. Qui cum diuersimodè accipiatur, vt supra sæpè diximus, in præsenti etiam est adnotandum sub quo significatu cõsiderari,

& accipi debeat, Vnde disputatione omissa puto dicendum illum accipi, & considerari ratione materiæ, & signi, & propterea in proposita quæstione potest considerari tripliciter. Primo materialiter & sic nemini datur honor. Secundo ratione intentionis ipsius honorantis, & sic tale signum potest exhiberi in contemptum, vel in honorem secundũ qualitatem huiusmodi intentionis. Cæterum dato, quòd illud exhibeatur intentione honorandi, tunc talis honor simpliciter exhibetur. Tertio denique respectu si consideretur ratione alicuius solemnitatis, tũc tota difficultas istius articuli reducitur ad cognitionem huiusmodi solemnitatis, quæ meo iudicio aliunde desumi, atque cognosci nequit, nisi aut à cõsuetudine, quæ in materia honoris maximam habet vim, vt infra clarius suo loco dicemus, & de qua est adnotandus tex. in c. cum olim, de con suet. & ibi doct. atque Bulla in ordine 86. extrauag. Greg. XIII. aut ab aliqua constitutione vniuersali, vel particulari, aut incertis casibus à libera honorãtis voluntate. Forma enim & modus aliquid faciendi, quæ alio nomine solemnitas nominatur, dupliciter accipitur, videlicet pro intrinseca, & extrinseca, doct. & præcipuè Bart. in l. sciendum. ff. de verb. oblig. Intrinseca habetur à natura rei, extrinseca verò ab altero capite de prædictis. Et ratio est, quia dicunt Philosophi, quod natura operatur intrinsecè, Ars verò extrinsece. Et cũ in vniuersali non possit certa regula propterea dari ad id cognoscendum, ideò sit satis illa adnotasse pro solutione istius articuli.

Quibus signis honor debeatur.
Art. 15.

ARticulus iste videtur implicare contradictionem, siquidem si honor est signum, vt supra vidimus consequenter honor debetur honore. Cæterum puto animaduertendum signum istud dupliciter posse considerari, primo materialiter, & sic accipitur in articulo proposito; secundo formaliter, id est quatenus dicitur coniunctum cum intentione honorantis, & sic accipitur in obiectione. Hoc præmisso non videtur conueniens circa articulum propositum aliquid adnotare, cum de huius modi signis in communi supra in alijs articulis nonnulla obseruauimus. In particulari verò multa nos docet doctè, & distinctè idem Cassan. in d. suo tract. Cathal. glo. mun. p. 1. per plur. consider. Pro solutione satis esse iudico illud obseruare, An videlicet prædicta signa reduci valeant ad aliquam regulam, & methodum. Primo enim potest hic repeti, quòd supra etiam diximus, siquidem sicut iniuria fit verbis, & factis §. 1. instit. de iniur. l. 1. ff. eod. Ita quoque per oppositum honor eisdem modis alicui exhibetur. Si id non placeat, dicimus viterius, quòd homo, cũ habeat tria genera bonorum, nempe animi, corporis, & fortunæ, ideò ex eis posset desumi regula, & methodus prædicta. Ex bonis enim animi non videt possibile desumi posse aliquod signum, sed solum intentionem honorantis. Quæ sicut potest esse di-

uersa,

uersa, ita etiam honor aliquando exhibetur, & aliquando detrahitur, quodcũque illud signum esset. Hinc puto inferendum honorem duplicẽ esse, videlicet materialem, & formalem, sicut contingit de virtutibus, cũ homo aliquando producat actum virtuosum, materialiter tantum, aliquando verò etiam moraliter, vt suo loco diximus. Ex bonis autem corporis diuersa desumi possent signa ad finẽ & effectum pdictũ. Siquidẽ bona corporis primo cõsiderari valeant ratione victus. & propterea, sicut qui su t digni maiori honore, dicuntur etiam digni melioribus cibis: vt quotidie videmus in conuiuijs. Pro quorum cognitione recurrendũ esset ad Platonem in suo conuiuio, & hodie ad Reuerendissimum D. F. Thadeum Perusinum in suo doctissimo opusculo de conuiuijs, insertũ inter doctissima Commentaria ad Isaiam Prophetam. Secundo ratione vestimentorum, vnde sicut maiori honore digni maiori signo honorantur; ita etiam nobilioribus vestibus sunt induendi. Hinc est, quòd doctores induunt togam. De vestibus autem, earumque qualitate est adnotãdus tex. in c. Clerici, de vit. & honesta. & nouissimè Menoc. lib. 2. de arbitr. iudi. ca. 391. Tertio considerantur prædicta bona ratione loquelæ, & sermonis siquidem viri honore digni ab alijs verbis, & litteris honorantur. Hinc nota maximam controuersiam esse apud Doct. An in Collegijs, & vniuersitatibus vbi sapientes, vel etiam alij plures in vnũ conueniunt ad consulendum, vel aliquid definiendum, prius loqui debeant seniores, vel iuniores. De qua controuersia videndus est Afflict. in sua prima decis. in fi. & ibi Vrsill. vt supra in alio quoque articulo relatũ: sed quicquid sit de iure semper hoc facit, & est verum seniores esse honorandos à iunioribus, licèt hodie quidam iuniores ob eorum arrogantiam cum nil aliud habeant, prætendant prima loca, atque sedes in qualibet occasione. Quarto considerantur ratione actus deambulandi, & eundi, cum deambulatio fiat ad finẽ diuersum, vt exempli gratia ad aliquem visitandum. Aliquando ad seruiendum alicui, atque ob alias similes causas. Vnde sicut in quolibet casu potest quis honorari; ita etiam secundum qualitatem illius debet esse honoris signum. Quinto considerantur ratione status, & propterea quando plures reperiuntur in aliquo loco, vt cõtingit in vniuersitatibus, atque sint diuersorum statuũ, iuri, ac rationi congruum esse videtur primas sedes illis respectiuè deberi qui sunt altioris status, cum videantur propterea digni maiori honore. Denique si prædicta signa venirent desumẽda à bonis fortunæ a simili procedendo, idem quod supra videtur obseruandum Hinc est, quòd dignitates, & Reip. administrationes concedi debent dignioribus iux text cũ ibi ad oratis in prohem insti. in fi. Atque hac de causa beneficia Ecclesiastica non sunt indifferenter vnicuique conferẽda, sed magis dignis, & idoneis c. constitutis. de appell. Cõcil. Trid sess. 24 c. 18 de refor. D. Tho. in quolib. 8. q. 4. art. 1. seu 6. & in 2. 2. q. 185. art. 3. & ibi Caiet. at-

que cum pluralitas beneficiorum de iure vnicuique damnetur, permittitur tamen ratione scientiæ, & nobilitatis, & sic maioris honoris cap. de multa, & ibi doct. de preben. Et cum per hæc omnia habeamus (ni fallor) ex quo cap. prædicta signa desumi, atque qua methodo cognosci valeant, successiuè intelligimus id ferè totum, quod erat adnotandum pro solutione istius articuli.

Quomodo acquiratur honor. Art. 16.

AD intelligentiam istius articuli debemus præmittere, quòd cũ honor sit signum virtutis, vt supra sæpè diximus, consequenter per acquisitionem virtutũ, acquiritur etiã honor, argumento capituli translato, de constit. cum ibi adno. hinc cognoscitur, modum acquirendi honorem esse eundem cum modo acquirendi virtutem. Vnde sicut virtutes sunt multæ, ac diuersæ, vt infra suo loco dicemus; ita etiam modus eas acquirendi videtur diuersus. Qua de re op⁹ fortasse esset adnotare methodos scientiarum. Id autem longo discursu declarare non videtur esse præsentis contemplationis, & propterea sit satis hoc animaduertere, quòd virtutes quædam acquiruntur studio certa methodo regulato. Hinc est, quòd diuersi doct. diuersam docuerunt methodum studendi, placet tamen adnotare libellum illum aureum de differ. doctrin. Hieronymi Caputuaccæ, quædam verò acquiruntur continuis operationibus, vt sunt virtutes morales. Ex quo enim quis virtuosè viuit, sine dubio virtutem moralem, & successiuè honorem sibi acquiret. Hinc est, quod tam viri in aliqua scientia eruditi, quàm etiam virtuosè viuentes sunt honore digni. De quibus quidem modis virtutes acquirendi, quoniam diximus in tract. de præmissis ad vniuersam iuris scientiam; ideò vlterius nunc procedendo dicimus, quòd modus acquirendi honorem potest considerari, dupliciter, primo respectu causæ, propter quã alicui est exibendus secundo respectu propriæ eius naturæ. Primo modo puto dicendum idem, quod supra siquidem sicut honor est signum excellentiæ acquisitæ ob aliquam virtutem, ita etiam acquiritur per acquisitionem huiusmodi virtutis. At secũdo respectu posset reuocari in dubium An honor acquiri valeat, cum ratione signi videatur esse in voluntate honorantis Cæterum disputatione omissa cum distinctione oportet respondere, siquidẽ sicut honor vno respectu est in honorante, alio verò in honorato. Ita quoque vno respectu potest acquiri, altero verò secus. Rursus, sicut honor, debetẽ alicui, aliquãdo ratione præcepti, & sic de iure, aliquando verò ratione congruentiæ, vt clarè constat per ea, quæ diximus supra in alijs articulis, ita quoq; vno respectu acquiritur ad similitudinem possessionis acquirendæ, secus verò alio. Hinc nota, quòd de honore potest aliquãdo oriri lis, & controuersia non tantum in retinendo, seu recuperando illum, sed etiam in acquirendo, vt infra suo loco clarius dicemus. Hæc omnia sunt adnota-

ta de

ta de honore ratione, qua est signũ, vt diximus. Et cum vlterius possit considerari ratione, qua est administratio municipalis Reip. iuxta l. honor municipalis. ff. de muner. & honor. Ideò quæreret aliquis quomodo honor acquiri valeat sub hoc respectu. Cui quæsito respondetur illum acquiri, aliquando iuxta dictum Imperatoris in fine prohem. institu. aliquando verò gratia, vel priuilegio Principis, argumento cap. statutum. §. assessorem, de rescript. in 6. Et cũ conferre officia, & dignitates pro administratione Reipublicæ pertineat ad ipsum Principem, ideò sit satis id adnotasse iuxta propositũ institutum.

Quomodo honor conseruetur, Art. 17.

Frustra honor esset acquisitus, nisi postea conseruetur. Hinc est, quod ob illius conseruationem homines exponunt se periculo vitæ, vt diximus supra in proprio articulo, & propterea meritò quidem debet hic adnotari modus, quo ille conseruari valeat, vnde omnibus consideratis, atq; disputatione omissa, dicimus, quòd honor primo & principaliter conseruatur per cõtinuos actus virtuosos, sicut enim quælibet virtus acquiritur per plures actus, vt docet Philosophus lib. 2. post. cap. vltimo: ita quoq; per eosdem reiteratos cõseruatur, atque vndiq; homo perficitur. Siquidem conseruata virtute tanquam causa honoris dicitur etiã ille conseruatus. Secundo conseruatur honor ad imitationem rerum, quæ in potestate nostra esse possunt: sicut enim vnusquisq; studet manuteneri in sua possessione; & propterea sæpè datur recursus ad Iudicem per illa iuris remedia, quæ de retinenda possessione legimus in iure statuta: & hodie doctè explicata a Menoch. in suo tracta. de retinen. possess. Ita etiam hoc idem affirmari potest de honore, vt infra clarius in propria quæstione dicemus. Tertio accedit ad hæc, quòd honor consideratur dupliciter. Primo ex parte honorati. Secundo ex parte honorantis. Primo modo cum honor sit signum alicuius virtutis, seu excellentiæ (vt supra sæpè diximus) sequitur inde, quòd tunc ille cõseruatur, quando videlicet conseruatur talis virtus, seu excellentia, quæ cum alia via conseruari nequeat, nisi per reiterationẽ prædictorum actuum, vt diximus, consequenter eodẽ modo conseruatur honor. Confirmatur, quia si per huiusmodi actus honor augetur, per illam iuris regulam Artem recipere augmentũ per continuum exercitium l. inter artifices, cum ibi adnot. ff. de solutio. multò magis conseruatur authen. multò magis. C. de sacros. Eccles. At secundo respectu oportet distinguere, siquidem ille qui tenetur honorem exhibere, aut ad id est obligatus de necessitate iuris, & tunc loco, & tempore debito illum exhibere debet, vt exempli gratia occurrit inter Collegiatos alicuius Collegij, siquidem si illum non exhiberet, spoliaret, quod esset contra iustitiæ debitum, & successiuè non admittendum. Aut id facit ratione cuiusdam cõgruentiæ, & ho-

& honestatis, & tunc cum cogi nequeat, successiuè ex hoc capite non potest dari certa regula ad illius conseruationem.

Quomodo honor amittatur.
Artic. 18.

EST vulgaris conclusio in iure cōtrariorum esse eandem disciplinam. l. 1. ff. de his, qui sunt sui, vel alie. iur. §. 1. insti. cano. de iur. perso. cum simil. Ex qua sequitur, quòd sicut honor ex parte excellentiæ, cuius est signum, acquiritur per operationes virtuosas, vt supra sæpè diximus, ita etiam per operationes oppositas, & sic vitiosas amittitur. Quemadmodum enim virtus, & vitium opponuntur; ita quoq; honor, & vituperium. Rursus amittitur honor respectu possessionis, vel quasi, siquidē sicut quis dicitur esse in possessione, vel quasi sui honoris, vt dicebamus in præcedenti articulo; ita etiam pōt illa priuari, hinc est, quod in materia quoque honoris, possunt considerari tria genera interdictorū circa eius possessionem, vel quasi, videlicet acquirendæ, retinendæ, & recuperādæ, de quibus infra in propria quæstione dicemus. Cæterum occurrit hic notabilis difficultas, præsupposito enim, quòd quis possit honorem amittere, sicuti aliquando amittit dubitatur modo, an illū amittat facto proprio committendo, videlicet aliquod delictum, quod sit accusatione, & condemnatione dignum, seu facto alieno, vt contingit in eo, qui iniuriatur verbo, vel facto alicuius viri improbi, Hanc difficultatem examinat, & declarat Franc. Piccolhominus in d. suo tract. mora. grad. 8 cap. 32. 33. vbi legimus aliud esse honorem amitti, & aliud illum lædi, siquidem facto proprio amittitur: facto verò alieno læditur. Hinc est, quòd si quis vir prudens, atq; ob aliquam virtutem omni honore dignus fuerit ab aliquo facto, vel verbo iniuriatus, dicitur propterea solùm in eius honore læsus, sed veritate cognita, quod videlicet nil mali commiserit, propter quod debuisset offendi, & iniuriari, aboletur talis læsio, atq; eius honor in suo robore conseruatur. Versa autem vice ille, qui iniuriam intulit, cum sine causa id fecisset, propria culpa amisit honorem, atq; remanet infamis, & omni vituperio dignus. cum cōstet, vt in facto præsuponitur huiusmodi iniuriam intulisse contra omne iustitiæ debitum, atq; honestatis terminum, & propterea sicut commisit malum infamia dignum; ita etiam factus fuit infamis, & omni honore priuatus. Vnde huiusmodi personæ deberent vltra infamiam potius grauissimis pœnis puniri, quam ad aliquam dignitatem licet minimā admitti, cum repugnet iuri, & rationi viros honestos, & honore dignos iniuriari impunè, vel quasi, à viris improbis, & ignorantibus, qui nil aliud habent, nisi arrogantiam, & addendo mala malis, volunt occupare primas honoris sedes, vt clarius inde cognoscatur eorum arrogātia, dedecus, & infamia. Et cum id contingat ob pessimas temporū calamitates, ideò concludendo dicimus honorem proprio, & improbo facto peni-

penitus amitti; facto verò alieno solum lædi; sed veritate cognita ipso iure reintegrari.

Honor quomodo recuperetur.
Art. 19.

QVoniam honor præsuponitur aliquando amissus, & aliquando læsus, vt constat ex his quæ diximus in præcedenti articulo, ideò conuenit nunc adnot. vt sub vtroq; respectu an, & quo modo ille recuperetur, vndè quoad amissionē eius attinet, dicimus, quòd sicut honor facto proprio amittitur, vt diximus; ita quoq; facto proprio potest recuperari, & propterea placet in præsenti adnotare decisionem tex. in c. testimonium, & ibi glo. in verbo perseueret, & in verbo emendatus, de testibus. Atq; ibidem doct. Vnde sicut testis criminosus reicitur a testimonio si in crimine perseueret, & si emendatus fuerit, admittitur, vt ibi deciditur; ita quoque hoc idem est dicendum a simili in casu proposito siquidem admisso aliquem perseuerare in crimine, propter quod honorē amisit, nunquam illum recuperabit. Per oppositum verò admisso talem personam se emendare, tunc sine dubio videtur de iure dicendum per huiusmodi emendationem honorem recuperare. Cæterum contra huiusmodi modum illum recuperandi obstat summopere id quod in eodem text. habetur, & ibi glos. & doct. adnotāt, quòd videlicet aliquando contingit aliquem esse emendatum. & nihilominus remanere infam m, & sic nō recuperare honorem. Ad hanc obiectionem respondetur primo, quòd cum infamia sit iuris, & facti, vt adnotāt doctores in dicto capitulo, vbi præsertim Abb. numero 6. & Bart. in l. 1. ff. de his, qui not. infam. Ista correctio videtur respicere ius, & non factum, & sic obiectio habet locum quoad infamiam facti, & non iuris. Vel dicas secundo, quod ille dicitur recuperasse verum honorē, qui post emendationem nulla infamia remanet diffamatus. Si enim altera de infamijs prædictis remaneret læsus, tūc diceretur recuperasse honorem, non in totum, & simpliciter, sed pro parte, & secundum quid. Quoad læsionem vero eiusdem attinet oportet declarare iniuriam fuisse illatam sine culpa ipsius iniuriati, & sic per huiusmodi declarationem tollitur læsio, & reintegratur honor, cum cessante causa cesset effectus, arg. cap cū cessante, de appell. Quæ quidem declaratio aliquando est nota ob qualitatem facti, & aliquando indiget alicuius sententia iux. adnot. ad c. cū secundū, de hæret. in 6. Rursus honoris recuperatio posset vlterius considerari ratione eiusdem possessionis, vel quasi. Et sic sicut sub hoc respectu datur interdictum acquirendæ, & retinendæ, vt diximus supra & infra clarius dicemus; ita etiā in casu proposito debet dari interdictum recuperandæ. Quod cum sit multiplex, & diuersum, & nouissimè videri potest apud Menoch. in suo tract. recuperandæ, & nos infra de eis, iuxta tamen institutum propositum sumus dicturi, ideò in præsenti non occurrit aliud animaduertere, cum habeamus solutionem ad articulum, verā (ni fallor) & claram.

Quid iuris si de honore sub aliquo respectu dubitetur.
Art. 20.

VT intelligamus quid iuris de dubijs, quæ occurrere possent circa honorem, oportet prius scire qualia illa sint, primo enim dubitari potest de qualitate facti, quo quis dicitur honorem amisisse, An videlicet sapiat delictum. Secundo posset similiter dubitari, An iniuria illata sit propter aliquam culpam ipsius iniuriati, vel ob aliam causam. Tertio an quis honorari valeat potius tali, vel tali signo, & modo, vel aliter. Quarto quã do honor debeatur vigore præcepti, vel ratione congruentiæ. Multæ aliæ dubitationes possent occurrere circa rem propositam, quas omnes non videtur possibile hic adnotare, cum plura sint negocia, quam vocabula l. natura enim. ff. de præscriptis verb. Vnde sit satis prædictas proposuisse ad intelligentiam istius articuli. Qua de re ad primum nũc dicimus, quòd cum in iure clarissima sit conclusio, quemlibet præsumi bonum ca. si. de præsumpt. l. meritò. ff. pro soc. & nouissimè Menoch. in suo tract. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 1. & propterea nõ præsumitur derelinquere, Idẽ Menoch. ibidem præsump. 2 Sequitur inde huiusmodi factum non præsumi vitiosum, & successiuè honorẽ non esse amissum. Cæterum cum id videatur verum, & locum habere in casu dubio, ideò melius erit sic distinguere, quòd videlicet huiusmodi factũ, aut est notoriè bonũ, aut notoriè malum, aut sumus in dubio. In primo casu honor non esset amissus, secus in secundo: & ratio est, quia honor non amittitur propter bonũ, sed solum propter malũ, vt diximus supra suo loco. At in tertio casu regulariter tenenda est solutio, vt supra relata, vt vlterius docet Mascard. in suo tract. de probat. conclus. 496 limitatur autem si probetur tale factũ dubium sapere vel esse delictum. Quæ quidem probatio diuersimodè fieri potest, vt docet idem Mascard. ibidem conclus. 497 cum quinque seqq. Quoad secundum cum tota difficultas istius dubij cõsistat in cognitione causæ, propter quam quis fuit iniuriatus; ideò puto esse respondendum cum simili distinctione, siquidẽ aut notoriè constat de causa, propter quam quis mouetur iniuriam alicui inferre, facto, vel verbo, & tunc secundum qualitatem illius est iudicandum. Hinc est, quòd supra docuimus ipsum iniuriantem remanere infamem, si nulla causa motus iniuriã inferat alicui honesto viro: Aut sumus in dubio, et in tali casu occurrit alia difficultas, An videlicet in dubio sit facienda præsumptio ad fauorem iniuriati, vel ad fauorem iniuriantis. In qua difficultate, licet probabilius videatur esse respondẽdum ad fauorem iniuriati ignorantes, tamen, & viri improbi sæpè oppositũ iudicant. Hoc tamen præmisso, quòd ante iniuriam illatam talis iniuriatus communiter sit habitus pro viro probo, & honesto, siquidẽ si per oppositum vir inhonestus reputaretur, oppositum de iure posset substineri. Et propterea, vt concludamus in vno casu præsumptio est ad fauo-

rem

rem iniuriati;in altero verò ad fauorem iniuriantis. Quæ quidem præsumptio cessaret, si per legitima media constaret de prædicta causa iuxta ea, quæ diximus supra. Et præcipuè considerando personam, eiusq; qualitatem iniuriati, & iniuriantis, cum sæpè cōtingat, quòd iniuriantes sint viri improbi, ignorantes, & arrogantes. Sed vlterius procedendo, quoad tertium attinet, quòd sæpè in practica contingit quòd videlicet aliquis intendat aliquem honorare, dubitat tamen de signo, modo, eiusque congruentia. Ad quam difficultatem, vt cōgruum detur iuris responsum iux. dictum Imperatoris in l. vt responsum. C. de tractat. dicimus, quod qui intendit alium honorare, ad id aliquando vnicum habet signum, & tunc tenetur illud exhibere cum maxima animi affectione. Signum enim istud materialiter cōsideratum nihil operatur quoad finem propositum, vt diximus supra suo loco. Sed mediante hominis applicatione illum producit effectum, ad quem ab eodem homine applicatur. Aliquando verò non vnicum, sed plura habet signa, & tunc conuenientius videtur illo vti, quod esset efficacius, cum in tali casu magis expediat peccare in plus, quam in minus. Hinc videmus hisce temporibus, quòd si quis honoris gratia nominari debeat multum Magnificus: nominatur Illustris; & nonulli addendo dicunt Multum Illustris contra omne virtutis propriū debitum. Sicut enim virtus in vno est maior, quam in altero; ita etiam maiori titulo gaudere debet. Et cum per hæc habeamus solutionem ad prædictum tertium dubium; sequitur nunc quartum & vltimum, ad quod dupliciter responderi potest. Primo quoniam supra demonstrauimus aliquem esse aliquando obligatum exhibere alicui honorem, vt contingit inter collegiatos alicuius vniuersitatis, tunc honor videtur debitus vigore præcepti secundum iura illius. Et propterea inde videtur concludendum illum deberi aliquando vigore præcepti, & aliquando ratione congruentiæ, iux. ea, quæ diximus supra in proprio articulo. Secundo responderi potest iux. consuetudinem loci, quæ in proposita materia maximam vim habet, vt infra suo loco dicemus. Quod autem consuetudo aliquem obligare valeat, nemo est, qui dubitet, iux. can. in his, distin. 11. doct. cōmuniter in c. fi. de consue. & in l. de quib. ff. de legi. in specie verò probat text. in c. cum olim cum ibi adnot. eod. de consuet. & Bulla Gregor. XIII. sub numero 86. licet in practica illa esset probanda, vt vltra doct. lo. cita. probat etiam l. 1. cū ibi adnot. C. quæ sit long. consue. Et ita cū per hæc omnia habeamus solutionē ad quattuor dubia, vt supra proposita, a simili procedendo, simili modo esset respondendum ad alia similia, quæ circa rem propositā possent contingere.

Qua via cognoscatur honor. Art. 21.

Cognitio cuiuscunq; rei secundum Philosophos habetur aliquando per suas caus. s; aliquādo verò per effectus, & accidentia. Hinc

D est,

est,quòd vna dicitur demonstratiua, altera verò probabilis. Idque confirmari potest,quia res sicut se habẽt ad esse,ita ad cognosci. Et cum quo ad esse. præsuponantur habere causas,effectus,& accidentia,ideò inde desumitur etiam cognitio, modusq; cognoscendi, vnde cum honor, de quo agimus,dependeat non solum a suis causis, sed etiam circunstantijs, accidentibus, habeatque proprios effectus;ita quoq; eius cognitio,modusq: illum cognoscendi ab eisdem medijs videtur esse desumendus. Ad hæc addi debet, quòd sicut honor multum dependet a cõsuetudine, vt deduximus supra, ita etiam ab eadẽ desumi potest eiusdem cognitio tã simpliciter, quam etiam in casu, in quo de eo dubitetur. Rursus honoris cognitio potest adhuc dupliciter cõsiderari. Primo quatenus debet esse publica,& sic per viam processus esset acquirenda, de qua in præsenti non occurrit aliud adnotare,cum de ea dicamus infra in propria quæstione,& de processu in communi multa docuimus in nostro tractatu de præmisis ad processum iudicialem, eiusq; custodiam. Secundo quatenus debet esse priuata, & sic vltra ea, quæ supra adnotauimus. est vlterius animaduertẽdum, quòd sicut honor potest considerari adhuc tripliciter videlicet in se secundum eius naturam respectu hanorati, & respectu honorantis; ita etiam hoc idem est dicendum de eius cognitione, cum cognitio sit adæquatio rei cognoscibilis ad intellectum. Vnde distinctè cognita eius definitione honor etiã erit cognitus secundum eius naturã, cognitis etiam prædictis personis sub prædictis respectibus, erit etiam cognitus idem honor sub prædictis alijs rationibus:& sic habemus (ni fallor)modum,& viam, qua honor cognosci valeat, & solutionem ad articulum sub quauis ratione, seu consideratione ille consideretur. Et propterea non videtur necessarium vlterius procedere.

QVÆSTIO II.

De Ordine. Art. 13.

QVoniam de ordine supra in diuersis locis est facta mentio, atque etiam infra de eodem sæpè est habendus sermo, cum præcedentia nec reperiri,nec stare valeat fine ordine. Siquidem vbi est ordo,ibi est etiam præcedentia,ideò tam ad maiorem cognitionem eorum, quæ de honore supra sunt adnotata, quam etiam ad intelligentiam ipsiusmet præcedentiæ; expediens, ne dicam necessarium, nunc esse videtur aliquid de ordine animaduertere, & propterea de eo videndum est videlicet.

1 Quid sit ordo tam quoad nomen,quam quoad rem.
2 An ordo sit seruandus.
3 Propter quid seruari debeat.
4 In qua materia reperiatur.
5 Quo iure detur.
6 A quo seruari debeat.
7 Quomodo. }
8 Quando. } sit seruandus.
9 Vbi. }

10 Qua-

10 Qualis sit.
11 Quotuplex sit.
12 Quomodo cognoscatur.
13 An, & quomodo conueniat cum præcedentia.

Quid sit ordo. Art. 1.

QVoniã circa intelligentiã istius vocis ordinis, nemo est, qui du bitet (vt videre mihi licuit) cum omnes admittant eam significare di stributionẽ rerum in suis locis, ideò conuenit, vt ad eius diffinitionem veniamus, Albericus igitur in suo di ctionario in verbo Ordo, docet ad mentem tamẽ aliorum, ordinem nil aliud esse, nisi compositionem rerũ aptis, & accõmodatis locis. Rursus describitur alia definitione, vt sit parium, dispariumque rerum suo lo co collocandarum recta dispositio. Quælibet istarum definitionum videtur congrua, siquidem per eas cla rè cognoscitur diffinitum conuerti cum sua definitione, & è contra, atque ipsa ordinata esse debere ad inuictum rectè disposita. Licet autem in hoc omnes conueniant, vt hactenus obseruare mihi licuit; tamen vt vlterius referam etiam quid meo iudicio in re proposita sæpè obseruaui, ideò videtur mihi dicendum, ordinẽ nil aliud denotare, nisi quãdam rerum proportionem secundũ prius, & posterius. Et ratio est, quia quan do præsuponuntur plures res cuiuscunque generis, præsuponuntur etiã illas necessariò esse ad inuicẽ dispositas, seu disponendas. Et cum talis dispositio fieri nequeat, nisi secun dum prædictam propositionẽ, ideò de necessitate iuris videtur omnino concludendum ordinem esse dispositionem proportionatam plurium, ac diuersarum rerum ad inuicem secundum prius, & posterius.

An Ordo sit seruandus. Art. 2.

ORdinem non esse seruandum in primis probari potest per tex. in c. ad nostram il terzo, de iure iur. vbi legimus in manifestis non esse ordinem seruandum. Confirmatur, quia Innocent in c. cum inter vos in fi. de consuet. docet ordinem non esse seruandum, quando contentio esset, An aliquid sit de iure. Secundo si ordo esset seruandus, ordinanda haberent a natura, vt possent ordinari. At quoniam indiuidua non reperiuntur à natura id habere, ergo idem quòd supra. Dicebat enim Porphirius, de indiuiduis non dari scientiam. Ea ratione (vt puto) quia nequeunt ordinari. Tertio hoc idem probat tex. in l. ambiguitates cum. l. seq. C. de testam. & in §. ante hæredis, insti. de lega. meritò & c. In contrarium facit imprimis totus titulus de ordin. cognit. & iudic. vtr. iu. Itẽ tit. vt dignit. ordo serue. C. lib. 12. l. 1. ff. de alb. scrib. & dictum cap. ad nostram. Secundo docet Bar. in l. filio familias, numero 4. ff. de donat. quòd licet quis habeat arbitriũ pro cedendi, prout sibi placet, tamen tenetur ordinem seruare. Et cum de hoc nemo dubitet tam in naturalibus, quam in artificialibus, quia quæ a Deo sunt ordinata sunt, vt in sacris litteris habetur, & ars imitatur natu-

D 2 ram.

ram. §. minorem instit. de adopt. ideò non oportet vlterius procedere. Siquid enim hinc desiderari posset habetur ex his, quæ infra in articulo 4. sunt dicenda. Vnde reliquum est modo, vt respondeamus ad obiecta. Ad primum igitur dicimus ordinem iudicij esse ordinatum ad cognitionem causæ in eo proponendæ iux. tradita in c. quoniam contra de probatio. at quoniam in manifestis talis cognitio non requiritur, cũ res per se pateat, ideò argumentum verificatur limitatiuè, & propterea regulariter in iudicio requiritur ordo. Ad secundum respondetur indiuiduum diuersimodè posse considerari. Siquidem si considerentur, vt singularia, teneret argumentum, si verò vt vaga, circa ea lex versari potest iux. l. nam ad ea. ff. de ll. Pariter etiam in eis potest reperiri ordo. Si denique considerentur secundum diuersa prædicata, hoc idem puto dicendum, & successiuè argumentum nõ concludit. Ad tertium & vltimum dicimus vnà cum Bart. in l. 2. §. prius. ff. de vulg. & pupill. quòd ordo cum sit multiplex, vt infra clarius suo loco dicemus. Ideò in vltimis voluntatibus vnus ordo admittitur, nempè voluntatis, alius verò excluditur, & damnatur, videlicet scripturæ, & sic argumẽtum vno respectu limitatur; alio verò verificatur, & successiuè solutio articuli videtur vndique vera, & clara.

Propter quid ordo sit seruandus. Art. 3.

DOcet Philo Iudæus in libro de sacrificio Abel, in omnibus ordinem meliorẽ esse perturbatione, siquidem dicit vlterius in libro de Opificio mundi, nihil pulchri reperiri in confuso ordine. et propterea ibidẽ illum describit, quòd sic consequentia rerum præcedentium & sequentium, si non ipso opere, certè consilijs opificum, si modo caueatur, vt ea certa, inconfusaque sint. Ex his sequitur, quòd cum Deus in creatione rerum illas ad inuicem ordinasset, vt habetur in principio Genesis, & declarant doct. & præsertim doctor iste, id dicitur fecisse, ob perfectionem vniuersi. Siquidem si nihil pulchri reperitur in confuso, per oppositum pulchrum erit in ordinatis, & sic ordo est seruãdus propter pulchritudinem, & perfectionem. Hoc idem confirmatur arguendo a cognitione ad res tam naturales, quam artificiales. Sicut enim cognitio alia dicitur methodica, & sic ratione ordinis perfecta, vt Philosophi, & Medici nos docent, alia verò empirica, & sic ob defectũ eiusdem imperfecta, & propterea prima est melior secunda, vt omnes admittunt, ita quoq; hoc idem est dicendum de rebus prædictis. Vnde meritò quidem legimus pulchritudinem consistere in propotione partium similium, & dissimilium, vt refert Ioh. Alstainc. in suo lexic. Theo. in verb. pulchritudo. Hinc est, quòd Philosophi passim affirmant naturã semper tendere ad perfectionem, ideò quæ ab ea sunt ordinata sunt. Qua de re si ea, quæ sunt a natura dicuntur ordinata ob pulchritudinẽ ipsarum rerum naturalium, hoc idem videtur dicendum de artificialibus. Et sic

Et sic notoriè constat causam, propter quam ordo obseruari debeat, nil aliud esse, nisi prædictam pulchritudinem, & perfectionem. Hinc cognoscimus, quantæ sit vtilitatis, & propterea meritò quidem a nonnullis dictum fuit ordinē esse de substantia rerum, & Imperator in l. prolatam, C. de sent. interloc. omn. iudic. definit sententiam esse nullam ordine iudicij non seruato. Et cum per hæc habeamus solutionē ad articulum, ideò breuitati studendo non oportet vlterius procedere.

In qua materia reperiatur ordo. Art. 4.

AD intelligentiam istius articuli præmittendum est, materiam diuersam reperiri: vna enim dicitur & est naturalis: altera verò artificialis. Rursus vna dicitur necessaria; altera contingens, seu accidentalis. Iterum vna consideratur vt vniuersalis, altera vt particularis. Vnde dubitatur modo, & quæritur, an ordo reperiatur in omnibus. Pro parte n. negatiua videtur dicendum in accidentalibus, & particularibus illum non reperiri ob illarum varietatem, siquidem si in eodem statu stare nequeunt non videtur propterea possibile vt in eis ordo admittatur. In contrarium autem primo facit, desumendo argumentum ab artificialibus ad naturalia, iuxta d. §. minorē, insti. de adopt. Sicut enim videmus artificialia esse ordinata, atq; sub certis regulis, & formis tradita, & sic in eis reperiri ordinem; Ita etiam hoc idem est dicendum de naturalibus, cum ars imitetur naturam, vt diximus, & Philosophi nos docent, quòd quæ sunt a natura sunt etiam ordinata: quod autē artificialia sub ordine sint tradita, facile cognoscitur, considerando quamlibet artem, & vt exemplo rem demonstremus satis erit considerare artem ciuilem, quæ cum versetur circa principia, & subiectum eius, primo principia, quæ sunt leges, dicuntur ordinata, quia docet D. Tho. 1. 2. q. 9. legē esse rationis ordinationem, meritò. Secundo hoc idem est dicendum de subiecto, partibusq; eius. Siquidem sicut lex est quædam ordinatio, ita etiam debet prædictum subiectum, eiusq; partes ordinare, & regulare, iuxta can. regula, cum ibi adnot. distinct. 3. Ex quibus infertur, quòd sicut ars ista, eiusq; artificialia sunt ordinata; ita quoq; hoc idem videtur dicendum de alijs artibus, & artificialibus, atq; successiuè etiam de naturalibus ob d. rationem. Secundo si in aliquibus ordo reperiri non posset, id contingeret de rebus, de quibus in argumento in contrarium adducto, siquidem necessaria cum semper eodem modo se habeant, & propterea talia sunt, & nominātur, non videtur dubium, vt exemplo corporum cœlestium, eorumq; motuum cognosci potest. Hoc idem contingit de rebus subordinatis, vt sunt corpora totius orbis. At quoniam etiam in dictis rebus accidentalibus, & particularibus, idē quod supra reperitur, & obseruatur. Et propterea videmus generationes, & corruptiones rerū determinatis temporibus succedere, ideò videtur cōcluden-

cludendum ordinẽ absolutè, & simpliciter reperiri in omnibus rebus, quæcunq; illæ sint, & successiuè argumentum, vt supra adductũ, non obstare. Idq; totum confirmari pôt, quia ordinem in accidentalibus reperiri ulterius inde cognosci potest, quòd accidentium quædam sunt a subiecto inseparabilia, quædam verò separabilia, vt passim nos docẽt Philosophi, de primis enim casus videtur clarus, quòd videlicet ordinem admittant ob vnionem, quam habent cum subiecto. Siquidem sicut subiecta eorum sunt ordinata; ita etiam hoc idem videtur dicendum de huiusmodi accidentibus inseparabilibus. De alijs verò, pariter etiam & de particularibus puto desumendam esse distinctionem a d.l. Nam ad ea. ff. de legib. sicut.n. huiusmodi accidentia, & particularia possunt dupliciter considerari. Primo, vt frequenter accidunt, vt dicit ibi text. Secundo, vt indiuidua signata. Ita quoq; primo modo admittunt ordinem, vt contingit (exempli gratia) in materia legali, secus secundo respectu. Hinc est, quòd primo modo de eis datur scientia, vt dicebat Alexander Achill in propria quæstione de vniuersalib. secus secundo respectu. Et sic solutio articuli remanet (ni fallor) vera, & clara.

Quo iure detur ordo. *Art. 5.*

HOc præmisso, quòd lex sit rationis ordinatio, vt diximus in præcedenti articulo, sequitur inde tunc ordinem originem habuisse, quã videlicet originem habuit lex ipsa. Vnde sicut lex secundũ Theologos alia est æterna, & sic in mente Dei; alia naturalis, & sic in rebus naturalibus ab initio illarum creationis; & alia humana; & ita in rebus artificialibus ab homine dispositis: ita etiam ordinis origo eodem modo, & iure datur, & reperitur. Hic accedit secundum Philosophos materiam esse causam confusionis, formam verò ordinis, & perfectionis, vt diximus etiam supra. Et propterea sicut forma fuit ab initio vniuersi; ita quoq; ordo. Et sic diuersa ratione dependet a lege æterna, a lege naturali, & a lege humana, secundũ tamen qualitatem eius. Hinc merito quidem legimus in iure dignitatum ordinem esse seruandum. d. tit. vt dignitatum ordo seruetur. C. lib. 12. cum alijs supra adductis. Rursus, sicut articulus iste potest alio modo intelligi; ita etiam solui, & declarari. Per ius.n. quo ordo dicitur dari, possumus intelligere causam efficientem, quæ licèt diuersimodè considerari valeat, commodè tamen ad duo capita videtur reducenda, videlicet ad naturam, & artem. Vnde in naturalibus ordo habuit originem cum ipsa natura, & sic ab initio Mundi. In artificialibus verò cum ipsamet arte, & propterea ordo naturalis est prior ordine artificiali. Aliter enim ars nõ imitaretur naturam. An autem sit aliqua differentia inter vnum, & alterum non est præsentis contemplationis, cum infra suo loco dicturi simus, in articulo videlicet vndecimo. Vnde in præsenti quantum fecit ad quæstionem propositam vidẽ

tur satis adnotasse originem, & causam efficientem eiusdem ordinis. Nec obstat, quòd in principio Genesis habeatur terrã a principio fuisse inanem, & vacuam, & sic Chaos, & confusionem præcessisse, quia ad hoc respondetur. Primo hanc difficultatem non pertinere ad articulũ propositum, cum in præsenti non sit quæstio de prioritate ordinis, vel cõfusionis, sed de origine, & iure eiusdem. Secundo dato, quòd ista obiectio esset hic consideranda, tunc dicimus prioritatem ordinis, vel confusionis dupliciter posse considerari, videlicet ratione naturæ, & ratione temporis, vnde licèt, quoad terrã attinet, confusio fuisset prior tempore ipso ordine: ordo tamen dicitur prior natura. i. perfectione. Vel dicas vlterius, quòd licèt terra fuisset tunc inanis, & vacua, id tamen intelligitur quoad fructus producendos, non autem respectu ordinis, & propterea obiectio non videtur obstare modo aliquo.

A quo ordo seruari debeat. Art. 6.

Articulus iste non videtur habere aliquam difficultatem, siquidem, cum quodlibet agens agat propter finem, atq; talis finis sit perfectio operis sibi propositi, nõ potest consequi nisi mediante ordine, ideò a quolibet agente ille seruari debet. Hinc videmus agens naturale ordinẽ seruare, & propterea quæ a natura sunt, & sic ab agente naturali ordinata sunt, vt supra quoq; diximus. Hoc idem verificatur de agente artificiali circa eius artificialia, vnde artifices summopere student non tantum in eorum operationibus seruare ordinem, sed etiam eo meliorem, quo per eos obseruari valeat, & propterea in scientijs tradendis fuit aliquando dubitatum quinam ordo esset melior, an videlicet cõpositiuus, vel resolutiuus, seu definitiuus. Licèt igitur, vt concludamus, ordo seruari debeat a quolibet agente, dubitari tamen posset, an hæc conclusio recipiat aliquam declarationem, seu limitationem. Ad quam dubitationẽ respondet primo. arg. l. 2. §. prius, & ibi Bar. & alij. ff. de vulg. quod cum ordo non sit vnicus, vt etiã nos infra in proprio articulo sumus dicturi, ideò vno respectu ista conclusio videtur limitanda; alio verò verificanda. Siquidem hæres testamentarius non tenetur seruari ordinem scripturæ, sed voluntatis, vt ibidem legimus, & vlterius probat tex. in §. ante hæredis, insti. de lega. & propterea hodie non oportet in testamẽtis prius hæredem instituere. Respondetur secundo, quòd quamuis. l. prolatam. C. de senten. & interloq. om. iud. quando tamen causa esset notoria, talis ordo non requiretur. c. euidentia, cum ibi adnota. de accusa. can manifesta. 2. q. 1. cum ibi adnot. Respondetur tertio, quòd licèt ordo regulariter sit seruandus, aliquando tamẽ si seruatus non fuerit, actus est de iure validus, quamuis transgressor sit puniendus c. 1 de ordin. per salt. & ibi doct. D. Tho. in quæst. addi. ad 3. par. q. 35. art. 5. cum simil. Hinc nota, quòd ordo significat etiã solemnitatẽ ob cuius obseruantiam,

vel

vel respectiuè inobseruantiā, actus aliquando tenet, & aliquando est nullus, iuxta tradita per doct. in l. nō dubiū C. de legib. Et ratio est, qa tūc ordo, & solemnitas, atq; forma idē sunt, & propterea verificatur Philosophi, ac iuris propositio, quòd forma non seruata actus corruet. l. Iulianus. ff. ad exhibendum. l. prolata. C. eod. de sent. & interlo q. Ex quibus infertur, quòd inter eos, qui prætenduut præcedentiam ordo est omnino seruandus, vt infra clarius suo loco dicemus. Et ita per hæc habemus solutionem ad articulum.

Quomodo ordo sit seruandus.
Art. 7.

EX definitionibus, vt supra de ordine relatis; inferri potest (ni fallor) quid affirmari valeat pro solutione propositi articuli. Cū enim ordo dicat propositionem, seu dispositionem diuersarum rerum, vt supra suo loco diximus, cōsequenter, sicut ipse reperitur inter diuersa; ita quoq; illa tali modo debent esse inter se disposita ordinata, & proportionata, vt quod debebat poni, & collocari in primo loco, in eo ponatur, quod in secundo in eodem constituatur, & ita de reliquis. Atq; hoc modo ordo videtur seruandus. Appellatione autem loci in proposita materia quid intelligere debeamus non videtur facilis solutionis, cum secundum qualitatem casus contingentis intelligi, & accipi debeat. Hinc est, quòd modus iste aliter est seruandus in casu præcedentiæ, aliter in tradendis scientijs, aliter in artificialibus, & aliter in naturalibus. Vnde iuxta solutionem, & intelligētiam istius articuli videtur intelligēdus tex. in d. l. vt gradatim. ff. de muner. & honor. cum alijs simil. Sæpe enim in practica contingit quæstio de modo seruandi ordinem, & propterea vnicuique assignari debet locus sibi debitus, & sic vni primus, alteri secundus, & ita de reliquis. Et cum in isto ordinis modo considеretur primus, & vltimus locus, posset propterea dubitari, quinam istorum sit dignior, vt sæpè occurrit in materia militari de illis locis, quæ dicuntur anteguardia, & retroguardia, de quibus infra in propria quæstioue, & articulo sumus dicturi. Regulariter enim primus locus videtur reputandus dignior. Quæ regula aliquando limitatur secundum qualitatem casus contingentis. Verum quia hoc non est præsentis consideratiouis, ideò sit satis ista adnotasse pro solutione articuli.

Quando ordo sit seruandus.
Art. 8.

AD intelligentiam istius articuli oportet prius animaduertere, An ordo sit connumerandus inter accidentalia, & contingentia, vel inter necessaria entia. Primo enim modo sicut contingentia possunt esse, & non esse, vt Philosophi nos docent. Ita etiam hoc idem esset dicendum de ordine, secus autem secundo respectu cum necessaria semper eodem modo se habeant. Quid ergò dicendum? non videtur possibile id in cōmune posse definiri; cum

ordo

ordo denotet quandam qualitatem diuersarũ rerum. Ex quo dicit proportionem, & dispositionem earũ, vt diximus. Et propterea ficut res, in quibus reperitur quædam sunt necessariæ, quædam verò contingentes; ita etiam hoc idem videtur dicendum de ordine. Hinc infertur pro solutione articuli ordinem in rebus necessarijs semper esse seruandum, & semper reperiri, secus verò in rebus contnigentibus, ob earum varietatem. Et propterea in artificialibus, & sic in casibus præcedentiæ non est inconueniens ordinem aliquando non seruari. Atque hac de causa leges, vt supra in alio articulo relatæ, quibus cauetur, vt dignitatum ordo seruetur, aliquando recipiunt limitationem. Hinc videmus; quòd doctores in sedendo gradatim ad aliquid faciendum aliquando seruant ordinem inter eos debitum, & aliquando secus. Hinc est etiam, quòd aliquando duo, vel plures conueniunt ad inuicem, vt inter eos non sit locus præcedentiæ, ita quoque non sit locus ordini, cũ præcedentia sine ordine stare nequeat, vt infra clarius dicemus. Vnde, vt concludamus in cõmuni potest sustineri ordinem semper esse seruandum, quia cum sit multiplex, vt infra clarius demonstrabimus, siue vnus, siue alter reperiatur, semper conclusio videtur vera. At si in specie ille consideratus, & acceptus fuerit, secus est dicendum. Et sic ordo contingens, & voluntarius aliquando seruatur, & aliquando limitatur. Cæterum cũ intentio nostra in ista quæstione sit loqui de ordine in communi, atque per deducta habeamus solutionem articuli, ideò non oportet aliud adnotare.

Vbi Ordo sit seruandus. Art. 9.

PRæmittendum est in facto locũ in articulo proposito plura necessariò comprehendere, ex quo ordo dicit dispositionem diuersarum rerum, vt sæpè diximus. Illa autem plura aliquando sunt ipsimet homines, aliquando animalia, aliquando denique sunt reliquæ res inanimatæ. Hoc præmisso si locus cõtineret homines tunc ordo eorum esset voluntarius, aut necessari⁹ necessitate præcedentiæ. Primo modo esset, vel non esset seruandus iuxta voluntatẽ eorum, quia quæ sunt voluntatis ad libitum fiunt, iuxt. can. fin. 14. q. 1. At secundo respectu ordo esset seruandus, vbi datur occasio, nisi pro tunc aliquis iuri suo renunciasset, vt in practica sæpè occurrit, iuxta l. pen. C. de pact. At si locus iste contineret animalia, oporteret illa conuenienti ordine disponere, ne ex confusione oriatur aliquid mali, quòd quã facillimè oriri posset arg. l. 1. & per tot ff. si quadrupes paup. fec. dic. Dubitari tamen vlterius, & quæri posset qualis debeat esse iste ordo. Cui quæsito ita videtur de iure esse respondendum, vt consideretur qualitas huiusmodi animalium, & aliquãdo eorundem dominorum, cum sæpè cõtingat aliquod animal diligentius custodiri in gratiam domini illius. Si denique locus iste deberet continere res alias inanimatas, tunc

esset in potestate domini illas dispo nere ad libitum suum, nisi tamen ex tali dispositione honor alicuius tertij aliquo modo læderetur, quòd de iure non esset faciendum. Ex quibus omnibus inferri potest locum, vbi ordo sit seruandus, aliquando esse voluntarium, & aliquãdo necessarium. Ad prædicta duo vltima loca addi potest, quòd plures res animatæ, vel inanimatæ respectiuè possent in illis reperiri, aliquando natura, aliquando casu, & aliquando voluntate hominum, seu hominis. Et sic verificatur solutio, vt supra data. Siquidem quòad primũ, & secundũ modum non potest dari certa regula ad id cognoscẽdum, & propterea res erunt ordinatæ, vel inordinatæ secundum qualitatem casus, vel respectiuè necessitatis. At sub tertio respectu melior regula dari nequit, nisi dicamus, voluntatem hominis in ordinandis rebus in tali vel tali loco debere esse regulatam iure, & ratione, ne temerè ipse procedat. Et ita per hæc sit absolutus iste articulus.

Qualis sit ordo. Art. 10.

ORdo est tantæ authoritatis, atque excellentiæ, vt vix explicari valeat. Siquidem ob eius virtutem, primo nos habemus vnum de septem sacramentis Ecclesiæ ordinẽ nominari, & sic denotat potestatẽ. §. 1. insti. can. de sacr. ord. Hinc est, potestatem ordinis esse diuersam à potestate iurisdictionis. Secũdo ordo continet, & dicit modum sciendi aliquid aliquando cognitione publica, iuxt. l. prolatam. C. de sent. & interlo. omn. iudi. Aliquando cognitione priuata, vt contingit in scientijs methodicè traditis. Hier. Caput Vaccæ in suo docto tract. de diff. doctr. per tot. Hinc est, quòd cognitio methodica, & ordinata maximè differt a cognitione confusa, & empirica. Tertio ordo dicit modum agendi. Vnde ad mentem Bald. in tract. de scism. si omissus fuerit nihil rectè agitur. Et propterea passim legimus in iure ordinem esse omnino seruandum, vt dicit Bald. tam in d. tract. post princ. quàm in authen. hoc amplius. C. de fideicom. quarto virtute ordinis lex dicitur rationis ordinatio. D. Tho. communiter receptus prima secundæ q. 90. & successiuè iudex habẽs iurisdictionem a lege dicitur ordinarius, & sic ab ordine. Hinc dantur etiam quædam cognitiones ab ordinarijs distinctæ, & propterea extraordinariæ dicuntur iuxta tot tit. ff. de extraord. cogni. Quinto vigore Ordinis Religiones Regularium dicuntur ordines, & propterea earum constitutiones, quæ similiter ordinem denotãt, dicūtur regula, iuxt. can. regula, dist. 3. Ordo igitur, vt concludamus, est tantæ perfectionis, vt non indigeat commendatione, cum se ipsum commendet argumento l. 1. ff. de restit. in integ. Vnde dicebat Bal. in d. suo tract. de Scism. in princ. numero 3. Ordinem esse figuram substantiæ cuiuslibet rei, & sine eo nihil constare. Nec obstat aliquando legi in iure ordinem non esse seruandum, vt diximus supra, quia id intelligitur de aliqua specie eius, cum ipse sit multi-

multiplex, vt in sequenti articulo sumus dicturi, & propterea in communi semper seruari debet ob causã assignatam iux. doctr. Bald. Hinc datur in iure illa communis conclusio ordinẽ iuris semper esse seruandũ, vt cæteris omissis docet Nicol. de Mil. in suo repert. in verb Ordo. Et cum per hæc omnia intelligamus (ni fallor) qualis sit ordo, si non plenè, saltem quantum facit ad institutum propositum, ideò in præsenti non oportet aliud animaduertere.

Quotuplex sit ordo. Art. 11.

OB maximam vtilitatem cognitionis istius articuli conuenit prius adnotare quid alij de eo nos doceant. Vnde Imperator in §. ante hæredis, institut. de lega. docet Ordinem alium esse scripturæ, alium vero mentis, & volũtatis. Hoc idem habetur in l. 2. §. prius, ff. de vulg. & pup. & in c. si quis iusto, de elect. in 6. Bart. autem in d. §. prius numero 4. aliter illum considerando dicit ipsum triplicẽ esse. Vnus enim dicitur ordo rerum, quæ necessariò ita reperiuntur, vt vna præcedant, altera sequatur. Alter dicitur ordo temporum, cum necessariò res vna sit prior tempore altera. Hinc datur in iure illa vulgaris regula, quòd qui prior est tempore, potior sit iure. c. qui prior, de reg. iu. in 6. Tertius denique dicitur ordo scripturæ, qui in dubio seruari debet d. c. si quis iusto. Rursus idem Bart. ibidem numero 5. docet ordinem sub alio respectu alium esse necessitatis, alium voluntatis. Ex qua distinctione soluitur quæstio, An ordine non seruato actus sit nullus: sub prima enim ratione dicitur nullus, secus sub secunda. Idque cognoscitur à grauitate, & qualitate rei. Arist. quem omnes logici sequuntur in lib de prædicament. p. 3. cap. de priori, docet prius, & posterius, & sic ordinem reperiri quinque modis, videlicet respectu temporis, naturæ, doctrinæ, dignitatis, & causalitatis. Francis. Piccolhominus in d. suo tract. morali in introduct. cap. decimoquarto docet in habitudine ad sciẽtias ordinem considerari, primo intentione agentis: secundo in rebus ipsis: tertio in instrumento: quarto in imitatione formæ, & sic in disciplinis, in quib. ille datur, primo ratione originis: secũdo rõne dignitatis: tertio rõne abstractionis: quarto rõne vtilitatis: quinto, & vltimo ratione modi addiscendi. Qui quidem addiscendi modus a nonnullis dicitur methodus: Atque secundum vnam opinionem est triplex, secundum alteram verò duplex. Siquidem dicitur ordo compositiuus, & resolutiuus, quibus alij addunt ordinem definitiuũ, de quibus videndus est omninò d. Hieronymus Caput Vaccæ in d. suo aureo libello de differen doctrinarum. Quibus omnibus ita obseruatis habemus inde quid alij nos doceant de diuisione ordinis, conuenit modo vt breuiter videamus quid meo iudicio sit dicendum. Vnde imprimis præmittendum esse puto ordinem posse considerari dupliciter. Primo respectu sciẽtiarum & artium, & sic me remitto ad ea, quæ nos docent d. Hier. Caputuac in d. suo tracta &

Francisc. Piccolhominus similiter in d. suo tract. moral. in d. eius instit. c. 14. 15. 16. & seq. Secundo in communi, & sic quantum facit ad propositum institutum. Atque sub hoc respectu solutio istius articuli a quatuor generibus causarum videtur desumenda, & propterea primo loco considerando finem ordinis, ita diuidi posset, quòd ordo alius sit vtilitatis, alius voluptatis, alius verò perfectionis. Siquidem cum ordo dependeat ab vno, & tendat ad vnum, sicuti doctè docet Franciscus Piccolhomin⁹ in d. introductione c. 16. Istud vnum vltimum videtur posse reduci ad prædicta tria capita, quæ sicut sũt diuersa; ita quoque diuersimodè res ad prædictos fines disponuntur, & ordinantur. Secundo si consideretur ordo ratione causæ efficientis, tunc est animaduertendum, quòd sicut ista causa potest esse ipsamet natura, legislator, seu alius legitimus superior, & aliquis homo priuatus: ita etiam ordo est diuersus, siquidem si fuerit natura, tunc ordo dicitur naturalis, de quo diximus etiam supra ad mentem Arist. Si verò fuerit legislator, seu alius superior, tunc sicut iste procedit aliquando per viam præcepti, & aliquando per viam consilij iux. can. fi. 14. q. 1. Ita quoque ordo alius dicitur necessitatis, & præcepti, & alius voluntatis; & consilij. Si denique fuerit aliquis homo priuatus, ordo erit cognitionis, actionis, & operationis. Primus desumitur a nostro modo cognoscendi, vt docet idem Franc. in d. introductione c. 17 secundus a volũtate eiusdẽ, tertius a qualitate artis, cui est attribuenda dicta operatio. Tertio si ordinis diuisio esset desumenda a forma, tunc ordo alius esset intrinsecus, & sic essentialis. Alius verò extrinsecus. & sic solemnis, ad distinctionem formæ, & solemnitatis intrinsecæ, & extrinsecæ, iuxt. tradita per doct. in l. sciendum. ff. de verb. oblig. Atque ad hanc distinctionẽ videtur reducendus ordo scripturæ. Si denique quarto & vltimo loco consideretur ordo ratione materiæ, tunc vnus erit necessarius, alius verò contingens, sicuti materia apud omnes vna dicitur necessaria; alia verò accidentalis, & contingens. Et ita per hæc intelligimus (ni fallor) quotuplex sit ordo, vel saltem dedi occasionẽ illius distinctiones melius perquirendi, & cognoscendi.

Quomodo ordo cognoscatur.
Art. 12.

Præsuponitur vnum in isto articulo quod videtur omninò falsum, quòd videlicet ordo sit aliquando quid ignotum. Docent enim Philosophi Peripatetici materiam esse causam ignorantiæ, formam verò cognitionis, & scientiæ. Et cum ordo sit forma, vel ab ea essentialiter dependeat, ideò non videtur necessarium aliquid adnotare de re proposita. In contrarium tamen facit text. in d. §. ante hæredis, & in d. §. prius supra in præcedenti articulo adductis in principio. Pro solutione puto animaduertendum ordinem esse aliquando vel dubium, vel de eo oriri aliquam dubitationem. Et propterea dupliciter potest considerari. Pri-

ri. Primo ex parte rerum. Secũdo ex parte nostri modi cognoscendi, atq; mediante cognitione operandi. Primo modo obiectio videtur vera, & ad hoc facit quod dicebat D. Augustinus in illis verbis, Duo fecisti Domine vnum propè te, nẽpe formã, & sic ordinem, atque cognitionem eius; Aliud propè nihil, & sic materiam, confusionẽ, chaos, & ignorantiam. At secundo modo videtur magis verum ordinem aliquando vel esse dubium, aut de eo dubitari. Atque sub hoc respectu articulus iste solui, ac declarari debet. Vnde dispu tatione omissa puto dicendũ cum d. Francisco Piccolhomineo in d. cap. 17. quòd sicut ordo in scientijs est desumendus ex parte nostri modi cognoscendi: ita quoque solutio istius articuli, eiusque cognitio ex modo cognoscendi videtur desumenda quando scilicet ordo esset dubius, vel de eo dubitetur, vt videlicet incipiamus a notioribus nobis ad notiora naturæ, sicuti semper id obseruauit, & docuit Arist. & propterea in casu contingenti oportet adnotare qualitatem dubitationis. & quid circa eam sit nobis magis notum, a quo incipiendo, deueniemus (ni fallor) ad cognitionem dubitationis de ordine natæ. Ad hæc addi potest doctrina alicuius doctoris, docentis viua voce vel per aliquã scripturam difficultatem propositã soluentis, cum multi multa nos doceãt de honore in consulendo, multi verò tractatus in componendo.

An. & quomodo ordo conueniat cum præcedentia, & è contra. *Art. 13 & vlt.*

Licèt articulus iste non possit cõmodè definiri, cum præsuponat cognitionem præcedentiæ, de qua in quæstionibus sequentibus sumus dicturi. Nihilhominus ne intactus relinquatur, satis erit pro eius intelligentia solùm præsuponere quid nominis de dicta præcedentia, quæ, quãtum facit ad rẽ propositam, nil aliud videtur denotare, nisi id quod vna res præcedat alteri. Hoc præmisso, vt per opposita intelligamus quid iuris, dicimus, quòd sicut nomina ista sunt diuersa; ita etiam diuersam dicuntur habere naturam. l. si idem. C. de codicill. In contrarium est omnino respondendum, ea præsertim ratione, quia si res vna præcedere debeat alteri, oportet vt inter eas detur ordo, & propterea, vbi datur ordo, ibi etiam datur præcedentia, & è contra. Vnde pro solutione articuli est adnotanda hæc conclusio, videlicet vbi est ordo, ibi est præcedentia, & è contra. Quæ ex eo cognoscitẽ vera, & clara, quia quæ ordine sunt ordinata, ita se habent ad inuicem, vt vnum habeat primum locum, aliud secundum, & ita de reliquis vsq; ad vltimum. At illa, quæ præcedunt, & subsequuntur, sũt huiusmodi ordine ordinata, ideò vbi est ordo, ibi est præcedentia, & è contra. Siquidem quæ præcedunt prætendunt primum locum, & successiuè in comparatione ad alia præsuponunt ordinata. Qua de re im-

possibile

possibile videtur præcedentiã stare sine ordine, & è contra. Et sic semper clarè constat prædictam conclusionem esse veram, vt clarius apparebit ex infra dicendis. Nec obstat argumentum supra in contrarium adductum, cum non sit a ratione alienum ista duo nomina verificari de eisdem rebus, diuersa tamē ratione, siquidem quatenus res vna debeat præcedere sub hoc respectu consideratur, & datur præcedentia. Quatenus verò res omnes sunt, vel esse debent ad inuicem conuenienter dispositæ, onsideratur, & datur ordo. Et ita per hæc habemus (ni fallor) solutionem veram, & claram ad articulum propositum.

QVÆSTIO III.

De Præcedētia in communi. Art. 22.

POstquam in præcedētibus quæstionibus præmisimus nonnulla de honore, ac ordine pertinentia ad maiorem cognitionem propositi tractatus de præcedentia. Conuenit modo, vt illius explicationem aggrediamur. Et cum secundum ordinem doctrinæ cognitio communis semper præcedere debeat etiam secundum Iuristas. l. 1. ff. si cert. pet. l. 1. ff. de iust. t §. 1. insti. can. de iure cano. ideò meritò quidem proponitur nūc præsens quæstio, in qua videndum est, videlicet.

1 Quid nominis de præcedentia.
2 An illa detur.
3 Quid sit.
4 Propter quid detur.
5 Quo iure detur.
6 In qua materia reperiatur.
7 Ex quo capite desumatur.
8 Qualis sit eius effectus.
9 Quotuplex sit.
10 Cui competat.
11 Contra quem competat.
12 Quomodo competat.
13 Quando } competat.
14 Vbi } competat.
15 Quibus medijs debeatur.
16 An, & quomodo acquiratur.
17 Quomodo conseruetur.
18 An, & quomodo amittatur.
19 Quomodo recuperetur.
20 Qua via cognoscatur.
21 Quid iuris si de ea dubitetur.
22 An in ea dari debeat vnū, quod sit veluti metrum, & mensura.

Quid nominis de præcedentia. Art. 1.

PRæcedentia secundum suum significatū denotare videtur quandam maioritatem, iux. totum tit. de maiorit. & obed. Vnde secundum hanc intelligentiam, qui præcedentiam prætendit, nil aliud prætendere videtur, nisi quandam superioritatē, iuxta tradita per doct. in d. rubr. vbi præsertim Feli. est omnino adnotan. Aliquando verò significat id, quod præcedit. l. vectigalia. ff. de vectigal. Iterum aliquando videtur denotare idem, quod denotat rubr. C. lib. 12. vt dignitat. ord. seru. Vel dicas vlterius præcedentiam dictam esse a verbo præcedere. i. anteire, vnde præceden-

cedentia, & antecedentia videntur nomina sinonima, idem significãtia, & propterea ponderando istud verbum præcedere, posset pro solutione articuli concludi præcedentiam diuerso respectu diuersa significare. Aliquando enim nil aliud denotat; nisi locum, seu sedem, quam quis in ordine ad alios prætendit. Aliqũ verò qualitatem significat, qua ille talem sedem prætendit. Aliquando denique denotat rem ipsam prætendentem. Ex quibus omnibus inferendum arbitror præcedentiam esse accipiendam non semper secundum vnum, & idem significatũ, sed modo secundum vnum, modo verò secundum aliud, iuxta qualitatem casus contingentis, idq; non sine ratione, cum diuersæ circa eam orianẽ dubitationes, & præsertim de prædictis tribus significatis. In toto autẽ isto tractatu præcedentia nõ erit accipienda secundum vnum significatum, sed modo prædicto, iux. qualitatem quæstionis examinandæ, vt apparebit ex infra dicendis.

An detur Præcedentia. Art. 2.

VT per opposita intelligamus quid iuris de proposito articulo, ideò pro parte negatiua facit in primis tex. in c. nouit de iudi. vbi legimus non dari acceptionem personarum, & propterea vnus non debet præcedere alteri. Cõfirmatur, quia si præcedentia esset admittenda, id contingeret in dubio, arg. c. si quis iusso, de elect. in 6. secus aliter. Secundo legimus in iure omnes homines a natura esse liberos, & sic æquales. §. 1. insti. de iu. perso. Et propterea Respub. ita sunt in regimine ordinatæ, vt omnes ciues sint æquales, ergo idem quod supra. Hæc omnia confirmantur vera, quia dicebat Plato in lib. 16. de regno, quod quæ variant non habent ordinem, & cõsequenter nec præcedentiam. In contrarium facit tot. tit. de maiorit. & obed. Confirmatur, quia sicut lex est rationis ordinatio. D. Tho. 1. 2. q. 90. Ita etiam eius est proprium ordinare, & consequenter præcedentiam producere. Secundo est vulg. conclusio, quòd ars imitatur naturam. §. minorem. insti. de adopt. Vnde sicut in qualibet arte res vna præcedit alteri, arg. titu. C. lib. 12. vt dignit. ord. l. vt gradatim. ff. de muner. & honor. Ita quoq; hoc idem contingit in reliquis rebus naturalibus. Hinc passim adnotant etiam Philosophi, quod quæ a natura sunt ordinata sunt, & sic præcedentiam habent. Quæ omnia ea ratione confirmantur vera, quia si non daretur præcedentia non daretur ordo, & sic daretur confusio, quæ cum non sit admittẽda, nec admittatur, merito, &c. A qua conclusione, & articuli solutione, cum non sit recedendũ, ideò conuenit modo, vt respondeamus ad obiecta. Vnde ad primum dicimus, quòd acceptio personarũ, aut consideratur in iudicio, & sic ratione iustitiæ commutatiuæ, & tũc tenet argumentum, licèt secundum aliquos id limitetur in iudicio criminali, quando videlicet pœna esset arbitraria. Quæ quidem limitatio non videtur admittenda, cum iudicis

arbitrium

arbitrium in tali casu debeat esse regulatum.l. & ratione, iux. c. sicut, de homicid.l. aut facta.ff. de pœn. cum simil. Aut consideratur extraiudiciũ, & tunc prædicta personarum acceptio omnino datur, & ad hoc facit l. 1. ff. de consti. siquidem si princeps concedat alicui aliquam gratiam, nõ propterea dicitur obligatus similem alteri quoq; concedere meritò, &c. Ad secundum respondetur, quòd quãuis omnes homines a natura sint liberi, non propterea tenet consequentia inter eos non dari præcedentiam, cum illa detur alio respectu, quam ratione libertatis, vt infra suo loco clarius dicemus. Hinc est, quòd inter ciues alicuius Reip. vno respectu datur maioritas, & sic præcedentia, nempe ratione regiminis, secus verò aliter, & præsertim ratione potentiæ. Ideò adhibetur omne studiũ, vt inter eos conseruetur æqualitas, siquidem si permitteretur aliquem ciuem esse potentiorẽ alijs, atq; suam exercere potestatem, daretur manifesta occasio Tyrannidi. Vel dicas vlterius æqualitatum dari in Repub. non ad pondus, sed secundum proportionem, & sic videtur cessare omnis difficultas. Ad doctrinã verò Platonis responderi potest, quòd quæ variantur, licet non habeant ordinem, & præcedentiam a natura, illam tamen habent aliquando a casu, seu ab arte. Et cum ordo sit multiplex, vt diximus in præcedẽti quæstione, ideò dicimus vlterius, quòd siue simus in dubio, siue in claris sẽper id videtur verum in quibuslibet rebus dari præcedentiam, sicut in eisdem datur ordo. Vnde dicebat Plutarchus in suo opusculo de Simposio, quæstione 2. per tot. etiam in conuiuio dari ordinem, & præcedentiam, sicuti hoc idem adnotat Cassan. in d. 1. p. sui Catal. Glo. Mun. considerat. 21. per tot.

Quid sit præcedentia.
Art. 3.

QVoniam intelligentia definitionis alicuius rei summopere cõfert ad solutionem multarum quæstionum, quæ circa illam occurrere possent, ideò, vt solutio istius articuli clarior habeatur, opportunum fore duxi prius adnotare quid alij nos doceant, cum eius cognitio cõferat ad intelligentiam totius propositæ materiæ, & propterea Feli. in rub. de maiori. numero 24. volens describere maioritatem, & sic præcedentiã, vt est quædam qualitas, dicit illam dictam esse a maiori, vnde ille dicitur maior, qui sedet in altiori loco, & est proximior domino. Quam descriptionem licet probet diuersis authoritatibus, satis tamen erit hic recensere authoritatem sacræ paginæ, in qua legimus, sedebat ad dextram Dei patris &c. Probat etiam glos. super. §. alia verò, in verb. altiori, instit. de bõn. poss. vbi similiter legimus digniores sedere in altiori loco, qui est proximior domino. Hæc definitio non videtur vndiq; satisfacere, cum non appareat secundum quod significatum debeat definiri præcedentia. Vnde, vt modo breuiter referam quid meo iudicio sit dicendum imprimis præmittendum puto præcedentiam in præsenti esse descri-

describendam secundum illud significatum, per quod denotatur id, quo quis præcedit, & sic præcedentia, & maioritas sunt duo nomina, sinonima, idem significantia. Hoc præmisso, vt primo eam reducamus ad suum genus, illud nil aliud videtur esse nisi qualitas, & sic reducitur ad prædicamentum qualitatis, quæ cum in præsenti non consideretur, vt est quoddam ens absolutum, sed vt dicit relationem, ideò oportet vlterius adnotare, qualis sit ista relatio. Quæ licèt sit multiplex, & diuersa, in præsenti tamen videtur consideranda solum ratione qua denotat superioritatem, & respectiuè inferioritatem. Ex quibus omnibus posset inferri talis descriptio, quòd præcedentia secundum prædictum significatum nil aliud sit, nisi quædam qualitas, qua vna res est maior altera, & sic definiendo præcedentiam hominis dici mus illam nil aliud esse, nisi quandā qualitatem, qua vnus homo est maior altero. Quæ descriptio inde cognoscitur congrua, quia conuertitur cum suo descripto, & definito, & cum ista descriptio sit data per genus, & suam differentiam, vt constat ex deductis, posset addi causa efficiens, & finalis, quæ causæ, cum sint extrinsecæ, & propterea non videātur denotare substantiam rei, ideò non videtur necessarium illas hic aliter adnotare. Et ita per hæc habemus (ni fallor) solutionē ad articulū.

Propter quid detur præcedentia. Art. 4.

NEminem adhuc vidi, qui soluat & declaret præsentē articulū nihilominus posset solutio desumi ad mentem aliquorum ex continuatione rubr. de maior. & obed. Siquidem cum compilator illius compilationis Gregorianæ in tit. præcedentib. explicasset diuersa diuersorum iudicum officia, & sic demonstrasset quosdā iudices esse superiores, quosdam verò inferiores, erat conueniēs demonstrare qualis esset ista eorum superioritas, & inferioritas vnde sicut maioritas ibi videtur declarata ad hoc, vt inferiores cognoscāt qua le esset eorum officium erga dictos superiores; ita etiam videtur dicendum in præsenti quæstione præcedentiam dari ad hoc, vt illi, qui ad eā præstandam tenentur, sciant ad quid sint obligati. Hæc solutio videtur multum probabilis, conuenit tamē, vt videamus an melior dari possit. Vnde puto imprimis præmittendū, quod per d. causā nos intelligimus finem, qui sicut inter illius distinctiones, duplex reperitur, vt docet Nauar. in suo tractat. de finibus huma. act. videlicet rei, & hominis; ita quoque causa de qua agimus sub duplici respectu potest considerari. Primo videlicet respectu præcedentiæ, vt est qualitas in præcedenti articulo definita. Secundo respectu eiusdē, vt est in aliquo homine, & sic in abstracto, & concreto. Hoc præmisso puto articulum duplici conclusione esse soluēdum quarum prima est, quòd præcedentia in abstracto, & vt est prædicta qualitas, videtur data, seu respectiuè dāda ob perfectionem rerum, in quibus illa reperitur, seu reperiri debeat. Hæc conclusio non indiget aliqua probatione, tum

ne, tum quia per se videtur clara, & vera; tum etiam quoniam cognoscitur talis per ea, quæ diximus in præcedenti quæstione articulo 3. Vnde sequitur nunc secunda conclusio, quod videlicet præcedentia sub altero respectu, & sic vt est in homine videtur data, seu respectiuè dicta ad hunc finem, vt vnicuique tribuatur quod de iure sibi debetur in materia, & casu honoris, siquidem, si, exempli gratia, denegaretur alicui primus locus, qui eidem debeatur, sine controuersia, ille læderetur in eius honore, vt diximus supra quæstione prima art. 18. & alibi, & sic ille afficeretur iniuria, vnde ne tale inconueniēs sequatur, oportet asserere veram esse conclusionem, vt supra probatam. Hinc sæpè videmus oriri lites, & cōtrouersias pro conseruatione honoris, & respectiuè præcedentiæ. Quæ articuli solutio, aut est vndique vera & clara, aut inde habetur occasio veritatem eius inuestigandi, & cognoscendi.

Quo iure detur præcedentia. Art. 5.

VT per opposita intelligamus quid iuris de articulo proposito, dicimus imprimis præcedentiam esse de iure humano, per cap. cum olim de consuet. vbi cauetur in attribuendo locum nouæ dignitati debere attendi consuetudinem loci vicini. Ad hoc facit Bulla Pij V. sub numero 69. & Greg. XIII. sub numero 86. Gregorius enim declarādo Bullā Pij V. definit esse attendendam prioritatem temporis, ergo &c. In cōtrarium facit imprimis text. in l. manumissiones ff. de iustitia. Vbi legim⁹, quòd sicut seruitutes sūt inductæ de iure gentium, ita etiam manumissiones. Vnde in casu nostro, sicut ordo est de iure naturę, vt supra demōstrauimus, q. 1. art. 5. ita etiam hoc idem est dicendum de præcedentia. Secundo idem cōfirmari potest, quia sicut lex est ordinatio quædam, vt docet D. Tho. p. 2. q. 90. & propterea quæ a Deo sunt ordinata sunt, vt diximus in d q. 1. ita etiam præcedentia, cum ordinem præsuponat, sequitur eiusdem esse naturæ, & iuris, cuius est ordo. Hinc inferri valet, quod sicut lex vna est in mēte Dei, a qua oritur lex naturalis, & diuina, atq; inde postea lex humana, ita etiam præcedentia originaliter videtur esse a Deo, atq; successiuè a lege naturali, diuina atque respectiuè etiam humana, cum indubitati sit iuris ibi præcedentiam dari, vbi datur ordo, vt in dicta quæstione prima diximus merito &c. Et cum hæc solutio sit omnino tenēda, ideò conuenit modo, vt ad obiecta respondeamus, ac etiam qualis sit illius intelligentia adnotemus. Qua de re prius oportet animaduertere præcedētiam dupliciter considerari posse, videlicet naturaliter, & ciuiliter ad similitudinē defensionis, iux. tradita per doctores in cap. ex parte, il secōdo de off. iud. deleg. & in clem. pastoralis, de re iudi. ex quo sequitur quod si præcedentia naturaliter fuerit considerata, sine dubio videtur oriri a lege diuina, & naturali. At secundo modo erit iuris ciuilis, humani, & positiui, & sic præcedentia in genere sumpta est vnius iuris, specifice

Hcè vero confiderata alterius. Simpliciter autem placet illam illius iuris effe, a quo originaliter dependet. Per quam quidem diftinctionem, cũ habeamus (ni fallor) intelligentiam prædictæ folutionis, ac etiã quo modo ad obiectum refponderi valeat, ideò non videtur neceffarium alia fpeciali refponfione illud foluere. Si quid autẽ vlterius defiderari poffet, a fimili procedendo ex adnotatis in d. c. habetur.

In qua materia præcedentia reperiatur. Art. 6.

Logici quatuor obferuant materias, illafque effe confiderandas in explicatione alicuius facultatis. Quarũ prima dicitur materia, in qua, fecunda materia ex qua: tertia materia de qua: quarta & vltima materia, circa quam: Vnde conuenit in præfenti de qualibet aliquid breuiter adnotare. Primo enim præcedentia reperitur in omnibus illis rebus, quæ funt ad inuicem ordinatæ, vel fi actu non effent tales, poffet tamen ordinari. Quæ autem fint huiufmodi res non videtur difficile fcitu; cũ ad tria genera reduci valeant, nempe ad diuina, ad naturalia, & ad humana. Diuina enim, & naturalia; ideò præcedẽtiam admittunt, quia cũ fint a Deo, funt propterea ordinata. Humana verò, quoniam fecundum iuriftas. Ars imitatur naturam. §. minorem inftit. de adoptio. & propterea ad imitationem rerum diuinarum, & naturaliũ, in humanis quoque reperitur ordo, & fuccefsiuè præcedentia, ex hoc inferri poteft intentionem noftram effe agere de præcedentia, ratione qua reperitur in humanis, ad cuius intelligentiam oportet aliquando recurrere ad naturalia, & diuina. Secunda materia videlicet ex qua, nil aliud videtur effe, nifi ordo prædictarum rerum, & ratio eft, quia ex tali ordine refultat, vt res vna habeat primum locum, altera alterum, & ita de reliquis, & fic poteft inferri huiufmodi materiam effe prædictum ordinem, cum ex eo præcedentia oriatur. Tertia materia, nempe de qua, funt diuerfæ præcedentiæ fpecies de quibus illa, tanquam genus, prædicatur, quãuis diuerfa ratione videatur modo prædicatũ, & modo fubiectum. Et propterea fub eodẽ refpectu eft materia de qua, quia de præcedentia aliquid prædicatur, cum fit quædam qualitas, vt fupra vidimus, habet effe fimilem materiam de qua, cum ipfa prædicetur de diuerfis eius fpeciebus, vt infra fuo loco dicemus. Quarta denique materia, videlicet circa quam, videtur difficilis cognitionis, nifi dicamus illam effe caufam cuius refpectu dari debeat prædictus ordo, vt exempli gratia, inter doctores debet dari talis ordo, qui ficut cõfideratur ratione doctrinæ, cuius refpectu potius vnus, quam alter prætendit præcedere, ita etiam talis doctrina poffet aliqua ratione dici materia circa quam, cum circa eam fit aliquando lis inter huiufmodi doctores de præcedentia. Hæc omnia cũ commodè probari nequeant in iure, vt hactenus obferuare valui, ideò Philofophicè fint prædicta, adnotata. Et fi vndiq; nos fatisfaciat, puto tamen dediffe occafionem verita

tem istius articuli, melius inuestigandi, atq; cognoscendi.

Ex quo cap. desumuntur præcedentiæ. Art. 7.

QVoniam articulus iste est admodum vtilis cum inde habeatur cognitio totius istius ferè tractatus, ideò diligenter est attendendũ quid pro eius solutione adnotari debeat. Vnde ad illius intelligentiam prius præmittere conuenit, quod cum præcedentia oriatur a iure naturali, diuino, & humano, diuersa tamen ratione, vt supra diximus. Hinc est, quòd ius causat præcedentiam, aliquando statuendo, ex quo definit aliquam rẽ habere certam præheminentiam, vt facit constitutio Pij V. supra relata. Aliquando verò inducendo nempe in rebus talem qualitatem, qua mediante illæ dicuntur præcedentiam habere, vt contingit in promotione ad aliquem gradum dignitatis, seu officij. Rursus præmittere debemus legem aliquando declarare præcedentiam: aliquando verò illam constituere argumento eorum, quæ adnotantur per doct. & præcipuè per Abb. in c. fi. de consti. Hinc est, quòd præcedentia aliquando est obscura, & propterea indiget declaratione. His sic præmissis pro solu. istius articuli, vt primo videamus quid alij nos doceant Cassan. in d. suo Cathalog. Glor. Mundi part. 1 confideration. 27. 28. 29. docet maioritatem, & præcedentiam dari ob prærogatiuam ordinis, consecrationis, & administrationis, quibus addi debet ad mentem Abb. in ca. statuimus, de maiorita prærogatiua senectutis. Hæc doctrina licet sit notabilis, videtur tamen diminuta, cum capita, ex quibus præcedentia sit desumenda reperiantur multa alia atque diuersa. Et cum cæteri doctores de maioritate loquentes in hoc conueniãt, ideò cõuenit modo, vt obseruam⁹, quid meo iudicio sit dicendũ. Puto igitur præcedentiam esse desumendam primo & principaliter ex propria rerum natura. Hinc est, quod quando quærunt doctores, An seruitus sit de iure naturæ, vel de iure gentium. Vaco. lib. 1. suarum declarat. declarat. 10. Adnotat ad mentem Philosophi lib. 1. Politi. quòd cum vnus homo sit a natura aptus ad imperandũ, alius verò ad seruiẽdum, sub hoc respectu dicitur naturalis, vnde a simili procedendo hoc idem videtur dicendũ de præcedentia, quæ secundo loco a fine desumi debet cuiuslibet rei. Docet enim Nauar. in sua releϲt. de fin. huma. act. in princ. & post finem esse multiplicem, & propterea res illa, quæ præsuponitur ordinata ad nobiliorem finem videtur nobilior, & consequenter debet præcedere. Tertio desumi potest eadem præcedentiam ab authore illam producente. Hinc est, quòd si a Deo producta fuerit, erit nobilior, atque hac de causa Clerici in eodem genere debẽt præcedere laicis, quia ordinatione diuina dicuntur electi in sortem Domini, can. duo. 12. q. 1. can. cleros. dist. 21. cum vulg. Hinc est etiam, quod ad mentem doctorum, & præcipuè Decij in l. cum quid. ff. si cer. pet. doctor a Principe doctoratus de iure debet præcedere. Quarto desumitur

tur eadem præcedentia etiam a materia, quia cum illa ſemper ſit bonū quoddam, ideò ſecundum qualitatē illius eſt præcedentia concedenda, vel reſpectiuè deneganda. Et quoniam nos agimus de præcedentia hominis, propterea prætermiſſo bono diuino, & naturali videamus quo pacto illa a bono humano deſumi valeat. Sicut igitur bonum iſtud ſecundum Philoſophos eſt triplex, videlicet bonum fortunæ, bonum corporis, & bonum animi, ita etiam a quolibet poteſt aliquando quis prætendere, atq; ius habere alteri velle præcedere. Rurſus ſicut prædicta bona ſubdiuiduntur, ita quoq; capita iſta ſubdiuidi debent, & vt de ſingulis breuiter aliquid adnotemus. In primis autem bona fortunæ illa videntur eſſe, quæ homini competunt non ratione corporis, neque animi, ſed aliunde, vt eſt ſtatus, dignitas, nobilitas, potentia, & ſimilia. Licèt enim quædam alia poſsint reduci ad iſtud genus bonorum, vt eſt qualitas loci, & temporis, hæc tamen ſub alio capite ſunt conſideranda. Quæ quidem bona cum non conſiſtant in puncto, ſed admittant magis, & minus vt infra ſuis locis dicemus, hac de cauſa quæſtio de præcedentia poteſt dari aliquando inter perſonas eiuſdem qualitatis, & ſpeciei prædictorum bonorum; aliquando verò inter perſonas alterius, & alterius ſpeciei, & qualitatis eorundem, vt infra clarius dicemus. Nunc quoad bona corporis attinet ſatis eſt illud in præſenti adnotare, quòd ſi corp' humanum fuerit aliquo reſpectu diminutum, duo in eo conſiderantur, videlicet deformitas, & debilitas' iux.tot tit.de corp.vitia. & §. cauenda ſunt cum ſeq. inſti.cano.qui promo.non poſſ. Vnde ſicut hominum quidam ſunt corpore formoſi, quidā verò habent aliquem de prædictis defectum; ita etiam ex hoc capite præcedentia ſine controuerſia videtur deſumenda. His accedit, hæc bona corporis in materia propoſita illa etiam de cauſa eſſe conſiderāda, quia dicit tex.in cap. quia diuerſitatem, de conceſſ.præben. quòd diuerſitate corporis ſæpè ſequitur diuerſitas animorum. Bona deniq; animi cum quædam ſint a natura, quædam verò a nobis acquiſita, ex vtroq; capite præcedentia deſumitur. Hinc eſt, quòd ratione ſcientiarum, & virtutum ſæpè ſæpiùs vnus debet alteri præcedere, vt infra clari' in propria quæſtione demonſtrabimus, & eſt adnotandus Feli.in rubr.de maior. & doct.in d.l.cum quid. Et cū in præſenti non conueniat de hoc capite aliud animaduertere, ideò vlterius procedendo. Quinto loco præcedentia deſumi poteſt a forma, ſeu modo. Siquidem ſi de ea eſſet quæſtio inter duos ciues ratione (exempli gratia) ciuilitatis, quorum vnus ſit talis per originem, alter verò per habitationem, ſeu priuilegium, ſine dubio modus, quo ciuitas fuit acquiſita ſummopere videtur conferre ad quæſtionem propoſitam. Hinc eſt etiam, quòd doctoratus conceſſus potius vno, quàm altero examine, debet præcedentiam conſequi, vel cedere, & propterea doctoratus ab aliqua vniuerſitate videtur omnino præferendus ei, qui eſſet doctoratus

ab

ab aliquo priuato, habente tamē au-
thoritatem doctorandi, iuxta tradita
per doct. in d.l.cū quid. Et ratio est,
quia illius doctrina, & sufficientia
longè melius præsumitur cognita a
pluribus, quàm ab vno.c.fin. dist. 20.
Sexto desumitur eadem præcedētia
aliquando a tempore, vt passim ha-
betur in d.l.cum quid vbi præsertim
Dec.nu.16.quod quidem caput, cū
contineat antiquitatem, quæ pro le-
ge seruatur.l 2.ff. de aqu.plu. arc. in
prin. Ideò est omnino adnotandum,
& præsertim in materia proposita,
vt videri potest apud Cassan. in d.
suo Cathal.p.4. considerat. 52. 53.
Et propterea de eo in iure datur illa
vulg.regula, quòd qui prior est tem-
pore, sit etiam prior, & potior iure,
vt dicit tex.in c.1.de maior.& obe.
& ibi Abb.& alij. Atque ad hoc fa-
ciunt Bullæ Summ. Pont. supra suo
loco relatæ. Septimo desumēda est
eadem præcedentia a loco, & pro-
pterea docet Osor. vir doctissimus
in suo tract. de nobili.ciui.& Christ.
nobilitatem dari aliquando a quali-
tate patriæ, & sic loci. Quæ quidem
qualitas non solùm potest conside-
rari respectu diuersarum ciuitatum,
& locorum, sed etiā ratione vnius,
& eiusdem patriæ, cum clari sit iu-
ris, & facti in eadem ciuitate locum
vnum esse nobiliorem altero, & pro
pterea etiam hoc caput est animad-
uersione dignum. Octauo desumi
potest eadem præcedentia a medio,
hinc est, quòd si quis fuerit conse-
quutus aliquam dignitatem dolo, vel
fraude, tali nulla debetur præceden-
tia, vt etiam docet Dec. omnino vi-
dendus in d.l. cum quid num.40. Et
ratio est, quia in iure habemus vulg.
conclusionem, quòd fraus, & dolus
alicui patrocinari non debent, cap.
sedes, cum cap. seq. de rescript. idq;
eò magis est verum, quo iste non ca
ret suspitione ambitus, iux. tradita
nouissimè a Menoch. ad d.l.1.ff. ad
leg. Iuliam de ambitu, in suo tract.
de arbitr.iudi.lib.2.cas.40 1.& 402.
Nono est desumenda præcedentia
aliquando etiam ab exercitio, vt ad-
notat Cassan.in d. suo tract.d. p. 4.
consid. 52. Hinc est, quòd Dec.in d.
l. cum quid, nu.30. docet doctorem
legentem præcedere doctori anti-
quiori non legenti. Vnde ratione
exercitij posset oriri quæstio etiam
inter doctorem legentem, & aduo-
catum; cuius solutio desumi debet
a qualitate exercitij, de qua infra suo
loco dicemus. Vnde in præsenti de-
cimo loco posset considerari præce
dentia in homine ratione alicuius il-
lius accidentis, vt exempli gratia a
numero, a nominatione, vel ab alio
simili, vt legimus in d.consideratio-
ne 52. Quod quidem accidens, cum
multiplex, atq; varium reperiri va-
leat, ideò non videtur possibile ali-
quam regulā dari ad illius cognitio-
nem, nisi dicamus, quòd aut dispositi-
tione iuris, aut consuetudine, seu ali-
qua similitudine illud sit tale, vt in
homine denotet quandam præhemi
nentiam, ex quo sæpè videmus ali-
quem maioritatem habere etiam ex
hoc capite. Hæc omnia ea præser-
tim ratione videntur omninò, ac di-
ligenter obseruanda, quia per ea in-
telligimus ex quo capite quis præce
dere valeat, nō solùm in casu dubio,
sed etiam in claris. Si quid autem
vlterius

vlterius pro maiori cognitione propositi articuli desiderari posset, id partim habetur (ni fallor) ex iam dictis, partim vero ex infra dicēdis, & propterea in præsenti non videtur necessarium vlterius procedere.

Qualis sit effectus Præcedentiæ. Art. 8.

Effectus præcedentiæ desumi, & cognosci potest ex his, quæ diximus supra quæst. prima de honore. Cæterum ne articulus iste remaneat intactus breuiter enim distinctione hic puto aliquid adnotandum. Præcedentia igitur quoad præsentē locum attinet, dupliciter considerari potest. Primo ex parte personæ, cui illa debetur. Secundo ex parte personæ, a qua dare oportet. Primo modo effectus eius est vt talis persona acquirat, vel conseruet, seu respectiuè recuperet suum honorem. Idque ex eo cognoscitur, quia quoad primum actum omnis homo cupit honorari, cum cupiat quandā prærhemi nentiā super alios, vt experientia docet. Quoad alios verò idē dicimus, quia legimus in sacris litteris; honorem meum nemini dabo, & propterea quilibet studet honorem conseruare, seu respectiuè recuperare. Vnde solutio articuli ex hoc capite adeò videtur clara, vt non remaneat dubitandi locus. At secundo respectu effectus eiusdem talis videtur esse, vt vnusquisq; exhibeat, & reddat alteri honorem illum, qui eidem debetur, iuxta proprium ipsius iustitiæ, de quo in l. iustitia. ff. de iustit. & iur. Hinc intelligimus quam impiè, & calumniosè operantur illi improbi viri, qui alios offendunt sine causa. Per hanc distinctionem, atque eius declarationem habemus (ni fallor) solutionem ad articulū. Si quid autem vlterius desideretur illud potest haberi, & cognosci ex his, quæ diximus supra in hac eadem quæstione, articulo quarto. Et propterea sint ista satis.

Quotuplex sit præcedentia. Art. 9.

Præcedentiam non esse vnicam satis clarè cognoscitur, ex his, quæ supra in præcedentibus articulis diximus, vnde in præsenti oportet adnotare quotuplex illa sit. Vt autem breuiter referam quid alij nos doceant, Abb. in cap. statuimus, post princ de maiori. docet maioritatem, & sic præcedentiam, alia esse ordinis, aliam dignitatis, aliam consecrationis, & aliam senectutis. Hæc distinctio non videtur vndique satisfacere, cum desumatur ex diuerso capite vltra prædicta, vt diximus supra articulo 7. Et propterea alia methodo vti debemus ad rei propositæ cognitionem: vno tamen prius præsupposito ad illius intelligentiam, quod videlicet cum præcedentia sit fundata in quadam qualitate, quā mediante quis prætendit primum locum, sequitur inde (ni fallor) præcedentiam esse diuidēdam ad diuisionem istius qualitatis. Quotuplex enim illa erit, tot specierum erit etiam ipsa præcedentia. Et cum intentio nostra sit, vt diximus, so uere articu'ū de præcedētia, quæ competit homini, hinc

est,

est, quòd in primis prædicta qualitas, & sic præcedentia, potest considerari secundum naturam eius, & propterea sicut vna reperitur in homine a natiuitate eius; altera verò postea superuenit; ita etiam præcedentia vna potest dici naturalis, altera verò accidentalis. Secundo distinctio eiusdem desumitur a doctoribus a fine, argumento doctrinæ Cassan. in d. consider. 52. Vnde sicut finis hominis alius est diuinus, alius verò humanus; ita præcedentia videtur alia diuina, alia humana; vna ciuilis, alia Christiana. Tertio desumi potest ab authore, & sic præcedentia vna est acquisibilis seu acquisita a se ipso: altera verò est data seu dabilis, ab alio. Et ratio est, quia homo sua libera voluntate acquirit prædictam qualitatem, & sic præcedentiam, vt contingit per acquisitionē scientiarum. Aliquando verò similis qualitas ab alio sibi datur, vt apparebit ex infra dicendis, & propterea vera videtur distinctio. Quarto Alia præcedentiæ diuisio desumi valeat a qualitate materiæ, quæ licet supra sit diuisa respectu fortunæ, corporis, & animæ, in præsenti tamen satis erit eam adnotare iuxta tot. tit. in li. de reb. corpo. & incorpo. vt quædam sit spiritualis, quædam verò corporalis, Vnde præcedentia diuidi potest ita videlicet, quòd vna sit spiritualis, altera verò corporalis, Et ratio est, quia sæpè videmus aliquem honorari aliquādo litteris, & aliquādo aliquo actu corporeo Quinto desumi pōt alia distinctio a forma, & a modo, & sic præcedentia vna erit simplex, altera verò solemnis. Hinc videmus, quòd aliquando non solum alicui datur certus locus iure præcedentiæ sibi debitus, sed etiam ille aliquo modo ornatur, & sic aliqua solemnitate solemnizatur. Sexto Diuiditur aliquando præcedentia a tempore, & propterea vna erit perpetua: altera verò temporanea, idque exemplo diuersorum Officialiū cognosci potest. Siquidem quidam promouentur ad officium, seu dignitatem perpetuam, vt Episcopus quidam verò ad officium temporaneū, vt illius Vicarius. Settimo Alia diuisio eiusdem desumitnr etiam a loco. Vnde vna præcedentia est localis, altera vero vniuersalis, cum clari sit iuris, & facti alicui deberi præcedentiam: aliquando incerto loco tantū: aliquando verò vbicunque ipse reperiatur. Ottauo diuidi illa etiā posset a medio, siquidem sicut præcedentia debetur alicui aliquando proprio illius iure, aliquando verò aliqua alia persona, vel re mediante; ita etiam vna videtur esse mediata, altera verò immediata. Ex quibus omnibus videtur concludendum, quòd sicut capita, vt supra relata, sunt multa, & diuersa, ita etiam diuersæ distinctiones de præcedentia adnotari debēt, atque ad similitudinem prædictorū aliæ fortasse diuisiones de præcedentia desumi possent a diuersis alijs accidentibus, ad similitudinem præsertim ordinis, de quo satis copiosè diximus supra q. 2. iuxta propositum institutum, & videndi sunt docto. in l. 2. §. prius, ff. de vulg. & pup, de quibus omnibus quoniam non potest dari certa regula; ideò sit satis illa adnotasse.

Cui

Cui competat præcedentia. Art. 10.

SOlutio istius Art. adeò videtur clara, vt non indigeat aliqua declaratione. Clarum est enim per ea, quæ supra diximus, nos loqui de præcedentia hominis, & nō alterius rei, nisi respectu ad hominem, argumento. §.. fi. insti. de iur. natu. §. fi. institu. Cā. de Eccles. cōst. & l. 1. ff. de statu homi. & propterea homini illa dicitur competere. Cæterum ne intactū illud relinquamus, ideò puto animaduertendū, quòd cum in hac quæstione tractemus de præcedentia in communi, hinc est, quòd etiam in communi aliquid circa hunc articulum conuenit adnotare. Et propterea conclusiuè procedēdo dicimus præcedentiam illi competere, qui dicitur, & est maior, atque ratione suæ maioritatis. Et ratio est, quia præcedentia denotat, vt sæpè diximus, qualitatem quādam, qua res vna, vel homo vnus dicitur maior altera, & altero. Hinc legimus in iure primum locum deberi ei, qui in altiori dignitate reperitur constitutus. l. 1. ff. de in albo scribendo l. fi. C. vt dignitatū ordo seruetur. Thob. Non. in cons. 72. numero 7. Gig. in cons. 100. numero 5. & seq. & Rui. in cons. 19. numero 9. vol. 1. cum vulg. Hæc iuris conclusio, licet sit clara, difficultatē tamen circa illud præsertim facit, quòd sæpè contingit, vnam, & eandem rem in comparatione ad aliam esse vno respectu maiorem, alio verò minorem. Idque exemplo doctorum cognosci potest. Diximus enim supra ad mentem Decij in d. l. cum quid, ff. si cert. pet. quòd aliquando vnus doctor est maior altero ratione prioritatis temporis. Est tamen eodem minor ratione exercitij, ex quo doctor tempore posterior dicitur maior si fuerit publicus lector. Ad quam difficultatem facile est respondere, siquidem conclusio proposita est semper vera in theorica. In executione tamen non est inconueniēs, vt aliquando recipiat limitationem propter obiectionem, vt supra factā. Ratio autem vlterius talis potest assignari, quod videlicet nemo sit, qui dubitet maiorem esse præferendum, & præcedentiam ei deberi. Dubium tamen quotidie occurrit, An talis sit maior reputādus, & successiuè quod nam caput maioritatis, & præcedentiæ in decidendo huiusmodi dubiū sit sequendum, cum capita maioritatis sint plura, & diuersa, vt diximus supra articulo 7. Secundo quoniam non est inconueniens, vt supra dicebamus, vnam, & eandem rem diuersa ratione esse maiorem, & minorē. Hinc est, quòd omnis controuersia in materia de præcedētia, quoad practicam attinet, videtur reducenda ad duo capita, quorum vnum est, An res de cuius maioritate agitur sit maior. Alterum verò est, dato illam esse maiorem, cum alia ratione possit esse minor, quod nam maioritatis caput attendi debeat ad definiendū dubium propositum. Vnde difficultas reducitur ad cognitionem maioritatis alterius capitis de prædictis. Quæ cognosci debet partim ex supradictis, partim verò ex infra dicendis. Et ita obiectio remanet

soluta, & articulus videtur inde vndique clarus.

Contra quem competat præcedētia. Art. 11.

SVpra suo loco duo adnotauimus de præcedentia, primo quòd sit quædam qualitas, denotans excellentiam rei, seu personæ, in qua reperitur: secundo quòd ista qualitas dicat relationem ad aliam rem. Hinc est, quòd quis prætendit habere maioritatem, & sic præcedentiã super alio. Ex qua declaratione habemus (ni fallor) solutionem ad præsentem articulum, & propterea ex toto tit. de maiori. & obed. intelligimus, quòd maioritas consistit aliquando in quadã præeminentia tantum, vt adnotat Archidiaconus in c. 1. de consuet. in 6. Aliquando verò consistit in d. præeminẽtia, & præcepto, ex quo maior potest aliquando etiam præcipere c. cum inferior eodem, cum ibi adnot. Minoritas autem consistit in obediẽtia, iux. d. rubricam. Aliquando verò in reddendo maiori illum honorẽ, qui ei debetur, ita quod si talis minor illum nõ redderet, sicut priuaret prædictum maiorem dicto suo honore, ita etiam sua præcedentia, vt clarius infra suo loco dicemus. Vnde ex his habemus, vt puto, solutionem ad articulum. Contra quam occurrit dubium, quòd cum res quædam sint ad inuicem necessariò subordinatæ, vt sunt gradus potestatis, ordinis, & iurisdictionis, de eis articulus videtur esse de indubitabili, vt infra suis locis clarius dicemus. Quædam verò aliæ res non habent ad inuicẽ huiusmodi ordinẽ, & propterea meritò quidem quæreret aliquis, An in istis solutio artic. possit verificari. Cui dubitationi ita videtur de iure esse respondendum, quod qui habet prædictæ maioritatis, & præcedẽtiæ qualitatem adeò ei illa competit, vt contra quemlibet eam impugnare volentem prætendere valeat. Sicut enim de iure diuersa cõpetunt remedia ad prosequendum quod sibi debetur contra quemlibet iuxta tot. tit. insti. de actio. & de interdict. ita etiã hoc idem videtur dicendum de casu proposito. Et propterea non oportet considerare in præsenti; An ille contra quem prætenditur præcedentia, sit subordinatus, vel non. Ex quo puto inferendum tit. præd. de maio. & obed. principaliter esse intelligendum de personis subordinatis secundum gradus potestatis, ordinis, & iurisdictionis. Secundariò vero etiam de alijs maioritatem prætendere, & respectiuè impugnare volentibus. Et sic habemus solutionem ad articulũ, & ad obiectum.

Quomodo competat præcedentia. Art. 12.

INtelligentia istius articuli videtur desumenda ex his, quæ diximus in præcedentibus quæstionibus. Præsertim autem quæstione prima, articulo 14. & q. 2. articulo 7. & propterea ad prædicta loca esset recurrendum. Cæterum si solutio, quæ inde desumi posset, non placeret, esset fortasse desumenda ex his, quæ diximus supra in hac quæstione nostra, art. 9. Siquidem si hoc est verum, quòd præ-

præcedentia alicui tribuatur, aliquando simpliciter, & aliquando sub certa forma, inde infertur quo modo illa competat. Vnde tota difficultas in eo videtur consistere, vt intelligamus qualis sit, seu esse debeat huiusmodi forma, atq; modus. In communi enim non videtur possibile dari posse certam regulam ad id cognoscendum, siquidem sicut præcedentia variatur, vt constat ex deductis, ita etiam hoc idem videtur dicendũ de præd. forma, & modo, & propterea satis erit adnotare causam talis mutationis. Obseruo igitur huiusmodi modum, & formã dari aliquando per aliquam constitutionem, vt videri potest in diuersis collegijs, in quibus non solum prouidetur, vt vnicuique assignetur locus sibi debitus, sed etiam, vt ille tribuatur sub certa forma, & modo, vbi autem constitutio deficit sæpè consuetudo supplet quæ per vulgarem doctrinam de qua in l. de quibus ff. de ll. & in cap. fi. de consuet. idem operatur. Et casu quo nullo iure ad hoc prouideatur, tunc id dependeret a iudicio superioris iuxt. vulg. reg. qua cauetur, quod in iure non est definitum, dicitur esse in arbitrio iudicis iuxt. l. 1. ff. de iure delib. qui aliquando ad euitanda inconuenientia tenetur omnino prouidere, hinc est, quòd in practica sæpè iudices aliquid definiunt per modum prouisionis, & sine præiudicio iuriũ ipsarum partium. Hæc autem prouisio si facta non esset, tunc videtur de iure dicendum quemlibet habere libertatem tribuendi præcedentiam eo modo, & forma, quæ sibi magis placeret. arg. l. cum Prætor in principio ff. de iudi. Atque hæc sũt quæ videbantur adnotanda pro solutione istius Articuli, & propterea in primis oportet animaduertere, An talis forma sit introducta a iure, vel ab homine antequam quis faciat quod sibi placet.

Quando competat præcedentia. Art. 13.

Articulus iste non videtur habere aliquam difficultatẽ, siquidem diximus supra præcedentiã cõsistere in quadam qualitate, quæ denotat præeminentiam vnius personæ in comparatione ad aliam, & cum ista relatio non occurrat in quolibet tempore, ideò non semper competit præcedentia. Vnde per oppositum tunc illa dicitur competere, quando videlicet occurrit talis respectus. Hinc est, quod solutio istius articuli potest cõsiderari dupliciter, primo virtualiter, & sic semper illa competit, cum prædicta qualitas sẽper præsumatur esse in homine, qui illam acquisiuit. Secundo actualiter, & sic tunc competit quando videlicet iste reperitur cum eo, cuius respectu illam prætendit. Ad hæc addi potest, quod supra adnotauimus articulo 9. vbi dicebamus præcedẽtiam vnam esse perpetuam, alteram verò temporaneam. Vnde vna videtur competere omni tempore. Altera verò tempore definito. Hinc intelligimus quomodo præcedẽtia cõseruari valeat, siquidem si in occurrenti casu præcedentia alicui debita ab eo tribuatur, qui ad eam omninò tenetur, sine dubio illa conseruatur.

Si verò nō exhibeatur, ea spoliatur, & successiuè agendum esset de recuperatione, de cuius quidem acquisitione, conseruatione, atque recuperatione, quoniam infra sumus dicturi, ideò sit satis hoc tantum in præsenti adnotasse.

Vbi competat præcedentia. Art. 14.

QVoniam in iure validum est argumentum a tempore ad locū, hinc est, quòd quæ dicta sunt in præcedenti articulo de tempore præcedentiæ. Illud idē potest affirmari de loco eiusdē, & propterea sicut vna præcedentia debetur in quocunque tempore, altera verò in tempore definito; ita etiam vna debetur in quocunque loco, altera autē in loco determinato. Ad hæc duo capita præcedentiæ temporis, & loci addi debet, quod illi, quorū vnus est maior altero, sub duplici respectu ad inuicem aliquando conueniūt, videlicet aut ad eorum officium exequendū, aut extra illud ad aliquid faciendū. Primo modo casus adeò videtur clarus, vt difficultatē non habeat, idq; exemplo clericorum in celebrando cognosci potest, cum in celebratione diuinorum nemini sit dubium sacerdoti esse seruiendum a Diacono, Diacono verò a Subdiacono, & ita de reliquis; & propterea in can. a Subdiacono, distin. 93. adnotatur ordo, maioritas, & minoritas omnium Clericorum ad inuicem. Vnde exemplo eorum hoc idem est dicendum de omnibus alijs habentibus inter se maioritatem, & minoritatem circa aliquod munus exequendum, iux. ea de quibus infra sumus dicturi. Si enim aliter esset peruerteretur ordo huiusmodi graduum, quod non est dicendum, cum repugnet rationi naturali d. text. Can. a Subdiacono, & tot. tit. de maio. & obed. At secundo modo quæstio ista de præcedentia nil aliud videtur denotare, nisi quòd ille, qui est inferior, tribuat honorem, & sic præcedentiam maiori, quia si aliter faceret, illum priuaret suo iure, atq; iniuria afficeret, vtcūq; autem caput non videtur contingere in quolibet tempore, & loco, & propterea fuit conueniens, ne dicam necessarium, adnotare quid iuris de Articulis propositis. Qua de re cum per deducta habeamus solutionem ad propositum articulum, ideò studendo breuitati non videtur necessarium circa illum aliud adnotare.

Quibus medijs præcedentia debeatur. Art. 15.

DIfficile videtur esse cognoscere quibus medijs præcedentia debeatur, cùm de ea in communi loquamur. Si enim illa deberetur eisdem medijs, quibus debetur honor, non esset opus vlterius procedere. Siquidem articulus iste solui posset ex his, quæ diximus supra q. 1. artic. 15. Cæterum vt de re proposita aliquid adnotemus, puto animaduertendum, quòd mediū istud nequeat respicere præcedentiam secundum eius naturam, & sic simpliciter, cum sub hoc respectu satis sit considerare eius essentiam cum suis attributis; Ideò si aliud respiciat, sicuti videtur neces-

necessarium, cum medium sit inter duo; id erit aut acquisitio, aut retentio, aut amissio, aut recuperatio eiusdem. Vnde intelligentia articuli illa videtur esse, vt inueniamus, atque cognoscamus, quo medio præcedentia acquiratur, aut retineatur, amittatur, aut recuperetur, de quibus cum infra in proprijs articulis simus dicturi; ideò in præsenti, cum de medio sub hoc respectu non conueniat aliquid adnotare, hinc est, quod in communi satis erit illud obseruare, quod tale medium adnotari debeat, aut ex parte prætendentis præcedentiam, aut ex parte eius, qui eam tribuere tenetur. Primo modo cum illud reducatur ad prædicta quatuor capita, nempe acquirendi, retinendi, amittendi, & recuperandi, atque de illis infra dicemus; ideò vlterius procedendo secundo respectu puto dicendum, quòd sicut quis potest esse obligatus ad dandam alicui præcedentiam diuersimodè, cum illa sit multiplex, & diuersa; ita etiam hoc idem est dicendum de huiusmodi medijs. Hinc est, quòd si quis prætenderet præcedentiã loci cedendo eidem locum, aliud non requiritur, nisi dicamus, quòd talis locus eidem debeatur, & successiuè detur per sedis traditionem, iux. tradita a Boer. in suo tract. de autho. magn. consi. nu. 41. & 120. & seq. Ex quo infertur medium tribuendi præcedentiam esse tale, qualis ille fuerit, cui debet, & propterea si præcedētia esset danda in permittendo, vt quis primo dicat votum suum, iuxta tradita ab Afflict. in sua prima decis. & ibi Vrsill. debet id permittere non simpliciter, sed mediante silentio; & sic etiam in tali casu intelligimus huiusmodi medium. Vnde a simili procedendo, hoc idem videtur dicendum in alijs casibus, in quibus mediũ præcedentiæ considerari posset. Atque hoc modo puto soluẽdum esse articulũ.

An, & quo modo præcedentia acquiratur. Art. 16.

QVonia ex distinctionibus, vt supra datis, de præcedentia habemus vnam esse naturalem, alteram verò accidentalem, propterea inde infertur vnam posse acquiri, alteram verò secus. An autem hoc sit verũ, non est omnino clarum, siquidem si ista distinctio esset sequenda, sequeretur, præcedentiam vnam esse a nobis insepatabilem, quod videtur falsum, arg. tex. in §. quod autem, instit. de capi. diminu. Sicut enim cognatio tollitur per maximam capitis diminutionem, quamuis illa sit de iure naturæ, vt ibi legimus; ita etiam hoc idem videtur de præcedentia naturali: secundo per l. & seruorum ff. de stat. homi. vbi cauetur, posse aliquem se ipsum vendere, vt etiam docet imperator, in §. serui autem insti. de iur. perso. Vnde sicut quis potest sua libertate se priuare, licet illa sit a natura; ita etiam hoc idem videtur affirmandum de d. præcedentia naturali. Tertio stante prædicta distinctione, præcedentia accidentalis videretur posita in potestate nostra quod cum non sit dicendum per ea, quæ diximus supra q. 1. art. 11. sequitur inde per prædictam distinctionem nõ haberi solutionem ad articulum.

Quid

Quid igitur dicendum? prædictis nō obstantibus, puto cum d. distinctione soluendum esse articulum, ita videlicet, quòd præcedentia vna sit a nobis acquisibilis, secus verò altera. quæ quidem iuris conclusio confirmari posset, arg. glo. rubr. instit. iur. cano. de vita, & honest. vbi legimus, triplicem esse vitam, videlicet naturæ, disciplinæ, & gratiæ. Vnde sicut vita vna est naturalis, reliquæ verò duæ possent acquiri per disciplinam, & modum viuendi Christianū, ita etiam a simili hoc idem posset affirmari de præcedentia. Nec obst. argumenta supra in contrariū adducta, quia ad primum respondetur, quòd cognatio naturalis dupliciter consideratur: primò ratione propriæ substantiæ: secundo ratione effectus ciuilis. Primo modo argumentum omnino limitatur per text. in l. iura sanguinis. ff. de reg. iur. At secundo respectu illud omnino verificatur, & cum hoc idem possimus asserere de ipsa præcedentia naturali, ideò argumentum non videtur obstare. Ad secundum puto eodē modo esse respondendum, siquidem si quis vēdat se ipsum ad preciū participandū, vt in dictis iuribus habetur, priuat libertate, solùm quoad effectus ciuiles, nō autem quoad substantiā illius, & propterea videmus illum effectus naturales retinere. §. eadem lege, instit. quibus ex cau. manum. atq; tot. titu. instit. de cognat. seruor. Vnde hoc idem videtur dicendum de prædicta præcedentia naturali. Ad tertiū deniq; dicimus, distinguendo tamē, quòd si prædicta præcedentia accidentalis consideretur a principio, tūc videtur esse in potestate nostra; cum nemini sit dubium nos libertatem habere; exempli gratia, litteris operam dare, vel non, propter quas præcedentia debetur. At postquam illa esset acquisita, videtur vlterius distinguendum ponderando causam illius, atque eiusdem executionem ad similitudinem potestatis ordinis. Sicut enim potest quis priuari per se, vel per aliū executione dictæ potestatis, nō autem illius substantia c. 1. de ordin. ab epis. qui renunc. &c. Ita etiam hoc idem videtur dicendū de prædicta præcedentia, postquam illa acquisita fuerit, & sic argumentum videtur solutum. Vnde postquam vidimus præcedentiā esse acquisibilē, conuenit modo, vt videamus qua via illa acquiratur. Ad idem autem cognoscendum conuenit præmittere, quæ natura præcedentia sit acquisibilis. Cuius quidem rei cognitio desumi debet (ni fallor) ex his, quæ diximus supra art. 9. Vbi adnotauimus, quòd cum præcedentia sit multiplex, ideò vna videtur acquisibilis, secus verò altera. Et cum non cōueniat, illa hic repetere; ideò quoad modum eam acquirendi attinet, dicimus, quòd illa aliquando acquiri posset per viam studij bonarum litterarum, cum sit fundata in sciētijs, & artibus, de quibus infra sumus dicturi. Aliquando verò per viam successionis, vt est illa, quæ reperitur fundata in certa specie dignitatis, vel nobilitatis de quibus similiter infra dicemus. Item acquiritur aliquando per viā promotionis ad aliquod officium, seu speciem dignitatis, licet ista promotio diuersimodè fiat, sed

sed non est præsentis loci de ea pertractare. Rursus illa eadem acquiritur per viam priuilegij a Principe concessi. Item per viam tituli luchratiui, vel onerosi, vt contingit quando quis acquirit ius patronatus in aliqua Ecclesia iuxt. tot.tit. de iure patron. quod quomodo acquiratur, adnotatur præcipuè per Abb. super rubr. eiusdem tit. cuius effectus esto, vt patrono exhibeatur honor, & successiuè præcedentia, Vnde a simili procedendo, sicut illa acquiritur modis prædictis; ita etiam videtur dicēdum, vt in alijs eiusdem casibus acquiratur alio simili modo.

Quomodo præcedētia conseruetur. Art. 17.

AN sit facilius præcedentiā conseruare, vel acquirere, non est præsentis contemplationis. Vnde quantum facit ad propositum institutum, videtur dicendum, quòd sicut possessio, & dominiū ipsarum rerū conseruatur per vnum earum, & propterea possessio secundum vnā eius definitionem describitur, vt sit vsus rerum, sicuti docet Iurisc. in l. quæstio est ff. de verb.sign. ita etiam per vsum illius qualitatis, in qua præcedentia consistit, illa videtur conseruari. Rursus quemadmodum priuilegia conseruantur per eorum vsum, & propterea docent doct. quòd si quis non vtatur priuilegio, dicitur illud amittere, vt cæteris omissis videri potest apud Bart. in l. beneficium, in fi. ff. de consti. princi. glo. fi. super c. suggestum, de decim. Ita etiam hoc idem est dicendum de præcedentia. Hinc est, quòd si quis consequutus sit gradum doctoratus ob scientiam, & postea cognoscatur talem esse imperitum, ex quo illa vti non potest, cum non habeat, vel eam amiserit, potest, & debet tali gradu priuari iux. tradita, præcipuè per Abba. in c. 1. in fi. de magist. Hæc autem omnia non videntur verificāda de qualibet præcedentia, sed solum de illa, quæ competit per modum perpetuum, iuxta distinctionem enim vt supra de ea datam in articulo 9. habeamus vnam præcedentiam esse temporaneam, quæ expirat transacto tempore, vt contingit de illa, quæ ratione dignitatis tēporaneæ ad tempus debetur, vt accidit in Vicario Episcopi, Iudice delegato, Auditoribus Rotæ diuersarum Ciuitatum, & similibus. Rursus ad hunc articulum est etiam adnotandum quòd præcedentia debet cōsiderari aut respectu suæ causæ, aut respectu executionis, & effectus eiusdem, vt supra quoque dicebamus. Primo modo sicut causa ista reperitur in homine aliquando per modum inseparabilem, aliquando verò per modum separabilem, & aliquando quasi inseparabilem: ita etiam difficile videtur adnotare certam regulam pro cognitione isti articuli cum secundum qualitatem eius cognosci valeat, qua via illa sit conseruanda. Ad prædicta tamen sunt adnotanda exempla, vt supra adducta. At secundo modo duo requiruntur, vt mea fert sētentia ad cōseruationem præcedentiæ. Primo vt homo honestè viuat; Hinc est, quòd ob inhonestam vitam, sicut priuatur clerico omni priuilegio clericatus,

catus, iux. glo. ad c. 1. de pæn. in 6. & sic priuatur etiam exercitio ordinis, licèt non possit priuari ipso met ordine, vt dicit ibi glo. ita etiam priuaretur quis præcedentia ratione effectus, licet priuari aliquando nequeat causa eiusdem. Secundo requiritur vsus prædictus, siquidem quamuis alicui competat præcedentia, si tamen illa eidem non tribuatur, & ipse non curet, vt sibi detur, sicuti debetur, sine dubio non conseruaretur; vnde per oppositum, vt illa conseruetur, requiritur, vt diligentiã adhibeat ad illius cõsecutionem, & successiuè ad eiusdem cõseruationẽ.

An, & quo modo præcedẽtia amittatur. Art. 18.

SI esset semper vera illa cuiuslibet professionis propositio, quòd cõtrariorum eadem sit cognitio, & disciplina. l. 1. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. instit. de tutel. in prin. cum vulg. non esset fortasse necessarium de re proposita hic aliquid adnotare, cùm eius intelligẽtia desumi possit ex his, quæ diximus supra in præcedẽtibus articulis, videlicet 16. 17. Verùm quia ista cõclusio diuersimodè limitatur arg. totius titu. insti. quibus mo. patria. po. dis. hinc est, quòd pro solutione illius articuli conueniens est aliquid vlterius animaduertere vltra ea, quæ deduci possunt ex prædictis articulis: Vnde ad eius intelligentiã præmittere debemus præcedentiam esse considerandam, primo ratione causæ illius: secundo ratione executionis eiusdem. Primo modo, cum vna sit omnino inseparabilis, & propterea amitti nequeat; altera verò, licet in homine reperiatur per modum perpetuum, potest nihilominus ab eo aliquando remoueri. Hinc est, quòd ex hoc capite potest contingere amissio illius. At secũdo respectu qualibet præcedentia videtur amissibilis, & propterea hoc præmisso, atq; disputatione omissa; dicim⁹ primo, quòd sicut præcedentia potest aliquo modo ab homine separari, ut cõstat ex deductis; ita etiam potest amitti, & propterea prima pars articuli videtur vndique clara, nunc autem quoad modũ illã amittendi attinet, cum distinctione conuenit demonstrare quid iuris. Præcedentia igitur amittitur aut facto hominis illam habẽtis, aut facto alieno, aut dispositione iuris. Primo modo aut homo spontè eam refutat, & contemnit, & sic propria, & & libera eius voluntate illam amittit, idque sæpè contingit, renunciando dignitati iuxta capit. 1. de Episcopo, qui renuntiauit cap. nisi de renunciat. cum simil. aut non spõtè sed coactè, siquidem cum præsuponatur commisisse aliquod delictũ, propter quod sicut priuat honore, & dignitate iux. cap. 2. de pæn. in 6. tot. tit. instit. iur. can. de degrada. ita quoque priuatur præcedentia. At secundo modo huiusmodi factum aliquando, est fortuitum, vt contingit per aliquam ægritudinem: hinc est, quòd docent logici in prædicamento qualitatis, scientias quamuis perfectè acquisitas propter certam infirmitatem posse amitti, & aliquando de facto fuisse amissas. Aliquando verò tale factum est etiã a lege approba-

proba-

probatum, vt contingit de prælato, qui transfertur de vna Ecclesia ad aliam iux. tot. titu. Decretal. & dict. Instit. de translat. prælat. Rursus aliquando id occurrit ex propria natura causæ eiusdem, quando videlicet quis esset promotus ad aliquam dignitatem ad tempus, vt sunt Duces exercituum militariũ, transacto enim tempore, dicitur etiam finita d. causa præcedentiæ, & ad hoc facit cap. de causis cũ ibi adnotatis de off. & potest. iud. delega. Hinc est quòd legimus lib. 1. dictarum instit. dignitatẽ ecclesiasticam finiri aliquando translatione, aliquando renunciatione, et aliquando degradatione, vt adnotat ibi glo rubr. de transla. probat. text. in §. fi. eadem instit. de Correpiscop. vsu. sublat. atque per proprium titu. ibidem positum. Et cum per hæc intelligamus quoque quomodo præcedentia amittatur dispositione iuris, successiuè intelligamus (ni fallor) modos omnes saltem principales, quibus præcedentia amitti valeat, vltra eos, qui inferri possent ex deductis in alijs artic. & propterea non oportet vlterius procedere.

Quibus modis præcedentia recuperetur. Art. 19.

Recuperare præcedentiã duplici modo euenire potest, videlicet per viam iudicij, & sic de eius recuperatione dicemus infra in propria quæstione, atque per viam extraiudicialem, & ita sub hoc respectu de ea est aliquid hic adnotandũ. Et sic vt cognoscamus quid sit dicẽdum, oportet prius id præmittere quod diximus in præcedenti articulo. Si igitur præcedentia sit amissa libera voluntate, vt exẽpli gratia per viam renũciationis, tunc aliquando contraria voluntate recuperari potest, & aliquando secùs arg. cap. super hoc, cum cap. seq. de renunciat. c. post translat. eodem. At si illa amissa fuerit ob aliquod delictum, vt diximus; tunc illius recuperatio, licèt dependeat a gratia ipsius principis reintegrantis talem personam in pristinum iux. l. fi. cum ibi adnot. C. de senten. pass. cum simil. nihilominus dependet etiam aliquando voluntate propria iux. tex. in c. testimoniũ, & ibi glo. & doct. de testi. Ex quo enim diffamatus non potest esse testis, & a simili non conuenit, vt præcedat; ita quoque sicut per emendationem vitæ reintegratur ad testificãdum vt ibi definitur, ita etiam ad præcedendum. Rursus si quis priuatus fuerit præcedentia propter aliquod factum fortuitum, vt contingit in eo, qui scientiam amisit propter ægritudinem, illam recuperando dicitur etiam recuperare præcedentiam, quia sicut cessante causa cessat effectus, c. cum cessante de appella. & ibi doct. ita etiam causa recuperata effectus eitam recuperatur. Ex quibus puto inferendum hominem priuari præcedentia aliquando modo reuocabili, & aliquando modo irreuocabili, & successiuè non recuperabili. Quamuis autem ex infra dicendis in specie id totum cognoscatur, in præsenti tamen conuenit in communi aliquid adnotare de proposita præcedentiæ recuperatione. In primis autem illam esse, vel non

catus,iux.glo.ad c.2.de pæn.in 6. & sic priuatur etiam exercitio ordinis, licèt non posſit priuari ipſo met ordine,vt dicit ibi glo.ita etiam priuaretur quis præcedentia ratione effectus,licet priuari aliquando nequeat cauſa eiuſdem. Secundo requiritur vſus prædictus, ſiquidem quamuis alicui compétat præcedentia, ſi tamen illa eidem non tribuatur, & ipſe non curet, vt ſibi detur, ſicuti debetur, ſine dubio non conſeruaretur; vnde per oppoſitum, vt illa conſeruetur,requiritur, vt diligentiã adhibeat ad illius cõſecutionem, & ſucceſsiuè ad eiuſdem cõſeruationẽ.

An, & quo modo præcedẽtia amittatur. Art. 18.

SI eſſet ſemper vera illa cuiuſlibet profeſsionis propoſitio,quòd cõtrariorum eadem ſit cognitio, & diſciplina.l.1.ff. de his,qui ſunt ſui,vel alien.iur.inſtit.de tutel.in prin. cum vulg. non eſſet fortaſſe neceſſarium de re propoſita hic aliquid adnotare, cùm eius intelligẽtia deſumi poſſit ex his, quæ diximus ſupra in præcedẽtibus articulis,videlicet 16. 17. Verùm quia iſta cõcluſio diuerſimodè limitatur arg.totius titu.inſti.quibus mo.patria.po.diſ.hinc eſt, quòd pro ſolutione illius articuli conueniens eſt aliquid vlterius animaduertere vltra ea, quæ deduci poſſunt ex prædictis articulis: Vnde ad eius intelligentiã præmittere debemus præcedentiam eſſe conſiderandam, primo ratione cauſæ illius: ſecundo ratione executionis eiuſdem. Primo modo, cum vna ſit omnino inſeparabilis, & propterea amitti nequeat; altera verò, licet in homine reperiatur per modum perpetuum, poteſt nihilominus ab eo aliquando remoueri. Hinc eſt, quòd ex hoc capite poteſt contingere amiſsio illius. At ſecũdo reſpectu quælibet præcedentia videtur amiſsibilis, & propterea hoc præmiſſo, atq; diſputatione omiſſa; dicim⁹ primo,quòd ſicut præcedentia poteſt aliquo modo ab homine ſeparari,ut cõſtat ex deductis; ita etiam poteſt amitti,& propterea prima pars articuli videtur vndique clara, nunc autem quoad modũ illã amittendi attinet, cum diſtinctione conuenit demonſtrare quid iuris. Præcedentia igitur amittitur aut facto hominis illam habẽtis, aut facto alieno, aut diſpoſitione iuris. Primo modo aut homo ſponte eam refutat, & contemnit, & ſic propria, & & libera eius voluntate illam amittit, idque ſæpè contingit, renunciando dignitati iuxta capit. 1. de Epiſcopo, qui renuntiauit cap. niſi de renunciat.cum ſimil.aut non ſpõtè ſed coactè,ſiquidem cum præſuponatur commiſiſſe aliquod delictũ, propter quod ſicut priuat honore, & dignitate iux.cap.2.de pæn. in 6. tot.tit.inſtit. iur.can.de degrada.ita quoque priuatur præcedentia. At ſecundo modo huiuſmodi factum aliquando,eſt fortuitum, vt contingit per aliquam ægritudinem: hinc eſt, quòd docent logici in prædicamento qualitatis, ſcientias quamuis per ſectè acquiſitas propter certam infirmitatem poſſe amitti, & aliquando de facto fuiſſe amiſſas. Aliquando verò tale factum eſt etiã a lege approba-

probatum, vt contingit de prælato, qui transfertur de vna Eccleſia ad aliam iux.tot.titu. Decretal. & dict. Inſtit. de tranſlat. prælat. Rurſus aliquando id occurrit ex propria natura cauſæ eiuſdem, quando videlicet quis eſſet promotus ad aliquam dignitatem ad tempus, vt ſunt Duces exercituum militariũ, tranſacto enim tempore, dicitur etiam finita d. cauſa præcedentiæ, & ad hoc facit cap. de cauſis cũ ibi adnotatis de off. & poteſt. iud. delega. Hinc eſt quòd legimus lib. 1. dictarum inſtit. dignitatẽ eccleſiaſticam finiri aliquando tranſlatione, aliquando renunciatione, et aliquando degradatione, vt adnotat ibi glo rubr. de tranſla. probat text. in §. fi. eadem inſtit. de Correpiſcop. vſu. ſublat. atque per proprium titu. ibidem poſitum. Et cum per hæc intelligamus quoque quomodo præcedentia amittatur diſpoſitione iuris, ſucceſsiuè intelligamus (ni fallor) modos omnes ſaltem principales, quibus præcedentia amitti valeat, vltra eos, qui inferri poſſent ex deductis in alijs artic. & propterea non oportet vlterius procedere.

Quibus modis præcedentia recuperetur. Art. 19.

RECuperare præcedentiã duplici modo euenire poteſt, videlicet per viam iudicij, & ſic de eius recuperatione dicemus infra in propria quæſtione, atque per viam extraiudicialem, & ita ſub hoc reſpectu de ea eſt aliquid hic adnotandũ. Et ſic vt cognoſcamus quid ſit dicẽdum, oportet prius id præmittere quod diximus in præcedenti articulo. Si igitur præcedentia ſit amiſſa libera voluntate, vt exẽpli gratia per viam renũciationis, tunc aliquando contraria voluntate recuperari poteſt, & aliquando ſecus arg. cap. ſuper hoc, cum cap. ſeq. de renunciat. c. poſt tranſlat. eodem. At ſi illa amiſſa fuerit ob aliquod delictum, vt diximus; tunc illius recuperatio, licèt dependeat a gratia ipſius principis reintegrantis talem perſonam in priſtinum iux. l. fi. cum ibi adnot. C. de ſenten. paſſ. cum ſimil. nihilominus dependet etiam aliquando voluntate propria iux. tex. in c. teſtimoniũ, & ibi glo. & doct. de teſti. Ex quo enim diffamatus non poteſt eſſe teſtis, & a ſimili non conuenit, vt præcedat; ita quoque ſicut per emendationem vitæ reintegratur ad teſtificãdum vt ibi definitur, ita etiam ad præcedendum. Rurſus ſiquis priuatus fuerit præcedentia propter aliquod factum fortuitum, vt contingit in eo, qui ſcientiam amiſit propter ægritudinem, illam recuperando dicitur etiam recuperare præcedentiam, quia ſicut ceſſante cauſa ceſſat effectus, c. cum ceſſante de appella. & ibi doct. ita etiam cauſa recuperata effectus eitam recuperatur. Ex quibus puto inferendum hominem priuari præcedentia aliquando modo reuocabili, & aliquando modo irreuocabili, & ſucceſsiuè non recuperabili. Quamuis autem ex infra dicendis in ſpecie id totum cognoſcatur, in præſenti tamen conuenit in communi aliquid adnotare de propoſita præcedentiæ recuperatione. In primis autem illam eſſe, vel non

esse recuperabilem, ex debitis circũ stantijs cognosci potest. Vnde ex parte personæ dicimus, quòd si ille, qui præsuponitur priuatus præcedentia, factus fuerit propterea incapax, vt contingit ob delicta commissa per gratiam, & dispensationem Principis reintegratur, vt diximus d. l. fi. Alex. & alij in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posthu. secundo si consideretur ipsamet præcedentia, consequenter considerari debet, An illa sit recuperabilis. Ex his enim quæ supra diximus infertur, & apertè cognoscitur, præcedentiam vnam esse recuperabilem, secus alterã iux. c. cum accessissent, & ibi glo. & docto. de constit. Ad hoc addi potest, quod sicut præcedentia amittitur quoad causam, & effectum, licèt nõ semper; ita etiam hoc idem dicimus de eius recuperatione. Atq; ad similitudinem illarum circumstantiarum hoc idem videtur dicendũ de alijs, & sic præcedentia potest aliquando recuperari quoad causam, & effectum: aliquando verò quoad effectum tantum. Rursus aliquando propria solum voluntate, aliquando verò alijs concurrentibus. Qua de re cum ex his habeamus (ni fallor) quibus modis illa recuperari valeat, successiuè intelligimus etiam propositum articulum.

Qua via cognoscatur præcedẽtia. Art. 20.

EST vulgaris propositio apud Philosophos, quod res sicut se habent ad esse, ita etiam ad earum cognitionem. Ex qua infertur, quòd sicut præcedentia in essendo dependet a suis causis, & circumstantijs, iux. c. intelligentia, de verb. signif. ita etiam ab eisdem medijs videtur dependere in cognoscendo, de quibus quoniam supra in præcedentibus articulis sunt adnotata ea, quæ in communi de re proposita excogitare, & apud doct. obseruare valui, ideò in præsenti non videtur necessarium aliud addere, cæterũ nè articulus iste intactus remaneat: ideò pro illius cognitione debemus vlterius imprimis præmittere ad mentem tamen Arist. in lib. poster. quod cognitio alicuius rei habetur aliquando a causa, & aliquando ab effectu. Quoad causas attinet, recurrendum est ad ea, quæ diximus supra in alijs articulis. Quoad effectus verò non potest dari certa regula ob illarum diuersitatem, sed solum secundum maioritatem earum, erit iudicium faciendũ de præcedentia. Et ita ex his desumi potest solutio ad articulum. Quæ solutio, si non placeat, præmittendũ est secundo loco cognitionem istam posse dupliciter considerari, primo respectu præcedentiæ, in communi secundo ratione diuersorum casuũ, & controuersiarum, quæ circa illam sæpè occurrunt. Primo modo difficultatem facit, An in eius explicatione debeat seruari ille ordo, qui obseruatur a scribentibus in tradendis scientijs, de quo diximus supra & alibi. Vnde in præsenti dicimus, non esse eandem rationem de scientia ad ipsam præcedentiam, nisi dicamus illam considerari, vt est pars subiecti legalis scientiæ, & successiuè dubitetur, An debeat explicari, & doceri

eadem

eadem methodo. Sed quoniam de huiusmodi methodo explicandi diximus in nostro tractatu de præmissis ad vniuersam iuris scientiam ideò in præsenti vlterius procedendo quoad secundum caput, vt supra propositũ dicimus, quòd quæstiones occurrentes cognosci, & definiri debeãt, per aliquam constitutionem insuper editam, vt factum fuit a Pio V. & Gregorio XIII. De quorum Bullis diximus supra. Et si talis constitutio non reperiatur, recurrendum esset ad cõsuetudinem, quæ dicitur maximam vim habere circa rem propositam, vt diximus etiam supra, & probat tex. in c. cum olim, de consuetu. quæ si non reperiatur, recurrendum esset ad aliquam doctrinam ob illam vulgarem iuris regulam, opinionem doctorum esse sequendam vbi nullum ius reperitur, vel est omnino dubiũ, iux. tradita per doct. in c. 1. de const. Et si illa similiter non reperiatur, recurrendum esset ad similia iuxt. l. non possunt. ff. de legib. & si vlterius aliquid simile non habeatur, recurrẽdum esset ad iudicium multorum, iux. can. fi. dist. 20. cum melius sit eorum iudicio talem controuersiã definire, quam aliter iuxt. capit. ne innitaris, eod. de consti. & si hoc non placeret tandem recurrendum esset ad ipsum Principem, argu. l. fi. C. de legib. Cuius debet esse proprium adeò casibus contingẽtibus prouidere, ne mala oriantur, cum ipse debeat esse propter populum, & non è contra, vt docent Philosophi politici, & interim posset, & deberet adhiberi aliquod remedium per modum prouisionis, & sine præiudicio partiũ, sicuti sæpè videmus obseruari in practica.

Quid iuris si de præcedẽtia dubitetur. Art. 21.

Solutio istius articuli desumi posset ex his, quæ diximus supra in præcedenti. Cæterum cum eius intelligentia videatur esse longè diuersa a prædicta, propterea dicimus, quòd dubitare de præcedentia diuersimodè potest contingere, & primo considerando illam secundum eius propriam naturam, & sic posset dubitari, An sit quid fauorabile, vel odiosum. Secundo respectu personarũ, quibus, & a quibus debetur. Et sic sæpè quæritur, an præcedentia, de qua esset orta quæstio, cõpetat vni, vel alteri. Tertio an vnus, vel alter sit in quasi possessione illius, atque aliæ similes quæstiones excitari possent, de quibus, vt aliquid hic adnotemus, dicimus ad primum, quòd cum principalis causa præcedentię sit perfectio rerum, in quibus illa reperitur, seu reperiri debet. iuxta tradita supra art. 4. sequitur indè (ni fallor) illam esse quid fauorabile, vnicuique enim videtur clarum huiusmodi perfectionem esse fauorabilem, atque doctores nos docent, huiusmodi causam principalem esse sequendam ad cognoscendum fauorem alicuius rei, vt cæteris omissis docet Brun. in suo tract. de success. fæmi. stan. mas. art. 4. numero præsertim tertio cum alijs ibi per eum adduct. Quæ quidem conclusio, meo iudicio est omninò limitanda, quando talis quæstio esset inter duos, qui, sicut prætendũt præ-

cedentiam, ita etiam prætendunt huiusmodi fauorem. Vnde in tali casu videtur verificari illa vulg. iuris propositio, quod priuilegiatus non gaudet priuilegio contra pariter priuilegiatu n. doct. in ca. auditis, de rest. in integ. vbi præsertim Abb. & Bart. in authen. quas actiones. C. de sacros. eccles. & alij passim, licèt aliquando illa recipiat limitationem, vt ibi adnotatur. Ad secundã autem, & tertiã quæstionem non potest commodè hic responderi, cum illarum solutio dependeat a qualitate facti, ideò oporteret illud proponi iux. l. vt responsum. C. de transact. Non est tamen omittendum solutionem talem esse dandam, vt inter contendentes de præcedentia seruetur debita iustitia; ad cuius obseruantiam sunt animaduertenda ea omnia, de quibus sumus dicturi in quæstionibus seqq.

An in materia præcedentiæ debeat dari vnum, quod sit metrum, & mensura eorum, quæ in ea considerantur. *Art.* 22.

DOcent Philosophi in omni genere dari vnum primum, quod sit metrum, & mensuram omnium existentium in illo genere, vt cæteris omissis, docto discursu docet Zimara in suis Theorematibus theor. 13. per tot. Vnde illud idem videtur dicendum de materia proposita, & propterea videmus etiam in practica, quòd ille, qui in dignitate est proximior Principi, dicitur maior, & sic præcedere debet, atque hac fortasse de causa doct. examinant vtilẽ quæstionem de personis illustribus, & superillustribus, vt videri potest apud eos, a d l. 5. ff. de off. eius vbi præcipuè Dec. est adnotandus. In contrarium tamen facit id, quod supra docuim⁹ in alijs articulis, & præcipuè in tertio siquidem si præcedẽtia denotat qualitatem, qua vnus homo est maior altero, nõ videtur propterea attendendum prædictum metrum, & mensura, sed potius huiusmodi qualitas. Pro solutione puto animaduertendum, prædictus metrũ dupliciter posse considerare, primo in illo genere qualitatis, secundum quam dari debet prædicta præcedentia; secundo ratione personarum de illa contendentium. Primo modo doctrina Zimaræ videtur omnino verificanda. At secundo respectu est potius limitanda, idque totum vno, vel altero exemplo cognosci potest siquidem considerando vnam scientiam, sine dubio in ea dantur gradus, sicuti infra suo loco demonstrabimus. Vnde sicut gradus vnus reperitur supremus, alius vero infimus, vt docet præcipuè Abb. in c. cum in cũctis, de elect. Ita etiam ille, qui acquisiuit supremum gradum talis scientiæ, debet præcedere, cum sit maior omnibus, & successiuè clarè constat prædictum gradum esse illud metrũ, & mensuram, de quo intendit Philosophus, & Zimara loco citato. Qua de re a simili procedendo hoc idem puto dicendum de qualibet qualitate, cuius occasione, & causa quis præcedentiam prætendere valeat. Et quemadmodum capita, ex quibus illa desumitur, adnotauimus supra artic 7. esse nouem; ita etiam in quolibet eorum videtur admittendũ prædictum

dictum metrum. Vel dicas secundo quòd cum præcedentia in toto præsenti tractatu redacta fuerit ad hominem secundum eius naturam; item ratione status, item ratione dignitatis, item ratione nobilitatis, item ratione professionis, item ratione ciuilitatis, & deniquæ ratione potentiæ; ita etiam in quolibet prædictorũ capitum videtur admittendum prædictum metrum, & mensura. Quale autem illud sit, non conuenit hic declarare, cum in explicatione prædictorum capitum veniat adnotandũ.

QVÆSTIO IIII.

De qualitate præcedentiæ. Art. 9.

IN præcedenti quæstione vidimus, quæ erant animaduẽrtẽda de præcedentia in communi, iuxta ordinem doctrinæ; esset modò conueniens descendere ad declarationem specierum eiusdem. Verum quia in re proposita cognitio quarundã illius qualitatum videtur admodũ necessaria ad completam eiusdem intelligentiam, cum inde commodius soluantur diuersæ quæstiones, quæ postea in practica oriuntur, hinc est, quòd iudicaui oportunum illas hic declarare, & postea ad prædictas species deuenire, & propterea de re proposita videndum est.

1 An præcedentia sit quid spirituale.
2 An sit actus alicuius virtutis, & cuius.
3 An admittat magis, & minus.
4 An admittat distinctionem rationis.
5 An, & quomodo detur inter res differentes inter se genere, vel specie.
6 Quomodo detur inter res, quæ sunt eiusdem speciei.
7 Quid iuris quando concurrunt plures illius causæ.
8 Quid iuris quando concurrunt plures causæ ex parte plurium præcedentiam prætendentium.
9 Quomodo interpretari debeat.

An præcedentia sit quid spirituale. Art. 1.

VTilitas istius articuli ex eo cognoscitur, quòd cum plures, ac diuersæ de præcedentia oriantur quæstiones, si illa sit quid spirituale ratio, & intellectus potest aliquid operari ad illarum solutionem; si verò sit quid corporale, ad distinctionem rerum esset recurrẽdum pro solutione earundem: qua de re venien do ad declarationem articuli. Primo quidem aspectu præcedẽtia videtur quid corporale. Siquidẽ sensu corporeo videmus aliquem, exẽpli gratia, sedere in primo loco, vel prius loqui, seu aliquid simile agere in cõparatione ad alium, & sic præcedere. Vnde per tex in §. 1. instit. de rebus corp. & incorp. vera videtur conclusio. In contrarium tamen facit id, quod inter doctores sæpè obseruamus, qui si in aliquo loco conueniũt in vnum, vti doctores, solum qualitas doctoratus consideratur, & attendi-

tenditur cæteris omnibus circũscriptis. Id autem cum solo intellectu cognoscatur, videtur propterea dicendũ, præcedentiam esse quid spirituale. Confirmatur, quia considerando causam illius non sensu corporeo, sed intellectu illa percipitur, & propterea necessariò videtur concludendum idem, quod supra. Solutio istius articuli desumi posset ex doctrina D.Tho.2.2.q.103. artic. 1. vbi examinat, An honor sit aliquid spirituale, vel corporale, Meo autẽ iudicio cum distinctione videtur esse procedendum, vt dicamus præcedentiam dupliciter esse perpendendam, primo ratione effectus: secundo ratione causæ. Primo modo videtur aliquid corporale: secundo verò respectu quid spirituale, & ratio est, quia effectus non cognoscitur, nisi per aliquem actum corporalem, secus autem causa eiusdem. Idque confirmari posset, quia dicunt doct. in l.1.ff.de acqui.poss. vbi præsertim Bart. quòd spiritualia, cum quasi possideantur, successiuè per actum corporalem id contingit. His accidit, quòd si in corporalibus detur quoddam ius spirituale, vt est dominium, & quoddam corporale, vt est possessio, videtur propterea dicendum idem, quod supra. Et cum de huiusmodi distinctione etiam infra simus dicturi, ideò nõ oportet in præsenti aliud animaduertere. Nec etiã videtur necessarium conciliare quæ supra ad vtramq; partem sunt adducta, cum per eandem distinctionem illa concilientur absque alia speciali responsione, & propterea per hæc sit absolutus articulus iste.

An præcedentia sit actus alicuius virtutis. Art. 2.

INtelligentia istius articuli videtur admodum vtilis ad solutionẽ diuersarum quæstionum, cum clari sit iuris, quemlibet actum ciuilem reduci ad aliquam virtutem, vt autem per opposita procedamus, præcedẽtia non videtur reducenda ad aliquã virtutem, cum dependeat a diuerso capite, vt diximus supra quæst. præcedenti, art.7. sed si ad aliquam reduci posset, id raro contingeret, cũ illa sit multiplex, vt diximus in eadem q.art.9. vnde merito, &c. Secundo, si præcedentia esset actus alicuius virtutis, virtus illa, aut esset Theologica, aut moralis. Non primum, quia competeret homini solùm ratione qua est Christian9, quod non est dicendum. Non secundum siquidem extra talẽ virtutem nemo illam prætendere posset, vt de se patet, quod cum non sit tenendũ, ideò idem, quod supra. In contrarium in primis facit tot. tit. de maiorita. & obed. sicut enim de ratione iustitiæ est, vt inferior præstet reuerentiam, & obedientiam superiori, iuxta tamen declarationem D. Tho. in 2. 2. q. 104. art. 3. ita etiam eadem ratione præcedentia est illi exhibẽda, qui de iure est maior, & sic cui debetur. Confirmatur, quia si quis priuaret aliquem sua debita præcedentia, faceret contra debitum iustitiæ, cum actus reuerentiæ dependeat a præcepto istius virtutis, iuxta l.iustitia.ff.de iust. & iur. Vnde his suadentibus, ad prædictã virtutem videtur reducenda. Pro solutione puto animaduertendum,

tendum, præcedentiam diuersimodè esse contemplandam, videlicet: Primo ratione qua conuenit, vel conuenire potest omnibus rebus animatis, & inanimatis: Vnde sub hoc respectu non videtur posse reduci ad aliquam virtutem, cum illa pertineat tantum ad hominem. Secundo ratione qua conuenit homini solum, atq; sub hoc respectu adhuc eã contemplamur: Primo in genere, cum per eam causetur quoddam bonum, atque proprium virtutis est, reddere opus bonum, & sic reducitur ad virtutem in genere. Secundo in specie, atq; sub tali ratione ad diuersas virtutes videtur reducenda secundum qualitatem casus contingentis. Qua de re primo reduci potest ad virtutẽ prudentiæ, quia sicut quilibet hominis actus regulatur a prudentia, cum illa sit recta ratio agibilium; vt passim nos docent Philosophi, ita etiã hoc idem videtur dicendum de præcedentia, cum actus eius a prædicta virtute regulari debeat. Secundo potest reduci ad virtutem iustitiæ, siquidem occasione præcedentiæ hæc virtus potest lædi, & non lædi secundũ qualitatem casus occurrẽtis. Ad hoc autem clarius intelligẽdum expedit adnotare, quòd sicut bona temporalia explicantur in iure in acquirẽdo, in retinendo, & in recuperando, iuxta l. fi. de legib. ita etiam hoc idem affirmari potest de præcedẽtia. Et propterea de huiusmodi actibus illam respicientibus diximus supra q. præcedenti, art. 16. cum tribus seqq. Vnde sicut iustitia potest lædi in quolibet prædictorum actuum; ita etiam ad hanc virtutem illa videtur reducenda. Quæ quidem conclusio posset aliquando limitari in acquirendo. Siquidem, qui acquirit aliquam præcedentiam, non videtur acquirere huiusmodi virtutem, nisi virtualiter, & potentia. Secus autem est dicendum de prædictis alijs actibus, quia postquam præcedẽtia est acquisita, sicut circa eam potest quis lædi: ita etiam læderetur ipsamet iustitia. Tertio potest reduci præcedentia ad virtutem charitatis, cum illius sit proprium diligere proximum, & propterea dicitur etiam amicitia. D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 1. Vnde sequitur, quod si præcedentia denegaretur, proximus nõ diligeretur, quod nõ videtur aliquo modo admittendum. Quarto potest reduci eadem ad virtutem spei, quia qui illam qualitatem acquirit, qua præcedentiam prætendere valeat, videtur quoq; eam acquirere sub illa spe, vt loco, & tempore debito sibi exhibeatur, & sic potest esse actus istius virtutis. Vltimo videtur reducenda ad virtutem temperantiæ, siquidem videmus quosdam adeò esse intemperatos, & imprudentes circa præcedentiam consequendam, vt illam prætendant, quamuis de iure nulla via sibi debeatur, & propterea per huiusmodi actum potius maximam arrogantiam profitentur. Qua de re si eorum desiderium in hac parte moderari debeat, hæc præminentia ab hac virtute erit regulanda. Ex quibus omnibus potest nunc inferri quòd sicut prædictis rationibus sic suadentibus præcedentia reducitur ad prædictas virtutes; Ita etiam alijs similibus eadem videtur reducenda ad reliquas, vt autem solutio istius articuli

ticuli vt supra declarata, vndique re maneat clara, oporteret nunc respondere ad obiecta, verum quia ex deductis inferri potest eorũ conciliatio, ideò non videtur alia specialis respõsio necessaria. Illud tamen puto omnino addendum, huiusmodi articulũ alia via posse declarari, ita videlicet, quod sicut præcedentia consideratur aliquando ratione suæ causæ; & aliquando ratione formali, ita etiam primo modo videtur reducenda ad aliquam virtutem, cum aliquo respectu ab illa dependeat; secus verò secunda ratione, & sic formaliter, atq; hoc alio modo conciliantur, quæ supra ad vtramq; partem sunt adducta.

An præcedentia admittat magis, & minus. Art. 3.

PRæcedentiam non recipere magis, & minus inde apertè cognoscitur, siquidem sicut quis nõ potest prætendere se esse magis doctorem altero, neq; magis Cardinalem altero, cum dignitatis eiusdem speciei ratione essentiæ earum non habeant latitudinem, ita nec præcedentiam; & ratio est ad mentem D. Thomæ 1.2.q.52.art.1. quia huiusmodi dignitates dicunt perfectionem, nisi dicamus hanc rationem limitari, iux. glo. super §. quòd si eligentium in verb. de auctoritate. insti. cano. de electio. In contrarium tamen facit doctrina Arist. lib. de prædicament. c. de qualitate, vbi legimus qualitatem recipere magis, & minus. At quoniam præcedentia est quædam qualitas vt supra demonstrauimus, meritò &c. Pro solutione imprimis conuenit adnotare, diuersas fuisse doctorum opiniones circa habituum latitudinem, augmentum, & decrementum, vt refert D. Thomas in d.q. & articulo. Et cum non sit admodum necessariũ illas recensere, ideò ad mentem eiusdem doctoris Angelici sit satis illud animaduertere, quòd præcedentia sub ratione, qua est quædam qualitas, vt suo loco supra diximus, consideratur dupliciter, primo in abstracto, & secundum formam eius, & sic videtur omninò verum illam non admittere magis, & minus, quemadmodum nulla qualitas ad mentem Arist. loco citato, & sic tenet argumentũ; secundo in concreto, & quatenus aliquis participat de tali qualitate, & ita oppositum est dicendum. Ratio autem illa videtur esse, quia nõ qualitas, sed quale recipit magis, & minus. Hinc videmus scientiam legalem, vt de ea loquamur, non admittere magis, & minus, sed solũ participantes de ea, qui propterea reperiuntur magis, & minus docti. Hoc idem contingit de dignitate, & qualibet alia qualitate, a qua quis præcedentiam prætendere valeat, vt exempli gratia, Episcopalis dignitatis non admittit magis, & minus, & hac de causa omnes Episcopi in ea sunt æquales, ideò vnus non potest dici magis Episcopus altero. In participatione autem oppositum contingit, & propterea vnus est maior altero ratione maioris populi, vel alterius respectus: Vnde hoc idem videtur tenendum de qualibet alia præcedentia, eiusque causa, ex qua illa desumitur. Hinc videmus hac habita consideratione aliquem respectu vnius

debere

debere præcedere, respectu verò alterius teneri illam cedere, vt contingit in qualibet vniuersitate. Si hæc solutio non vndique satisfaceret; posset fortasse aliunde illa desumi, nempe ab aliqua circumstantia, hoc tamen prius præsupposito, quòd qui habet præcedentiam, habet maioritatem, & qui tenetur eā cedere, habet minoritatem, sub ista tamen contemplatione, & propterea inter istas duas personas si non aliter, saltem aliquo respectu admittitur magis, & minus, cum maioritas, & minoritas sint duo extrema, & præsuponant quid positiuum, ob illam vulgarem etiā apud Grammaticos propositionem, quòd comparatiuum præsuponit positiuum. Hoc præmisso, dicimus ad articulum, quod cum præcedentia debeat admittere, & admittat magis, & minus, iuxta tamen declarationem, vt supra datam; aut id cōtingit iuxta expositionem desumptam a doctrina D. Thomæ, vt supra relatam, aut ab aliqua circumstantia, seu accidente. Idque exemplo alicuius gradus potestatis ordinis clarè cognoscitur. Siquidem nemini est dubium duos sacerdotes ratione ordinis esse æquales, in casu tamen præcedētiæ illæ est præferēdus, qui prius fuit promot⁹, vt legimus decisū in c. 1. & ibi doct. de maior. & propterea magis, & minus in casu proposito si nō desumerētur aliūde, sine dubio desumerentur a d. circūstantia, & accidente temporis. Qua de re prædicta præcedentiæ latitudo, siue desumatur, & cognoscatur ab vno, siue ab altero de prædictis, vt supra adnotatus, semper hoc videtur verum illam admittere magis, & minus, & successiuè ex prædictis habemus solutionem ad articulum.

An præcedentia admittat distinctionem rationis. *Art. 4.*

AD intelligentiam istius articuli debemus præmittere differentiā esse præsertim inter Themistas, & Scotistas circa distinctionem diuersorū prædicamentorum, siue prædicatorum existentium in eodem, seu respectiuè diuerso subiecto. Thomistę enim admittunt solū distinctionē realē, & rationis, quibus mediantibus soluunt diuersa quæsita, quæ sæpè occurrunt in cognitione scientiarum, Scotistæ verò admittunt 7. distinctiones, quibus faciunt illud idē, & sunt istæ, videlicet Distinctio rationis, ex natura rei, formalis, realis, essentialis, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè, quæ, quid, & quales sint vltra Scotistas in eorum tractatu, qui inscribitur, Formalitates Scoti, docet etiam Christophorus Iauellus in suo libro quæstionum ad Metaph. Arist. lib. 12. q. 90. Et cum ad intelligentiam, atque solutionem propositi articuli sufficiant distinctiones realis, & rationalis, atque de reali nemo sit, qui dubitet, vt apud docto. obseruare valui, & probat text. in c. fi. de institu. ideò satis esse duxi examinare istū articulū, quoad distinctionem rationis. Quòd igitur ista distinctio de iure admitti non debeat, in primis probat tex. in d. c fi. & in c. per vestras, de iur. patro. vbi legimus, in instituēdis personis ad bene-

neficia non admitti nisi distinctionē personalem, ergo &c. Secundo hæc præcedentia declaratur a docto. in com paratione ad practicam, & non ad Theoricam, ergo alia distinctio nondebet admitti, nisi illa, quæ repe ritur in rebus ipsis, & sic idem, quod supra. Tertio hoc idem confirmari potest per totū tit. C. plus val. quod ag. quam quod simul. concip. In con trariū facit c. cum capella cum ibi adnot. de priuileg. vbi Pontifex soluendo casum sibi propositū cum ista distinctione consequenter eam approbat. Secundo idē probat tex. in c. 2. de ord. cogn. vbi legim' aliud esse aliquid proponere per viam actionis, vel per viam exceptionis. er go &c. Vnde, vt concludamus, solutio articuli illa est, vt detur prædicta distinctio, tam in materia proposita, quàm etiam in tota facultate legali, idque probat tex. in §. si tutor omninò viden. instit. de inoffic. testam. vbi legimus tutorē posse in iudicio aliquid petere, vt tutor, & vt est talis persona. Si enim aliter esset multa orirentur incommoda, vt apparebit ex infra dicendis. Quæ quidem solutio, vt clarius intelligatur, declaratur primo quod eius beneficio declarati debeat sub qua ratione aliquid fiat, sicuti sæpè occurrit in iudi cio, idq; ne altera pars indebitè lædatur. Declaratur secundo, vt habeat locum respectu cognitionis distinctæ, vt passim habemus apud Philosophos, cum vna, & eadem res habe at plura prædicata, quæ ad inuicem distinguuntur, atq; respectiuè cogno scuntur beneficio istius distinctionis. Declaratur tertio etiam quoad res ipsas attinet, hinc videmus Impe ratorem lib. 1. instit. tractasse de suc cessione sub velo legitimæ tutelæ, cum clari sit iuris, quod ille, qui admittitur ad successionem debeat ad mitti ad tutelam §. 1. in fi. d. instit. de legi. patron. tut. & ita ex his inferri potest prædictam solutionē ampliari, & locum habere etiā in iudicio, d. c. 2. c. examinata, c. intellexim', & c. pastoralis, de iudi. Ampliatur etiā in iudicio crimi. iux. adno. per Abb. super rubr. eod. & in c. super his, de accusa. probat tex. in c. cum voluntate, de senten. excom. l. verum ff. de furt. cum simil. Ampliatur quoque in conractibus iux. §. penult. insti. per quas person. nob. acquir. & ad hoc facit doct. Alc. in tract. de præsump. regul. 2. præsumpt. 24. quæ quidem ampliatio extendi potest etiā ad distractum, iux. l. 1. ff. de solu. l. 1. C. eod. cum ibi adnot. Ad hoc facit §. fi. instit. quib. alie. liceat. Qua de re si prædicta distinctio habeat locum in casibus prædictis, videtur etiam sine controuersia verificanda in casibus materiæ propositæ. Nec debent obstare, quæ supra in oppositum sunt adducta, quia ad primū dicimus per dicta iura admitti quidem distinctionem realem, & personalem, & præsertim in collatione beneficiorum, cum repugnet rationi aliquem præsentando se ipsum iudicare idoneū, non propterea excluditur distinctio rationis, cum in certis casibus modò vna, & modò altera de prædictis, tam in cognoscēdo, quàm etiam in decidendo sit omninò sequenda. Ad secundū verò respondetur, quod licèt quæstio proposita pertineat ad

pra-

practicam, non propterea sequitur prædictam distinctionem esse denegandam. Siquidem clarè constat per deduct. illam verificari etiam in practica, & propterea argumentum nō videtur obstare. Ad tertium deniq; dicimus, quod lex, & titulus in contrarium adductus potius confirmat, quam infirmet solutionem prædictam, siquidem si contrahentes vnū faciant, & aliud intendant, cum id aliunde non habeatur, nisi vigore d. distinctionis; ideò argumentum non videtur modo aliquo obstare, & propterea remanet vera solutio supra signata.

An, & quo modo præcedentia detur inter res diuersi generis, seu speciei. Art. 5.

QVoniam in practica sæpe dubitatur de præcedentia rerū, quæ differunt genere, vel specie; ideò, vt intelligamus de re proposita quid iuris, imprimis non videtur admittenda præcedentia in huiusmodi rebus, quia clari est iuris, illam admittere magis, & minus, vt diximus supra articulo 3. & propterea videmus eam dari in rebus in quibus datur magis, & minus, atq; comparatio. At quoniam in rebus differentibus specie, vel genere magis, & minus non videntur locum habere, cum in eis nec comparatio, nec quid positiuum ad id commodum reperiri valeat, ideò nec præcedentia. Secundo docet Philosophus in prima parte libri prædicamentorum, species differre inter se vniuocè, ergò inter illas præcedētia non potest reperiri, cum illa denotet maioritatem, vt supra sæpè diximus; & propterea non videtur recedendum ab ista conclusione, hinc videmus vanū esse disputare de præcedentia inter hominem, & equum. In contrarium tamen imprimis facit tex. in c. statuimus de maiorit. vbi legimus, Sacerdotem præcedere alijs Clericis, & sic personis alterius generis, vel speciei. Confirmatur, quia etiā apud Philosophos quæritur, An vna substantia sit perfectior altera, vnde hoc idē accidit in materia proposita a simili procedendo. Pro solutione istius articuli, cum sit tenenda hæc conclusio, præcedentiam dari, etiam inter res diuersarū specierū, seu generū tum ob rōnē assignatam pro hac parte; tum etiam, quoniam inter huiusmodi res, sicut reperitur quid commune, vt infra dicemus; ita etiam in certo casu, potest dari magis, & minus, & sic comparatio: nihilominus difficultatem videtur habere circa illius intelligentiam, & propterea præmittere debemus, quod species, inter quas quæritur quid iuris de maioritate quædam sunt ad inuicem subordinatæ, & propterea alio vocabulo in iure possent dici gradus, argumento graduum potestatis ordinis, de quibus est text. in can. a subdiacono, distinct 93. & graduum meri, & mixti imperij, de quibus, cæteris omissis, est adnotandus Barto. in l. imperium numero 17. & sequen. ff. de iurisd. omn. iudi. Hæc autem denominatio aliquādo est propria, & aliquando impropria, idque cognoscitur considerando essentiam, & latitudinem earum. Vnde prima species, quæ diuersa ratione etiam ge-

nus dicitur, est analoga, cuius autem speciei analogiæ illa fit, non est præsentis considerationis. Quædam verò aliæ species tales reperiuntur, vt vniuocè ad inuicem respectiuè prædicentur. De quibus principaliter est intelligendus articulus propositus, vt exempli gratia, scientia, & dignitas, quia qualitas & secundũ nomen, ac differentiam de illis prædicatur. Secundo præmittere oportet, quòd ea omnia, inter quæ orta esset quæstio de præcedentia, opus est, vt conueniant in qualitate, atq; sub ea considerentur. Siquidem si aliter esset, nulla daretur præcedentia, & ratio est, quia præcedentia consistit in qualitate, vt supra suo loco demõstrauimus, vnde, qualitate cessante, etiam illa dicitur cessare, arg. c. cum cessante, de appell. Confirmatur, quia vbi datur præcedentia, ibi datur magis, & minus, vt diximus supra d. artic. 3. Idq; ea ratione, quia, vt supra quoq; adnotauimus, si vnus habeat maioritatem, & sic præcedentiam, necessariò alter habebit minoritatem, & propterea inter eos videtur dari magis, & minus. His ita præmissis, dicimus ad conclusionem, & solutionem articuli. Primo illã declarari, vt locum habeat in specieb⁹ analogicis, quia in eis ex natura earum verificatur quod diximus supra in secundo præmisso. Declaratur secundo, vt verificetur etiam in alijs speciebus ob eãdem rationem. Quæ omnia ex eo cõfirmantur vera, quia species omnes, aut conueniunt, & considerantur sub ratione qualitatis, à qua oritur præcedẽtia, aut sub alio respectu. Primo modo fine dubio inter eas præcedentia reperitur, cum species vna, sicut conuenit prædicta ratione cum alia; ita etiam erit maior, vel minor altera. Hinc est, quòd si in rebus naturalibus dubitetur de præcedentia duorum animalium, vel duarum plantarum diuersarum specierum, oportet illas considerare nõ ratione substantiæ, quia sub hoc respectu non datur maioritas, sed solũ ratione perfectionis, cum animal vnum sit perfectius altero, & planta vna perfectior altera: vnde sub hoc respectu, sicut talis perfectio reducitur ad prædictam qualitatem, & sic species vna est maior altera; ita etiã vna alteri præcedere debet. Clarius hoc idem cognoscitur de præcedentia inter scientiam, & potestatem, & propterea eodem modo procedere debemus de præcedentia aliarũ quarumcunq; specierum. At secundo respectu, casus similiter videtur clarus; siquidem si duæ species considerentur sub ratione diuersorum prædicatorum, vna non potest dici maior altera, & successiuè nec præcedentiã prætendere. Et cum per hæc habeamus solutionem articuli, conuenit nunc respondere ad obiecta. Vnde dicimus ad primum, quòd quando diuersæ species, seu genera considerantur sub qualitate aliqua, in qua cõueniant, & quæ sit causa præcedentiæ, sine dubio illa inter eas datur, vt satis clarè constat ex deductis, secus verò est tenendum si aliter contempletur: vnde argumentũ sub vno respectu tenet, & valet, alia verò rõne omnino limitatur. Ad secundum respondetur, quòd species differentes inter se vniuocè, cum possint considerari

derari etiam sub aliqua qualitate, a qua præcedentia oriatur, successiuè in eis quoque reperiri potest præcedentia, vt satis clarè constat ex deductis, & propterea argumentum sub hoc respectu videtur solutum.

Quomodo præcedentia reperiatur inter res, quæ sunt eiusdem speciei. Art. 6.

EX his, quæ diximus in præcedenti articulo videtur sine controuersia concludendum, præcedentiam dari etiã in his rebus, que sunt eiusdem speciei; siquidem de quo minus videtur inesse, & inest, ergo de quo magis, authen. multo magis. C. de sacrosan. ecclesi. cum ibi adno. At quoniam non videbatur probabile, præcedentiam dari inter res differentes specie, vel genere, & nihilominus datur, vt supra deduximus, ideò datur similiter inter res, quæ sunt eiusdem speciei, cum istæ multo magis conueniant in aliqua qualitate, a qua oritur præcedentia. Hoc autem pro indubitato præmisso remanet dubiũ, vt videamus quo modo in huiusmodi rebus illa reperiatur. Id autem, quod negocium facere potest, est, quod licèt indiuiduũ vnius speciei habeat maioritatem in comparatione ad aliud, non propterea sequitur ex hoc capite esse præferendum. Hinc est, quòd qui est melioris vitæ præferri debet, glos. 1. super cap. statuimus, de maiorit. iux. can. sicut, §. 1. 23. q. 4. Quia dicit tex. in ca. non loca dist. 40. non loca, sed merita vitæ reddunt hominem gratum Deo. Secundo dicit tex. in ca. tibi qui. de rescrip. in 6. in collatione beneficiorum illum esse præferendum, pro quo Summus Pontif. rescripsit. Tertio qui est magis idoneus est promouendus ad beneficiũ, c. constitutione de appell. D. Tho. 2. 2, q. 185. art. 3. Concil. Trident. sess. 24. c. 18. de reformat. ergo non ille, qui est maior. Cõfirmatur, quia etiã priuilegiatus debet præcedere, arg. c. de multa, de præben. l. assiduis. C. qui potior. in pigno. & l. interdum. ff. eo. Quarto si in materia proposita attẽderetur prioritas temporis, sequeretur illud inducere obligationem; sed hoc videtur contra l. obligationum ferè. ff. de actio. & obli. meritò &c. Quinto præsuposito, illa, inter quæ esset orta quæstio de præcedentia, reperiri sub vnica specie, tunc necessario opportet vnum de duobus affirmare, quòd videlicet, aut sint æqualia. & sic cessat præcedentia, arg. tex. in c. cum autem de iur. patron. aut sunt inæqualia, & tunc vnum esset maius altero, atq; successiuè quæstio esset de indubitabili. In contrarium facit in primis tex. in c. 3. eo. c. 1. de maiorit. c. fi. distinct. 75. c. factus est. 7. q. 1. c. duobus. 27. q. 2. l. diuersis, & l. si fundum. C. qui potior. in pign l. 1. C. de off. recto l. 1. ff. de alb. scrib. cum simil. Secundo quotiescunque quis est consequutus aliquam qualitatem propter quam posset cõsequi præcedentiam, dicitur etiam illam acquisiuisse, arg. c. præterea, de offic. iud. deleg. cum ibi adnot. At quoniã nos præsuponimus, vnum indiuiduũ de contentis sub eadem specie esse cõsequutum huiusmodi qualitatem, meritò, &c. Et cum hæc solutio sit omni-

vltimum dicimus, quòd quomodo cunq; se habeant illa, quæ sunt eiusdem speciei, semper in eis reperitur aliqua maioritas, & sic præcedentia, sed modo, & causa diuersa, cum nec iure, nec ratione repugnet, indiuiduũ vnum esse maius altero: vno tamen habito respectu esse etiam æquale alia ratione.

Quid iuris quando concurrunt plures causæ præcedentiæ. *Art.* 7.

SIcut Articulus iste præsuponit in vna, & eadem persona reperiri plures causas præcedẽtiæ, ita etiã, & nos hoc idem in eius declaratione præsuponere debemus. Vnde, hoc præmisso, dicimus ad articulũ illam causam, & qualitatem esse sequendã quæ est maior, & potentior, cum ratione istius maioris potentiæ magis operetur, vt nos docent Philosophi. Confirmatur argumento priuilegij magis potentis, quod propterea dicitur præualere, vt docet Bar. in authe. quas actiones numero 3. C. de sacro. eccles. In contrarium verò facit ratio illa, qua promulgatur aliqua lex, quæ sicut promulgatur aliquãdo ob vnicam causam, aliquando verò ob plures, vt cæteris omissis, videri potest apud Brun. in suo tractat. de succes. fæmi. stantibus masculis, art. 3. & propterea præfationes reddunt legũ intelligentiam clariorem, Menoch. lib. 6. de præsumpt. præsumpt. 2. Ita etiam hoc idem videtur dicendũ de re proposita. Pro solutione puto imprimis esse animaduertendũ qualis sit finis, propter quem aliquis prætendat. Siquidem cũ finis disponat media ad se ipsum, vt est communis doctrina apud Philosophos, sequitur inde, quod qualis erit finis, talis etiam erit causa, de qua agimus. Hinc est, quòd si quis prætendit præcedere ad aliquod beneficium consequendum, causa præcedentiæ debet esse talis, vt reddat personam magis idoneam, & sic vt in idoneitate præcedat. Si vero finis esset, vt solum sit alijs superior, tunc aliud esset dicendum, & ita apparet secundum qualitaté finis esse sequẽdam potius vnam, quam alterã præcedentiæ causam. Ad id autem clarius intelligendum, debemus vlterius adnotare, quòd quando plures causæ possent assignari de aliquo effectu, diuersimodè id contingit. Siquidem, vt apud Philosophos obseruare valui, aliquando omnes simul possunt præcedentiam producere, & tunc quælibet earum esset tantum partialis, omnes autem simul vnitæ causa totalis: aliquando verò vna, vel altera earum potest esse talis. Sed si omnes, vna erit potentior altera, & sic ex parte etiam causæ cognoscitur quid affirmari debeat pro solutione istius articuli. Hinc cognoscimus, quo modo argumenta, vt supra adducta ad vtramque partem ad inuicẽ, conciliari valeant. Ad hæc addi potest, causas prędictas adhuc ita distingui posse vltra datas distinctiones, vt vna sit probabilis; altera verò necessaria: Vnde secundum qualitatem earum, modò vnum, & modò aliud videtur dicendum. Ex quibus omnibus puto concludendum in contingentia facti circa rem propositam,

ali-

aliquando vnam, aliquando plures, & aliquando omnes causas esse omninò sequendas ad præcedentiā obtinendam. Quam conclusionem puto etiam ampliādam, vt sit vera actiuè, & passiuè, id est tam ex parte illius, qui præcedentiā prætendit, quā etiam ex parte eius, contra quē prætenditur. Ratio autem illa videtur esse, quia licèt quis habeat plures causas præcedendi, sæpè tamen contingit, vt consideretur sub respectu vnius tantum, & non alterius, iuxta distinctionem rationis, de qua diximus supra.

Quid iuris quando concurrunt plures causæ præcedentiæ ex parte plurium illam prætendentium.
Artic. 8.

DVo, vel plures prætendentes ad inuicem præcedentiam, an debeant concurrere, vel vnus alteri sit præferendus, & quo modo, conuenit in præsenti breuiter examinare. Vnde siue hæc quæstio sit definienda in iudicio, siue extra, expedit summopere scire quid iuris. Disputatione igitur omissa, cum distinctione dicimus, quod aut ad inuicem concordant quid inter eos sit agendum, & tunc non oportet vlterius procedere, cum causæ talis præcedentiæ, si non expresso, saltem tacito consensu sint declaratæ æqualis, & propterea inter eos est locus gratificationi, argumento tex. in c. cum autem, cum ibi adnot. de iure patrona. Aut, & secundo loco, aliter inter se non conueniunt, & tūc oportet vlterius distinguere, siquidem causa, seu causæ præcedendi vnius differunt aliquando specie, vel genere à causa, seu causis præcedendi. Aliquando verò sunt eiusdem speciei, seu generis. Primo modo opus est prius animaduertere, quæ nā causa sit potentior. Hoc cognito cum quælibet causa, de qua agimus, habeat latitudinem, vt diximus supra suo loco, ideò conuenit vlterius obseruare, An causæ vtriusq; partis sint eiusdem gradus, an verò vna sit in vno, altera verò in alio. Id enim ea ratione conuenit obseruare, quia nonnulli doctores tenent gradum inferiorem, exēpli gratia, potestatis ecclesiasticæ cedere debere superiori gradui potestatis secularis quamuis potestas ecclesiastica in suo genere præcedat potestati seculari, vt videri potest apud Lancellotum Corradum in suo templo omn. iudi. lib. 2. in princ. q. 1. At secundo respectu non solum considerari debet, an istæ causæ sint inter se subordinatæ, sed etiā, an sint eiusdem gradus; hinc est, quòd aliter est definienda controuersia de præcedentia inter Diaconum, & Subdiaconum, & aliter inter Diaconū, & Diaconum, atque eorum exemplo hoc idem est dicendū de Legista, & Canonista, & de Legista, ac Legista, & sic de alijs similibus. Ex quibus omnibus puto inferendum inter contendentes de præcedentia, regulariter illius causam esse sequendam, quæ est maior, & potentior, argumento l. quæritur ff. de stat. homi. Et propterea qui habet plures dignitates præcedit ei, qui tātum vna, vel altera est ornatus, vt docet Dec. in l. cum quid ff. si cert. pet. Feli. in rubr. de maiorit.

&

& obed. cum simil. Illæ enim duæ dignitates simul vnitæ sunt potentiores ad finem propositum. Ad hæc omnia addi potest, hanc controuersiam aliquando esse aliquo iure scripto, vel non scripto definitam, & tūc non oportet vlterius quærere, cum tale ius in decidendo sit sequēdum, iuxta c. cum olim, cum ibi adnot. de consuetu. Quæ iuris decisio posset ampliari, quod recurri valeat ad ius vicinæ prouinciæ, vt in d.c. adnotatur, & arg. c. super eo de censi: & l. de quibus ff. de legi. Aliquādo enim ad similia oportet recurrere in controuersijs decidendis, l. non possunt, eod. Aliquando vero aliquod ius nō reperitur ad huiusmodi controuersiam definiendam, Vnde quolibet iure deficiente vtilius est ad doctores recurrere, & nō ad doctorellos, atq; horū iudicio illā definire, iux. dictū Salomonis, relatū in c. ne innitaris, de constitu. & arg. tex. in c. fi. dist. 20.

Quomodo præcedentia, eiusq; casus interpretari debeant. Art. 9. & vlt.

Legimus in c. cum dilecti, de donat. triplicem esse interpretationem. Vna enim dicitur plenissima, altera plenior, & tertia plena. Docto. in l. omnes populi ff. de iust. adnotant interpretationem aliam esse extensiuam, aliam restrictiuam. Alciat. in suo tract. de verb. signi. lib. 1. pag. mihi 32. docet interpretationem alicuius rei dubiæ esse desumendam a persona, re, qualitate, quantitate, loco, tempore, bono, malo, atque iusta excusationē, prout de singulis longo discursu postea demonstrat quid iuris. Quibus ita præmissis, de duobus circa propositum articulum quæritur quid iuris. Primo An vna, vel altera de prædictis interpretationibus conueniat propositæ materiæ. secundo an illa sit desumenda ex prædictis locis. Ad intelligentiam vtriusq; debemus animaduertere, præcedentiam in articulo isto tripliciter posse considerari, primo simpliciter, & secundum eius naturam, contemplando quæ faciunt ad illius cognitionem. Secundo quatenus alicui competat, seu sit concedenda. Tertio sub eo respectu, quo de ea sit orta controuersia inter duos, vel plures. Primo modo interpretari, præcedentiam nil aliud denotare videtur, nisi tradere cognitionem illius. Vnde quo modo, & ex quo capite illa sit desumenda, non oportet hic aliud animaduertere, cum sub hoc respectu de ea dictum sit supra, præsertim q. 3. art. 20. Et propterea vlterius procedendo secundo modo videtur magis rationabile, præcedentiam esse non tantum plenius, sed etiam plenissime interpretandam. Primo quia videtur quid fauorabile, vt satis clarè constat ex his, quæ diximus supra, & de iure nos habemus fauores esse ampliandos c. odia, cum ibi adnot. de reg. iu. in 6. Secundo quoniam per huiusmodi interpretationē, homines excitantur ad acquirendam aliquam causam illius, quod summopere interest Reipu. vt vnusquisq; gloriosè viuat. arg. §. fi. in prohem instit. Quibus accedit illa vulgaris propositio, quod nemini nocet semper sit concedendum l. rescri

pta. C. de precibus. Vnde a simili hoc idem videtur dicendum de difficultate proposita. Quæ quidem iuris conclusio videtur limitāda in eo casu, in quo aliquis læderetur, vt in dicta l. cauetur, & argumento eorū, quæ nos docent docto. de interpretatione beneficij Principis, in c. olim de verb. signi. & in l. beneficiū ff de consti. Tunc enim magis æqua est facienda interpretatio quam aliter, ne quis lædatur in iure suo. Nūc quoad tertium caput attinet dicimus, quod præsupposita cōtrouersia inter duos, vel plures de præcedentia, tunc interpretatio videtur facienda, vt diximus in prædicta limitatione. Et ratio est, quia talis cōtrouersia definiri debet sub eo tantum respectu, vt vnicuique reddatur, quod iure sibi de ea debetur, idque alia interpretatione, nisi æqua, fieri nequit, iuxta adnota. in c. cum dilecti, supra citatum.
Confirmatur, quia si interpretatio aliter fieret, sequeretur illud absurdum, quod quam facillimè quis lædi posset in iure suo. Idque non est aliquo modo admittendum per deducta. Quæcunque igitur admittatur interpretatio, quæreret aliquis, An illa sit desumenda ex locis supra ad mentem Alci. relatis. Cui quæsito placet affirmativè respondere, Siquidē quamuis omnis cognitio in materia morali sit desumenda a rerum circūstantijs, vt supra suo loco adnotauimus. Quoniam tamen prædicta interpretandi capita vel non differunt ab illis, vel cum eis multum conueniunt, ideò a prædicta doctrina non puto esse recedendum, & si in aliquo differant, expediens videtur omnia simul coniungere, & ita ex eis apparet (ni fallor) modus quo præcedentia interpretari valeat. Qua de re coniungendo ea, quæ in præsenti diximus, cum his, quæ supra sunt deducta q. 3. art. præsertim 10. 11. clarè meo iudicio constat de solutione istius articuli.

QVÆSTIO V.

De præcedentia hominis secundum eius naturā. Art. 3.

HActenus vidimus ea fortasse omnia, quæ erant animaduertenda in communi pro cōpleta cognitione propositæ materiæ de præcedentia, esset modo necessarium descendere ad speciales illius causas, earumque cognitionem, iuxta doctrinam Philosophi, dicentis a cognitione vniuersali descendendum esse ad specialem, & argumento tit. insti. ff. de iusti. facit tit. instit. can. de iur. can. & l. 1. ff. si cert. pet. Qua de re cum intentio nostra sit solùm agere de præcedentia hominum inter se, & non aliarum rerum, vt diximus, nisi per accidens, atque ipse homo sub ista consideratione formali præcedendi consideretur dupliciter: primo simpliciter, & secundum eius naturam: secundò ratione eiusdem status, seu professionis, vel alterius similis qualitatis; ideò secundum eundem ordinem doctrinæ conuenit, vt in præsenti de præcedentia tractemus, & propterea

pterea primo sub primo respectu: secundo verò sub alia ratione de re proposita sermo est habendus. Qua de re de præcedentia hominis secundum eius naturam videndum est, videlicet.

1 An homo homini naturaliter prę cedat.
2 An masculus præcedat fœminæ.
3 An homo factus maior præcedat ætate minori.

An homo homini naturaliter præcedat. Art. 1.

HOmo naturaliter consideratus non debet alteri præcedere, cũ secundum naturam omnes sint æquales, arg. §. ius autem gentium, instit. de iur. natur. Et propterea a principio per campos indifferẽter vagabãtur, vt dicit tex. in c. fi. in fi. dist. 6. Hinc est, quòd secundum ius istud omnia erant cõmunia. l. ex hoc iure, & ibi doct. ff. de iusti probat tex. in can. 1. distin. 8. & Medin. in suo Codice de restitu. q. 1. cum simil. meritò, &c. Confirmatur, quia postquam res, & dominia fuerunt distincta, introducta fuit tanta inter homines varietas, vt meritò quide n vnus sit factus maior altero, & sic secundum naturam erant æquales, cum prædicta distinctio successerit tantum de iure humano, vt in dictis locis habetur. In contrariũ facit doctrina Philosophi lib. 1. polit. relatus etiam a Vacon. in suo lib. 1. var. resolut. declarat. 10. vbi declarat, An, & quomodo quis sit seruus a natura. Pro solutione, disputatione omissa, dicimus vnà cum doc. prædictis, hominum quosdam esse ita a natura genitos, vt videlicet sint magis apti ad vsum rationis, quàm corporis: nonnullos verò è contra esse magis aptos ad vsum corporis, quàm rationis. Hoc præmisso, infertur inde, quòd sicut ratio secundum Philosophos in genere entis est nobilior corpore, & propterea hominis operatio facta secundum rationem, ab omnibus reputatur excellentior; ita etiã homo magis aptus ad vsum rationis erit nobilior, & successiuè præcedere debet, idq; totum cum a natura oriatur, vt diximus, sequitur propterea, quòd sicut homo vnus secundum naturam est nobilior altero; ita etiam ab eadem natura habet, vt alteri præcedat. Quæ quidem conclusio posset cõmodè confirmari vera per ea, quæ diximus supra q. 3. art. 5. Qua de re cum illa sit omnino sequenda, conuenit nunc, vt eam declaremus. Vnde declaratur primo loco, quòd præcedentia sit de iure naturæ, non tantum in suo genere, sed etiam in specie, & propterea secundum naturam ipsam vnus homo debet præcedere alteri. Declaratur secundo, quòd cum homini data fuisset potestas, quãuis nõ peccasset, vt docet D. Tho. in prima parte suæ sum. q. 96. artic. vlt. consequenter data sibi fuisset etiam maioritas, & sic præcedentia, & propterea idem, quod supra videtur de iure dicendum. Declaratur vltimo loco, quòd si in statu innocentiæ homines fuissent inæquales, vt docet idẽ Angelicus doctor in d. q. art. penult. & propterea vnus fuisset maior altero, exempli gratia, ratione ætatis, ratione complexionis corporis, ratione

sexus, ratione scientiæ, vel alio simili respectu, ideo sequitur idem, quod supra. Quæ omnia, vt clarius intelligantur, conuenit nunc specialiter respondere ad obiectum. Ad quod dicimus non esse inconueniens, vt homines inter se sint æquales, & inæquales, diuersa tamen ratione, ac respectu. Siquidem ratione libertatis, & cõionis bonorum de iure naturæ sine dubio sunt inter se æquales, cum secundum naturam omnes homines sint liberi, & bona sint communia, vt legimus in locis supra citatis. At ratione alicuius accidentis, vt exempli gratia potestatis, scientiæ, vel alterius similis, sicut reperiuntur inæquales; ita etiam vnus est maior altero, atque de iure alter alteri præcedere debet. Et ita per hæc omnia non solum habemus solutionem ad articulum magis claram, sed etiam ad obiectum.

An Masculus Fœminæ præcedat, vel è contra. *Artic.* 2.

FOeminas debere præcedere masculis non vnico medio demonstrari potest. Primo enim ad illarũ præcedentiã facit pulchritudo corporis, quæ pulchritudinem animi denotare solet, c. quia diuersitatem corporum in princ. de concess. præben. At quoniam fœminæ sunt pulchriores masculis, vt experientia docet, meritò &c. Secundo docet Cassan. in d. suo Catal. Glor. Mund. part. 2. confid. 29. Fœminis dandã esse præheminentiam in administratione rerum, quæ in domo fiunt. Et cum ciuitas sit composita ex diuersis domibus, vt Philosophi politici nos docent, sequitur inde, quod si fœmina in domo tanquam in causa ciuitatis, debeat habere præheminentiam, ergo etiam extra domum, & sic simpliciter. Tertio mulier in multis casibus est de iure priuilegiata iux. tex. in c. Mulieres, de senten. excõmu. c. Mulieres, cum ibi adnot. de iudic. in 6. cum alijs relatis a Cassan. in d. p. 2. confid. 30. ergo idem quod supra. Quarto mulier videtur præferenda, quia habet diuersas prærogatiuas, de quibus copiosè multa nos docet idẽ Cassan. in d. p. a consíderat. 7. vsque ad finem: vna autem inter cæteras est omninò adnotanda, quod videlicet sit admodum deuota erga Deũ, vt legimus in eadem p. confid. 15. Et propterea inter orationes ab Ecclesia ordinatas habetur illa: Orate pro deuoto fœmineo sexu. Hinc est, quod etiam de iure ciuili diuersa reperiuntur decisa ad illarum fauorem, vt est Senatus consultum Velleianũ, excusantur quoque a muneribus publicis. §. 1. in fi. institu. de legiti. patron. tutel. l. fœminæ ff. de reg. iur. & ibi Dec. & Cagnol. meritò &c. Quinto fœminæ si non sint reputandæ tales, vt præcedant; hodie tamen debẽt saltem reputari æquales per l. maximum vitium. C. de lib. præteri. Sicut enim secundum vnam Philosophantium opinionem, quã sequutus fuit Impe. in d. l. Masculus, & fœmina æqualiter concurrunt ad generationem, ita etiam videntur æquales reputandæ in reliquis actibus, eoque magis, quò sunt eiusdem speciei, vnde meritò &c. In contrarium verius

vide,

videtur de iure respondēdum, quòd videlicet masculus præcedere debeat. Docet enim longo discursu Tiraq.in suo tract. de nobilit.c.18. per tot. An nobilitas vxoris reddat nobilem maritum, vel è contra. In qua quæstione per diuersa media demonstrat virum nobilitare mulierem, a principio videlicet, vsque ad numerum 15. idque præsertim per l. fœminæ.ff. de Senat. cum alijs per eum ibi adduct. At è contra nobilitas mulieris non nobilitat virum, sed solum illius nobilitate aliquid addit, argu. l. fi. C. de nupt. Idque deducitur a d. numero 15. vsque ad finem. Ex qua doctrina clarè infertur, atque cognoscitur, virum debere præcedere, siquidem si mulier nobilis solum aliquid addit, atque nobilitatem non tribuit, sicut è contra, clara videtur ista iuris decisio, quam vlterius probat etiam tex.in l.mulieres C.de dignit.lib.12. Confirmatur, quia signum est manifestum, quod nec esse sint æquales, cū ad inuicem nobilitatem non tribuāt, vt constat ex deductis. Secundo hoc idem probatur, quia de iure communi mulier non potest exercere magistratus, & munera publica personalia d.l.fœminæ, & ibi doct. glo.ad l. 1.C.de mulier. lib. 10.& glo.in l. 3. §.corporalia, in verb. iniunguntur ff. de muner. & honor. Quæ quidem iuris prohibitio, quoniam videtur facta ob sexus fragilitatem, ideò idem quod supra. Tertio si consideremus originem vtriusque illud idem videtur dicendum. Siquidem legimus in Genesi c. 1. Deum creasse prius hominē, & postea fœminā, vnde sicut homo præcedit origine, ita ēt debet præcedere nobilitate. Nec obstat si quis in hac parte obijciat, mulierē esse nobiliorem ea ratione, quia homo fuit factus de limo terræ, fœmina verò de costa Adam. ad hoc enim respondetur, quòd si consideretur materia proxima, & immediata vtrius que posset eadem reputari secundum Philosophos; sed si remota. Vnde ex parte materiæ vno respectu videntur æquales; alio verò fœmina esset maior masculo. At quoniam intelligentiam illius dicti videtur pertinere potius ad Theologum, quam ad præsentem locum: ideò pro solutione istius obiecti sit satis id tantum adnotasse. Quarto probatur eadem conclusio ratione roboris in agendo. videmus enim homines potentiores esse fœminis in operando, & propterea meritò quidem vir debet præcedere. Quinto mulier ex propria eius natura debet viro seruire, & eidem subijci, vt dicit tex.in can. est ordo.33.q.5.cum can.seq. Hinc est, quòd quando maritātur in signū subiectionis velantur, vt dicit text.in can.fœminæ.30.q.5. Qua de re idē quod supra videtur de iure dicendū. Confirmatur, quia docet S.Isidorus in c.Forus, de verb.sign. testimonium fœminæ esse varium, & mutabile. Idq; cum aliunde non veniat nisi ob debilitatem, & fragilitatem sexus, ideò videtur a natura creata potius ad obediendum, quàm ad imperandum. Hinc est, quòd eis non tātum est prohibitum, ne possent exercere Magistratus, vt supra diximus, sed ēt ne in iudicio pro alijs postulare valeant, l.1 ff.de postulan. Ac etiam ne sint arbitri.c.dilecti filij, cum ibi ad-

not. de arbitr. Et cum putem hanc conclusionē pro solutione istius articuli esse omnino sequendam, conuenit modo eam ita declarare, vt sit vera considerando propriam naturā vtriusq;. Hinc est, quòd Christus licet exaltauerit Beatam Virginē super omnes Apostolos, claues tamen regni cœlorum non eidem, sed Apostolis commisit, vt dicit tex. omnino videndus in cap. noua quædam in fi. de præben. & Theologi nos docent sexus fœminei impedimentū in collatione ordinis impedire characteris impressionem. Et propterea meritò quidem videtur dictum, mulierem esse denominatā a mollitie, & sic sub hac ratione, atque respectu non videtur esse recedendum ab ista declaratione. At si eadem conclusio inspiciatur sub alia ratione alicuius accidentis, vel causæ præcedendi, seu alicuius priuilegij, tunc non esset a veritate alienum illam aliquando limitari, cum mulier etiam in genere cōsiderata præcedat viro in aliquo capite de prædictis, vt supra explicatis, prout in practica sæpè videmus. Hæc autem accidentia, seu causæ, aut priuilegia, quæ, & qualia sint vltra nobis tradita a Tiraq. in d. c. & Cassan. in d. 2. parte, non oportet hic aliud adnotare cum etiam ex infra dicendis in alijs quæstionibus commodè inferri posset id, quod facere valeat ad rem propositam. Qua de re cum per hæc habeamus etiam intelligentiam solutionis ad articulū propositum, sequitur nunc, vt respondeamus ad obiecta. Vnde dicimus ad primum, quòd non forma corporis extrinseca videtur denotare formositatem, & respectiuè difformitatē animorū, sed temperatura, & cōplexio humorum. Quæ solutio cū videatur habere aliquam difficultatē, ideò dicimus secundo loco tam mulierem, quàm virum posse considerari sub eadem qualitate, ita videlicet ut ambo sint corpore formosi, vel è contra. Aut vnus est formosus, alter verò difformis. Vnde argumentum vno respectu verificatur, altero verò limitatur, & succesiuè sub hoc respectu aliquando vnus, & aliquando alter deberet præcedere. Aliquando verò inter eos nulla daretur præcedentia, & cum longo discursu declarare prædictam propositionem, quòd animi mores sequantur temperaturam corporis, non sit præsentis contemplationis, & loci, ideò me remitto ad ea, quæ copiosè nos docet Galen. in suo proprio opusculo, quòd animi mores &c. & ad Franc. Piccolom. in d. suo tract. de moribus grad. 1. c. 28. 29. 30. Vnde ad secundū respondetur, & admisso administrationem domus esse mulieri cōcedendam, non propterea sequitur ipsam debere præcedere, siquidem dato, quòd mulier in ista qualitate regiminis maioritatem habeat, hoc tñ videtur succedere ratione istius accidentis, & sic intra domum, cum sub tali respectu negocia sint muliebria, & non virilia. Hinc est, quòd in simili casu conclusio, vt supra firmata, videtur omnino limitanda. Sicut enim officialis ratione officij, illo durante, debet omnino præcedere, & non aliter, vt clarius infra in propria quæstione dicemus: ita etiam hoc idem videtur dicendum de fœmina ratione

re dictæ administrationis, vel alteri similis negociationis, & sic argumẽtum non videtur obstare. Ad tertium dicimus priuilegia non esse mulieribus in iure concessa ob earum virtutes, & excellentias, sed propter imbecillitatem naturæ earum, vt constat ex deductis. Hinc est, quòd statutum, vt mulier obligari nequeat sine certa solemnitate, videtur factum ob causam prædictam, & propterea ligat omnes fœminas indifferẽter, vnde argumentum non solùm nõ videtur obstare, sed potius prædictam conclusionem confirmare. Ad quartum cum eodem modo responderi valeat, quo fuit responsum ad tertiũ: ideò oportet vlterius aliquid addere, nisi dicamus, quòd cum hæc præcedentia posset dupliciter considerari, videlicet de iure, & ratione alicuius prærogatiuæ. Primo modo verificatur conclusio per deducta. Ad secundo respectu illa limitatur, & successiuè tertium, & quartum argumentum possent sustineri. Ad quintum deniq;, & vltimum dicimus nõ esse absurdum duas res ad inuicem comparatas aliquando esse æquales, aliquando verò vnam esse maiorẽ altera, diuersa tamen ratione, atque respectu, arg. clem. 2. de procurat. cum simil.

An homo maior ætate præcedat minori. Art. 3. & vlt.

AD intelligentiam istius articuli debemus imprimis distinguere diuersas hominũ ætates, quæ sub diuerso respectu diuersimodè diuiduntur, atq; considerantur. Vnde ratione Reipub. ætas hominis diuidit in iuuentutem, & senectutem, Ioan. Baptista Montanus in suis commen. ad Auicen. & ratio est, quia Respub. indiget consilio, & potentia. Consilium habetur a senioribus ob eorum prudentiam, quæ experientia acquiritur, iuxta doctrinam Philosophi libro 2. post. in fi. Potentia verò a iuuenibus propter naturã ætatis. Hoc idem confirmari posset, quia licèt Medici teneant in homine dari triplicem statum, videlicet augumenti, status, & decrementi, in præsenti tamen magis placet opinio Philosophorum tenentium in homine, sicut in reliquis animantibus, & rebus naturalibus dari solum augumentum, & decrementum, vnde sicut dantur isti duo status secundũ Philosophos; ita etiam debent constitui in homine duæ ætates, nempe iuuentus, & senectus. An autem potentia, & sic iuuentus debeat præcedere, ea ratione posset in dubium reuocari, quia videmus omnia eidem cedere. Hinc est, quòd cum Deus sit omnipotens nihil sibi resistere audet, & propterea potentiæ præcedentia videtur esse consideranda. In contrarium habemus textum expressum in l. semper. ff. de iure immunit. vbi legimus senectutem semper fuisse venerandam; & propterea Tiraqu. in sua præfatione tractat. de primogen. nu. 75. per plures paginas longo discursu declarat quamplurimas senectutis prærogatiuas. Hinc est, quòd in collegijs, & vniuersitatibus primus locus datur senioribus, qui semper honorari solent, licèt hæc conclusio hodie reuocetur in dubium ob

aro-

arrogantiam, & ignorantiam diuersorum iuuenum, qui multum prætendunt, & nihil ferè sciunt. Nec obst. quòd aliquando sit dubitatum, an in consilijs reddendis primo loqui debeant seniores, vel iuniores, vt videri potest apud Tiraq. loc. cita. numero 89. & Afflict. in sua decis. 1. & ibidem Vrsill. In qua difficultate quodcunque detur, semper id videtur factum in honorem Seniorum. Et ratio est, quia posset contingere quòd qui vltimo loco loquitur aliquid proferat maioris vtilitatis. Qua de re concludendo Seniores semper esse præferendos. Non obstat ratio in contrarium adducta, quia respondetur quod si consideretur potentia de facto, admitto quidem argumentum; sed si illa perpendatur de iure, quatenus videlicet quis aliquid facere debeat motus aliqua congrua, ac legitima causa sic suadente, tunc oppositum videtur omninò tenẽdum cum aliud sit considerare potentiam in homine, & aliud in reliquis rebus naturalibus. Homo enim viuere debet secundum rationem, & successiuè eodem modo tenetur vti potentia, & propterea argumentum non videtur obstare. Vlterius autem procedendo pro maiori cognitione rei propositæ dicimus ætatem adhuc diuidi alijs modis, vt videri potest apud Mandos, in suo tract. de minor. æta. per tot. Cæterum quantum facit ad propositum institutum, puto hominem adhuc esse considerandum, primo ratione, qua est minor 25. annis. Secundo ratione, qua est maior prædicta ætate. Hoc præmisso si dicti minores considerentur ad inuicem inter se sine dubio minores 14. debent cedere maioribus, cum notorij sit iuris istos, minores esse sub tutelas prædictos verò maiores esse sub cura, si velint; præter quam in iudicio, §. 1. instit. de curat. At si considerentur omnes isti minores in comparatione ad maiores 25. similiter sumus in claris; quod teneantur cedere cum isti maiores nullo indigeant auxilio, instit. de tutel. in princ. & §. item maior de excus. tut. Vnde sicut huiusmodi maiores, respectiuè tamen, sunt maioris intellectus; ita etiam præcedere debent. Quæ quidẽ conclusiones cum in iure videantur vndique claræ, conuenit modo vt videamus, an aliquid sit adnotandum de maioribus 25. inter se. Ad id autem cognoscendum puto vnum esse præmittẽdum, quod videlicet persona senior dupliciter consideratur in iure, primo in se; & sic est adnotandus tex. in d. §. maior. Secundo comparatiuè, & sic persona maior 30. in comparatione erit senior ad personã minorem. Vnde senectus secundũ iuris dispositionem incipit a 30. anno completo, probat text. in capit. cum in cunctis, de electio. vbi legimus decisum non posse aliquem eligi in Episcopum, nisi maiorem 30. annis. Confirmatur secundum vnã Medicorum opinionem, quæ tenet senectutem incipere a 30. anno completo. An autem hæc opinio sit vera nihil refert in præsenti, cum satis sit obseruare huiusmodi personas cõparatiuè seniores esse, & successiuè inter maiores 25. debere præcedere. Vnde vt concludamus eum, qui est maior ætate semper debere præcedere,

re, cum præsumatur maior etiam perfectione intellectus.

QVÆSTIO VI.

De precedētia hominis secundum statum eius. Art. 8.

DIximus in præcedenti quæstione hominē cōsiderari ratione tamen præcedētiæ diuersimodè. Aliquando enim consideratur simpliciter: aliquando ratione sui status: & aliquando ratione professionis. Vnde postquam in præcedenti vidimus quid iuris de præcedentia hominis secundū illius naturam, conuenit modo de eadem aliquid adnotare ratione status eiusdem. De quo, vt primo obseruemus quid expediat in cōmuni; ideò meritò quidem proponitur nūc ista quæstio, in qua videndum est.

1 Quid sit status, & quomodo hic accipiatur.
2 Quotuplex ille sit.
3 An quilibet stat⁹ habeat gradus, & vnde illi desumantur, atque cognoscantur.
4 An differant specie, vel numero.
5 An, & quo modo admittunt magis, & minus.
6 An vnus status de prædictis sit maior altero.
7 An detur gradus vnius status maior altero gradu alterius status.
8 An, & quo modo detur præcedētia in ijs, quæ sūt eiusdē stat⁹.

Quid sit status, & quomodo hic accipiatur. Art. 1.

STatus non videtur habere vnicū significatum, siquidem aliquando significat idem, quod situs: & sic esset vnum de decem prædicamentis. Arist. in lib. prædic. cap. de situ, D.Tho. 2.2.q.183.art.1. Docet statū significare quandam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur iuxta modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate: Iuristæ docent statum consistere in ciuitate, libertate, & familia: glos. 1. ad titu. instit. de cap. dimin. in prin. & in l. 1. ff. eo. Probat tex. omnino vidē, in l. fi. eod. Quæ quidē tria licet sint in homine per modum stabilitatis, nihilominus aliquando variantur. Hinc est, quod datur triplex capitis diminutio, videlicet maxima, media, & minima. Ex quibus inferri potest statum hominis esse habere prædicta tria. Qua de re cum serui in Rep. habeantur pro mortuis l. seruitutem, & l. seruus ff. de reg. iu. ideò nullum dicuntur habere statū, & sic cessiuè neque etiam præcedentiam. Quamuis autem seruo æquiparetur Monacus, qui ratione voti dicitur similiter mortuus. l. deo nobis & ibi doct. C. de sacros. eccles. Differt tamen, quia cum seruiat Deo dicitur viuere per gloriam, arg. tex. in §. filij autem, Instit. de excus. tut. Vnde per oppositum sicut status competit viuis, & ijs, qui pro viuis reputantur: ita etiam eisdem præcedentia competere debet. Status igitur siue accipiatur prout definitus fuit a D.Tho. lo. cita. siue prout fuit descriptus ad

mentem Iuristarum, idem videtur significare, in proposita auté materia status videtur accipiendus, siue quis habeat prędicta tria capita, videlicet ciuitatem, libertatem, & familiam, siue vnum eorum, idque inde cognoscitur quia si exempli gratia quis sit vnius familiæ, & sic talis status, & propterea per capitis diminutionem talem familiam amittat, & aliam per adoptionem acquirat, iuxta tot.titu. de adopt. posset dubitari an amittat etiam præcedentiam, antea sibi competentem, & aliã acquirat, prout de tali quæstione infra sumus dicturi. A simili procedẽdo hoc idẽ affirmari potest de personis, quæ pro mortuis reputantur, & per gloriam viuere dicuntur, vt sunt religiosi; aut ratione ingressus, & respectiuè promotionis eorum; aut ratione transitus de vna religione ad aliam, & sic ratione similis status, eiusque mutationis. Ex quibus omnibus cũ habeamus (ni fallor) quid sit status, & quo modo hic accipiat; ideò nõ oportet vlterius procedere de re proposita.

Quotuplex sit status hominis. Art. 2.

INtelligentia istius articuli meo iũdicio videtur desumenda ex ijs, ex quibus constat status, de quibus diximus supra. Vnde ponderando imprimis ciuitatem, inde infertur aliquem habere talem statum, vt sit ciuis potius vnius, quam alterius ciuitatis. Hinc est, quod præcedentia ex hoc capite desumpta, dicitur præcedentia ciuilitatis, & propterea alicui debetur, vel non debetur secundum qualitatem ciuitatis, ac etiam ciuilitatis. Secundo considerando libertatem, dicimus, quòd quis aliquando eam amittit in totum; aliquando verò pro parte, & aliquando nullo modo. Ex quo enim homo secũdũ eius naturam est liberæ voluntatis, & propterea secundum Philosophum homo meretur, & demeretur. Qua de re si ipse priuetur prædicta libertate in totum, aut id contingit in humanis, & tunc nullus datur stat⁹, & successiuè nec præcedentia, ex quo talis homo factus est seruus aut aliqua pæna capitali damnatus, & propterea simpliciter pro mortuo habetur. Aut id accidit in spiritualibus, nempe per ingressum religionis propriè acceptum. Et sic per professionem. Et in tali casu datur status, & dicitur status religiosorum, & successiuè datur etiam præcedentia. Nec obstat religiosum haberi pro mortuo, primo quia per gloriam viuere dicitur. Secundo quoniam priuatio libertatis in totum in primo casu dicit imperfectionẽ: in secũdo verò perfectionẽ. Et propterea dicũt Theologi religiosos esse in statu perfectionis D. Tho. 2. 2. q. 184. At si homo amitteret libertatẽ pro parte tunc similiter oportet distinguere, siquidem aliqñ id accidit per promotionem ad clericatum, cuius vigore subijcitur Episcopo, & propterea datur alius status, & dicitur clericorum, & consequenter datur etiam alia præcedentia. Aliquando vero eo respectu quis priuatur libertate pro parte, quo promittit continentiam Deo, vel viuit secundum constitutiones alicuius Confraternitatis, vel alterius similis Congregationis. Vnde cum sic

ligatus

ligatus huiuſmodi regulis videtur propterea aliquo reſpectu capite diminutus, cum in tali ſtatu ſit conſtitutus, in quo ſimiliter poſſet conſiderari præcedentia, vt infra dicemus. Tertio ſi conſideremus familiam tūc vlterius oportet animaduertere illā quadrupliciter præſertim poſſe ponderari, primo ratione qua quis eſt paterfamilias, & ſolum viuit cum ſuis famulis, & propterea dicitur ſolutus, & liber ab omni vinculo. Secundo ratione qua duxit vxorem, & ſic ducit vitam matrimonialem vnà cum ſuis filijs, ſi habeat; & aliquando ſine illis. Tertio ex hoc capite conſideratur talem familiam eſſe pauperem, vel diuitijs potētem. Hinc eſt, quod ſæpè contingit vnam familiam præcedere alteri. Quarto & vltimo ponderatur eadem familia ratione nobilitatis, cum inter homines quidam reputentur nobiles, quidam verò plebei, vt dicit etiam tex. in §. plebs autem inſtit. de iur. natur. Hæc omnia ſicut differunt inter ſe modis prædictis; ita etiam inde oritur diuerſa præcedentia actiuè, & paſsiuè. Et quantum ad ſtatum attinet illum quadruplicem eſſe videlicet ciuilitatis Religionis, Clericatus, continentiæ, ſeu modi viuendi. Statum autem ciuilitatis adhuc poſſe ſubdiuidi, Siquidem ſtatus vnus poteſt dici liberæ vitæ, & ſolutæ: alter coniugatorum: tertius pauperum: quartus potentiū: quintus nobilium: ſexto ignobiliū. De quibus omnibus quid adnotari debeat quantum facit ad inſtitutum propoſitum: non hic ſed infra ſuis locis conuenit adnotare. Qua de re cum per hæc habeamus ſolutionem ad articulum, eiuſq; intelligentiam, ideò non videtur neceſſarium vlterius procedere.

An quilibet ſtatus de prædictis habeat latitudinem, & gradus, & vnde illi deſumantur.

Art. 3.

VNicuique videtur clarum prædictos ſtatus habere latitudinē & gradus, ſiquidem ſi ſub quolibet reperiantur plura indiuidua, atque videatur impoſsibile illa eſſe æqualia, & eiuſdem qualitatis, oportet propterea aſſerere illa inter ſe differre, & ſucceſsiuè dari aliquam latitudinem, & gradus. Cæterum in contrarium facit illa fortis ratio, quòd cum ſub quolibet ſtatu præſuponatur reperiri plura indiuidua, vt diximus, ſequitur inde, quòd ſi daretur prædicta latitudo, & gradus illa eſſent ordinata, & ſubordinata. Ac quoniam hoc non videtur verum, cum dicánt Philoſophi de indiuiduis non dari ſcientiam, meritò. &c. Pro ſolutione puto eſſe diſtinguendum, quòd ſub aliquo ſtatu reperiantur plura inter ſe differentia, aliquando ſpecie, vt eſt ſtatus religionis, ſub quo reperiuntur plures religiones differentes ſpecie D. Thom. 2.2.q. 188. & Caſſan. in d. ſuo Catalog. p. 4. Aliquando verò differentia numero, & dicuntur indiuidua, vt eſt ſtatus coniugatorum. Omnes enim illi, qui ducunt vxorem non differūt ſpecie, ſed ſolum numero. Vnde ſicut ſpecies differunt inter ſe, non tātum eſſentia, ſed etiam aliquo accidente, & propterea ſæpè videmus ſpe-

speciem vnam esse perfectionem altera. Ita etiam datur prædicta latitudo, atque gradus. Hoc idem affirmari potest de indiuiduis. & propterea vnum reperitur perfectius altero. Qua de re videtur necessario inferédum solutionem ad articulum esse talem, vt prædicti status habeant latitudinem, & gradus. Ex quibus conciliantur etiam quæ supra ad vtramque partem sunt adducta absque alia speciali declaratione, cum prædicti status ratione essentiæ videantur excludere prædictam latitudinem; secus verò ratione alicuius accidentis. Quibus omnibus in communi sic ad notatis conuenit modo, vt breuiter videamus quid iuris de quolibet eorum in particulari. Qua de re, vt ordinatè procedamus, primo de statu ciuilitatis legimus in iure illam acquiri, aliquando origine, aliquando domicilio, aliquando honoris collatione, aliquando priuilegio, & aliquando cessione. l. cum neque, cum omnibus sequen. vsque ad finem tit. C. de Incol. lib. 10. & ibi Bart. & alij. Boë. omninò vidē. in sua decis. 160. per tot. cum alijs ibidē adduct. Quæ quidem ciuilitates cum differant specie, vt infra suo loco clarius dicemus, atque sub qualibet reperiantur indiuidua, sequitur inde, quod sicut sub vtroque respectu datur prædicta latitudo; & gradus; ita etiam datur præcedentia. Hinc est, quòd illa reperitur aliquando inter vnam, & alterā ciuilitatē, aliquando verò inter indiuidua vnius. Quomodo autem, & qua de causa id contingat in propria quæstione sumus dicturi. Secundo considerando statum religionū, duo debemus in eo ponderare, primo cum sub eo reperiantur plures religiones, quomodo videlicet illæ ad inuicem differant. Secundo an hoc idem sit dicendum de ipsis met religiosis. Quoad primum nemini est dubium religiones esse multas ac diuersas, siquidem imprimis obseruo quasdam esse Cœnobitarum, quasdā verò Hæremitarum, rursus quasdam esse ordinatas ad vitam contemplatiuam, quasdam verò ad vitam actiuam, vt videri potest apud eundem D. Tho. in d. q. 188. & clarius apud Castan. in d. p. 4. Qua de re sicut prædictæ religiones differunt specie sicut etiam in qualibet earum plura reperiūtur indiuidua; ita etiam sub vtroque respectu præcedentia datur, & de ea sæpè controuersia oritur, & ratio est, quia quælibet species videtur habere latitudinem, cum tam vita contemplatiuā, quam etiam actiua non consistat in puncto; sed habeat gradus, & propterea vna potest esse maioris contemplationis, vel actionis altera. His accedit, quod sicut per vnam contemplationem mágis quis vnitur Deo, quam per aliam; ita etiam actio vna potest esse ordinata ad nobiliorem finem altera. Hinc videmus actionem vnam esse ordinatam ad docendum; altera ad prædicandum; tertia ad sacramenta administranda; alia verò ad aliud simile opus pium exercendum. Qua de re nobilitas religionis, eiusq; præcedentia præcipuè videtur desumenda, atq; cognoscenda, aut a maiori vnione in contemplando cum Deo; aut a nobiliori fine vitæ actiuæ. Sed quoniā de huiusmodi nobilitate, ac

præ-

præcedentia latiùs habetur oratio apud doct. loc. cit. ideò ad eos me remitto. Nunc quoad religiosos attinet legimus in iure eos fieri aliquando deuotione paterna, aliquãdo propria professione, & aliquando voto. §. 1. cum seq. instit. cano. de regul & Mona. inde inferri potest maiorem sanctitatem reperiri in vno religioso, quam in alio; & propterea sicut vnus est perfectior altero; ita etiam præcedere debet. Ad hæc omnia unũ est addendum, quòd licèt præcedentia religionum, & religiosorum desumatur ex supra dictis, nihilominus desumitur etiam ex alijs capitibus, de quibus diximus supra q. 3. art. præsertim 7. Et cum de hoc statu nõ sit intentio nostra specialiter tractare; ideò sit satis ista adnotasse. Vnde sequitur nunc status clericorum, qui cõtrahitur, & acquiritur per promotionem ad ordines, de quibus est ad notanda distinct. 23. per totam. Hæc autem promotio non habet certam formam, quia sicut ordines sunt plures, & diuersi: ita etiam eorum forma est multiplex, atq; diuersa, vt ibidẽ habetur, & in toto primo libro instit. iur. can. Qui quidem status cum dependeat essentialiter à potestate ordinis, & aliquo respectu iurisdictionis, atque de ea infra in propria quæstione sumus dicturi; ideò nõ oportet hic aliud animaduertere. Vnde quarto loco sequitur status continentiæ, seu modi viuendi; qui licèt posset fortasse diuidi, tamen non reperitur aliqua regula ad illius partes, seu species, aut indiuidua cognoscenda, siquidem potest quis eligere sibi talem vitam, & modum viuendi, vt dici valeat solitarius, potest etiam idẽ facere ingrediendo aliquam confraternitatem, quæ multiplex, ac diuersa reperiri potest, ad similitudinem religionum, siquidem huiusmodi confraternitates reperiũtur ordinatæ ad diuersa opera pietatis, sicut prædictę religiones. Qua de re sicut in religionibus datur præcedentia ex diuersis capite, vt supra demonstrauimus; ita etiam hoc idem videtur affirmandũ de huiusmodi confraternitatibus, & propterea in casu controuersiæ de præcedentia earum oportet omninò recurrere ad illa eadem capita, vt supra quoad religiones adnotata; cum religiones, & confraternitates, sub hoc tamen respectu, non videantur inter se differre. Propter quam quidem æquiparationem, cum intelligamus (ni fallor) quid iuris de earundẽ præcedentia; atque non sit intentio nostra in præsenti pertractare de huiusmodi cõfraternitatibus, sicut nec de religionibus, vt diximus; ideò sit satis ista de eis obseruasse. Sequitur nunc alius status, & iuxta ordinem propositum in præcedenti articulo, dicitur status vitæ liberæ, qui cum sit ferè idem cum statu præcedẽti: ideò quæ supra proximè adnotauimus videntur locum habere etiam in præsenti statu. Qua de re vlterius procedendo sequitur nunc status coniugatorum, qui cum non recipiat aliquã diuisionem, nisi ratione alicuius accidentis, ideò de eo solùm illud erit adnotandum, quomodo videlicet in tali statu detur præcedentia. Ad id autem cognoscẽdum debemus præmittere matrimoniũ secundũ Theologos considerari quadrupliciter, vt

etiam

etiam infertur ex toto tit.institu.iur. canon.de facramen. matrim. Primo enim cõfideratur, vt officium: fecundo vt remedium: tertio vt cõtractus: quarto vt facramentum. Qua de re aliquando ista quatuor in eo reperiũtur, & aliquando fecus. Hinc videmus coniugatos aliquando tot habere filios, vt a iure gaudere debeant immunitate, & propterea ex hac cõtemplatione poffumus illud affirmare, vt matrimonium vnum fit nobilius altero, & fuccefsiuè præcedere debeat, cum fæpè videamus aliquod matrimonium effe fterile, aliud verò fœcundum, & fic vnum eft Reipub. vtilius altero. Poffet etiam idem matrimonium alio fimili accidente diui di, & ponderari, & fuccefsiuè alia ratione præcedentiam in eo dari, vt eft exempli gratia matrimonium verum, & aliquando putatiuum, & fic præcedentia alia ratione videtur in eo data. Et quoniam alia regula huiufmodi accidentia cognofci nequeunt; ideò fit fatis prædicta adnotaffe ad intelligendum quomodo præcedentia in ftatu coniugatorum reperiatur. Nunc ad ftatum paupertatis defcendendo, dicimus primo afpectu non dari in eo aliquam præcedentiam. Licèt enim paupertas de iure habeat diuerfa priuilegia, vt docet Cornel. Benincafius in fuo tractа. de paupert. rogandus eft tamen Deus, vt liberet nos ab huiufmodi priuilegijs. Dixi autem primo afpectu, quia paupertas poteft confiderari dupliciter, videlicet fimpliciter, & fecundum qualitatem perfonæ; ideò an in tali ftatu detur præcedentia poffet dubitari. Cæterùm quicquid fit de iure, fatis eft in facto præcedentiam in tali ftatu non dari quoad temporalia; quoad fpiritualia verò non videtur vndiq; clarum, cũ quædam religiones reperiantur, quæ profitentur paupertatem in particulari, & in communi, vt eft religio Capuccinorũ, vnde videntur effe refpectu Dei in perfectiori ftatu, & fuccefsiuè debere præcedere. fed quoniam non eft intentio noftra de fimili præcedentia pertractare, vt etiam fupra diximus; ideò fequitur vt videamus de ftatu potentium. In quo fine controuerfia reperitur præcedentia, & propterea potentiores in iure, & de facto præcedere debent. De qua re quoniam infra in propria quæftione fumus dicturi, ideò fequuntur vltimi ftatus nobilium, & ignobilium, in quibus fine controuerfia datur præcedẽtia, fiquidem ficut nobilitas eft multiplex, vt docet Abb. in c. 1. de donat. ita etiam ignobilitas. Præterea ficut nobilitas acquiritur diuerfis modis; ita etiam diuerfis modis contrahitur ignobilitas, vt copiosè docet Tiraq. in fuo tract. de Nobil. c. 3. cum mult. feqq. De quibus omnibus quoniam infra in propria quæftione fumus dicturi, ideò non conuenit in præfenti aliud adnotare. Ex quibus omnibus debemus concludere quemlibet ftatum habere latitudinem, & gradus, & fuccefsiuè præcedentiam. Intelligimus etiam vnde illi defumantur, atq; cognofcantur.

An status, de quibus supra, eorumq; præcedentia differant specie, vel numero. *Art.* 4.

PRo solutione istius artic. oportet cõsiderare cõtenta sub quolibet statu, vt supra specificè declarata. Qua de re cõtenta sub statu ciuilitatis videñt differre specie, quia quælibet ciuilitas modis prædictis acquisita subdiuiditur; ita tamen, quòd contenta sub tali subdiuisione differant numero, vt exempli gratia, cum plures reperiantur ciues ciuilitate originis, ac etiam plures reperiantur ciues ciuilitate domicilij, videtur inde necessariò inferendum, ciuilitatem originis, & domicilij differre inter se specie: ciues autem sub qualibet earum comprehensi differre numero. Vnde a simili procedẽdo hoc idem est dicendum de alijs ciuilitatibus, atq; hoc idem dicimus de statu religionis, de statu Clericorum, atq; de alijs similibus, cognitis enim terminis generis, speciei, & indiuidui, iuxta declarationẽ a Logicis de eis traditam, quàm facillimè cognoscitũ quomodo prædicti status, & contenta sub eis differant specie, vel numero. Qua de re non videtur necessarium descendere ad declarationem cuiuslibet, quia esset fortasse repetere ea, quæ diximus in præcedenti articulo, & propterea videtur satis dedisse, atq; explicasse regulam generalem ad solutionem istius articuli, illiusq; intelligentiam. Ad quæ quidẽ omnia satis erit illud vnum per modum compendij addere, & obseruare, quòd status ciuilitatis, religionis, clericatus, & continentiæ sunt tanquam genera, quia quilibet eorũ diuiditur in species, & postea quælibet species subdiuiditur in indiuidua. Reliqui verò status videlicet liberæ, & solutæ vitæ, coniugatorum, pauperum, & potentium, vidẽtur potius species, quia cõtenta sub eis potius numero, quàm specie dicuntur differre. De statu deniq; nobilium, & ignobilium posset, & meritò quidem dubitari, an sit genus, vel species: siquidem nobilitas genere videtur differre specie a nobilitate animo, vel moribus. Quid autem absolutè sit dicendum, cum parum, vel ferè nihil referat id definire, quantũ facit ad quæstionem propositã; ideò sit satis de proposito articulo ista adnotasse.

An, & quomodo status de quibus supra admittant magis, & minus. *Artic.* 5.

QVamuis ex his, quæ diximus supra articulo tertio desumi posset solutio ad præsentem, nihilominus quoniam est admodum vtile, nedicam necessarium, intelligere quid iuris de quæstione proposita, cum præcedentia in his reperiatur, quæ admittunt magis, & minus; ideò descendendo ad declarationem, dicimus, quod cum prædicti status vno respectu distinguantur specie; alio verò numero, & propterea prætendentes præcedentiam aliquãdo vno, & aliquando altero de modis prædictis, illam prætendere valent; Vnde vt sub vtroque respectu videamus quid iuris de re proposita, dicimus

mus primo ponderando prædictos status quatenus differũt specie, vt cognoscere valeamus qua via recipiãt magis, & minus; duo debemus considerare, videlicet, causam talis status: secundo eiusdem effectum. Quo ad causam attinet oportet illam considerare respectu cuiuslibet status, vt exempli gratia, causa status ciuilitatis est aliquando origo, aliquando domicilium, & aliquando priuilegium, vt diximus supra. Vnde sicut huiusmodi causæ admittunt magis, & minus, ex quo vna est efficacior altera; ita etiam hoc idem est dicendum de tali statu, vt infra clarius dicem⁹. Qua de re a simili procedẽdo hoc idẽ puto dicendũ de causis aliorũ statuũ, & successiuẽ omnes supra dicto respectu dicuntur admittere magis, & minus. Quatenus autẽ prædicti status considerentur sub differentia numerali, idem puto animaduertendum, vt exempli gratia, si orta fuerit quæstio de præcedentia inter duos ciues ciuilitate tantum domicilij, ille deberet præcedere, cuius domicilium est antiquius ob priuilegium antiquitatis, de qua diximus supra sæpe sæpius. Et ita intelligimus quomodo huiusmodi status sub prædicta differentia numerali admittat magis, & minus, & propterea a simili procedendo hoc idem puto dicẽdum de quolibet alio ratione indiuiduorum, & prædictæ differentiæ numeralis. Qua de re considerando prædictam causam prædictorum statuũ puto concludendum ex ea inferri, atque cognosci quomodo illi admittant magis, & minus. Nunc considerando effectum eorundem, & sic descendendo ad secundum caput in ordine, vt supra propositum dicimus, quod pdicti status quomodo admittant magis, & minus, cognoscitur etiam ab effectu, siquidem si consideremus imprimis prædictos status, quatenus differunt specie, clarè cognoscitur, quod licet effectus vnius speciei est longè melior, & maior effectu alterius; ita etiam inde habetur cognitio quomodo prædicti status ex hoc capite admittant magis, & minus, vt exẽpli gratia status clericatus producit vtiliorem effectum statu ciuilitatis; ideò admittunt magis, & minus. Et ita hoc idem est dicendum de alijs. Qui quidem statuũ effectus si considerentur ratione indiuiduorum, quæ sub quolibet statu reperiuntur, idem puto dicendum. Qua de re ex omnibus his possumus concludere solutionem articuli esse affirmatiuam. Vnde sicut in quolibet statu sub vtroque respectu, vt supra consideratο, datur magis, & minus, ita etiam præcedentia.

An, & quomodo status vnus de prædictis sit maior altero, & sic præcedentia eidem debeatur. Art. 6.

OB maximam istius articuli vtilitatem conuenit eius solutionem altius repetere. Inter status igitur de quibus supra status clericorum videtur omnibus alijs maior põderando text. in c. a Subdiacono in fi. distin. 93. vbi legimus Abbatẽ subiectum esse Ostiario. ergò &c. Cõfirmatur, quia status iste habet potestatem ordinis §. 1. insti. cano. de sacram.

eram.ord.ergo ratione istius potesta-tis idem videtur dicendum. Secundo nos habemus non esse licitum trãsire de vno statu superiori ad aliquẽ inferiorem, sed bene è contra c. 1. de translat. prælat. c. licet de regul. cum simil. At quoniam Religiosus potest fieri Episcopus c. si Abbatem, cap. si Religiosus, de electio. in 6. §. fin. & ibi glo. inst. cano. de postul. ergo idẽ quod supra. Tertio docent doctores sacramentum ordinis esse dignitatis. §. sed notandum, cum ibi adnot. 1. q. 1. Ex quo infertur statum clericorũ esse dignitatis virtute istius sacramẽti. At quoniam reliqui status nullã habent dignitatem, vel si habent, nõ est talis, vt constat de Religiosis non ordinatis ad prædictum sacramentũ, merito &c. Quarto status ille videtur de iure præferendus, quo mediãte est vtilis sibi, & alijs quia procurat sua, & aliorum salutẽ iuxta tradita a D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 2. At quoniam status Clericorum est ordinatus pro administratione diuinorum ad salutem proximi, cum ad hunc finem sit institutum Sacramentum ordinis, ergò &c. Quinto Christus circa erectionem suæ Ecclesiæ: primo elegit Apostolos, & cum in eorum electione constituisset prædictũ statum, & postea reliqua omnia sint sequuta, videtur propterea tenendum idem quod supra etiam ratione prioritatis in tempore. In contrarium verò possumus affirmare statum religionis, & religiosorum verius esse præferendum, primo quia secundum Theologos status iste dicitur perfectionis iux. tradita a D. Thoma 2. 2. q. 184. art. 8. meritò &c. Secũdo per statum religionis homo magis vnitur Deo, quam per quemlibet aliũ, & propterea etiam Episcopi debent aliquando ingredi religionẽ c. pen. de uot. Et aliquando possunt Episcopatui renunciare, iux. c. nisi de renunciat. ergò status iste videtur supe rior, & sic præferendus. Tertio excellentia, & maioritas alicuius status videtur desumenda aut a fine, aut ab operatione: at quoniam sub vtroque respectu status religionis videtur excellentior, & maior ob rationem assignatam, quia videlicet homo magis vnitur Deo, cum vigore voti religionis renunciet Mundo, & põpis eius, ergò idem quod supra. Quæ omnia licet videantur argumenta satis vrgentia, nihilominus his non obstantibus status coniugatorum videtur supradictis maior, & præferendus. Et ratio est, quia docent docto. communiter matrimoniũ esse antiqui⁹ quolibet alio sacramento §. 1. & ibi glo. insti. cano. de sacram. matrimo. Cæterum nec etiã status iste in casu præcedentiæ videtur præferendus, sed potius status ciuilitatis, ea tamen ratione, qua ciuilitas essentialiter denotat id, quod in quolibet statu continetur, nempe ciuiliter viuere, sine quo cum nullus status possit esse perfectus, ideò debet præcedere tanquam causa perfectionis aliorũ. Sed vlterius nec status iste videtur ad huiusmodi præcedentiam admittendus, sed potius status potentiæ, Siquidem quotidie videmus omnia cedere potentiæ, & propterea iudices in executione sentẽtiarum illam adhibere solent. Atque hac de causa habent milites, & satellites ar-

matos; Hinc videm⁹ principes bellā do coadunare numerosos exercitus, Vnde, vt plurimum qui habent exercitum magis potententē soliti sunt vincere. Quæ omnia quamuis denotent potentiā debere præcedere, nihilominus præcedentia nec ei, nec supradictis videtur concedenda, sed potius nobilitati ob maximas, ac diuersas illius prærogatiuas, de quibus copiosè multa nos docet Tiraq. in d. suo tract. de nobilit. c. 20. per tot. Hinc videmus, quod quamuis dispēsatio iuris in iure damnetur, fauore tamen nobilitatis illa conceditur. c. de multa, in fi. de prebē. primo enim nobiles magis quā alij ad magistratus promouentur, idem doctor ibidem in principio cum sequen. Secūdo præsumptio est pro nobilitate, ibidem numero 20. & sequen. Tertio nobiles mitius puniuntur, quam alij, ibidem numero 104. & sequen. Quarto nobiles nequeunt conueniri vltra id, quod possunt, ibidem numero 136. & sequen. Quinto nobiles sint immunes a muneribus publicis, ibidem numero 159. & sequē. Sexto ob nobilitatem conseruandam permittitur matrimoniū vbi alias esset prohibitum, ibidem numero 180. & seq. cum alijs ibidem adduct. Volui istas prærogatiuas hic adnotare ad significandum, quod maxima ratione dictum est supra præcedentiam deberi prædicto statui nobilitatis. Quæ omnia quamuis non videantur negocium facere, nihilominus ob excellentiam, & nobilitatem scientiarum non prædictis, sed scientiarum professoribus præcedentia videtur omninò concedenda, tanta enim est rerum cognitionis vtilitas, imò necessitas, vt D. Tho. in suo lib. 1. contra Gentes cap. 5. docet, quòd fides ideò hominibus fuit vtilis, & necessaria, quia non omnes rerum scientijs in honorem Dei operam nauare possunt, & propterea præcedentia prædictis professoribus, & nō alijs videtur concedenda, vt clarius infra in propria quæstione dicemus. De alijs statibus non oportet hic aliquid adnotare, cum videatur clarum illos supradictis cedere debere, nisi de eis illam disputemus quæstionē; An videlicet vita solitaria sit melior vita sociali, de qua copiosè pertractat Marcus Guazzus in suo tract. de conuersat. ciuil. sustinendo enim hanc opinionem, quod vita solitaria sit melior qualibet alia, iuxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 8. Sequitur inde statum istum debere præcedere supradictis. Ex quibus omnibus difficile admodum videtur definire quid iuris in tanta varietate, cum quilibet status non sine vrgenti ratione prætendat præcedentiam. Cæterùm pro solutione puto animaduertēdū, quòd sicut sacramenta diuersa ratione hoc habent proprium, vt vnum sit maius, & nobilius altero, adnotat glo. ad tit. instit. iur. cano. de Euchar. in prin. in verb. maximum. Sacramentum enim Baptismi est maius ratione ianuæ, & fundamenti; sacramentum Cōfirmationis ratione ministri: sacramentum Pœnitētiæ ratione secundi naufragij: sacramentum Eucharistiæ ratione rei contentæ: sacramentum Ordinis ratione dignitatis: sacramentum Matrimonij ratione antiquitatis, & latitudinis: sacramentum.

mentũ deniq; Extremæ vnctionis ratione exitus vitæ humanæ. Ita etiam a simili procedendo supradicti omnes status talem habent ad inuicem respectum, vt vnus, diuersa tamen ratione sit maior altero, vt satis clarè constat ex supra relatis: vnde status ciuilitatis dicit maior quolibet alio ratione amplitudinis, cum in quolibet statu vnusquisque ciuiliter viuere debeat. Nec obst. si ex aduerso dicatur præcedentiam non considerari, nec deberi ratione modi ciuiliter viuendi, sed ratione qua quis in sua ciuitate teneat certum gradum. Ad hoc enim respondetur, quòd cũ modus viuendi non sit vnius, sed diuersus, vt obseruare valui, & propterea videmus quosdam rusticè viuere: quosdam verò ciuiliter. & isti rursus secundum magis, & minus ciuiliter viuere reperiuntur, atq; hac forsasse de causa ciuitas vna videtur nobilior altera. Hinc est, quòd præcedentia etiam sub hoc respectu posset considerari, & propterea obiectio non videtur subsistere. Secundo status religionis ideò videtur maior, & dignior quolibet alio; quia per eum homo magis vnitur Deo, vt supra demonstrauimus. Docent enim Theologi, quòd cum de substantia religionis propriè dictæ sit, vt religiosus voueat Deo paupertatem, castitatẽ, & obedientiam. D. Tho. 2.2.q.186. & Sot. in suo tract. de iust. lib. 7. q. 5. per tot. Homo enim sicut in hoc mũdo habet tria genera bonorum; videlicet fortunæ, corporis, & animi; ita etiam per votum religionis priuatur prædictis bonis, & vnitur Deo. Siquidẽ clari est iuris, ac facti, quòd per votum paupertatis priuatur bonis fortunæ, per votum castitatis bonis corporis, per votum deniq; obedientiæ bono voluntatis, & successiuè sicut vnitur Deo, ita etiam status iste videtur maior. Tertio status clericatus est nobilior quolibet alio ratione dignitatis, & potestatis, cũ sit fundatus in sacramento ordinis, vt diximus supra, probat tex. in d. cano. a Subdiacono, in fi. dist. 93. De qua quidem maioritate, quoniã infra in propria quæstione sumus dicturi, ideò in præsenti non videtur necessarium vltra ea, quæ supra deduximus, aliud animaduertere. Vnde sequitur nunc quartus status, videlicet continentiæ, & modi viuendi; cui addi potest status vitæ liberæ, & solutæ, cum parũ differant inter se. Qui quidẽ status ea ratione videtur maior, & præcedere debeat, quia cum sapiat naturã vitæ solitariæ, successiuè sapit vitam contemplatiuã, de qua, vltra doctrinam supra relatam, verificatur illud sacræ paginæ dictum de Maria Magdalena quòd optimam partẽ elegit, & sic vitam contemplatiuam, quæ non auferetur ab ea. Et cum ad vnũ de prædictis statibus reduci valeat modus viuẽdi, qui habetur ex aliqua confraternitate; ideò de eo in præsenti non videtur opus aliud animaduertere. Vnde vlterius procedendo sequitur status coniugatorum, qui videtur alijs præferendus ratione antiquitatis, & amplitudinis, vt supra diximus. Nec obstat si ex aduerso dicatur religionem esse antiquiorem, iuxta l. 2. ff. de iusti. quia ad hoc dicimus d. l. esse intelligendam de religione in communi erga Deum. At

de religione in particulari, de qua diximus supra, obiectio limitatur, & nõ obstat. Et propterea statum coniugatorum esse præferendũ ob prædictos duos respectus. Status autem potentiæ quomodo alijs sit præferẽdus, satis clarè constat ex deductis. Siquidem si consideretur quoad factum solutio est clara, cum potentiores velint præcedere, & de facto præcedant. Quoad ius autem idem videtur dicendum, quia sine potẽtia mundus gubernari non posset. Vnde considerando huiusmodi statum in suo genere, non videtur esse recedẽdum a prædicta conclusione. De statu nobilium idem posset affirmari, quòd videlicet aliqua ratione, ac respectu sit præferendus, vt constat ex supra deductis. Idem possumus affirmare de statu professorum ob excellentiam, & maximam vtilitatem ipsarum scientiarum, & sic possumus concludere statum vnum esse maiorem altero, diuersa tamen ratione. Quæ quidem iuris cõclusio in facto ita cõsiderari potest, videlicet, quòd cõtrouersia inter duos status orta de præcedentia definiri valeat secundũ qualitatẽ casus contingentis, & grauitatem causæ prædominantis. Atq; hæc omnia a simili procedendo hoc idem puto dicendum de indiuiduis prædictorum statuum, & successiuè de præcedentia eorundem. An autẽ per oppositum idem sit dicendum de statibus oppositis, vt est exempli gratia status inciuilitatis, irreligionis, & similes, posset in dubium reuocari. At quoniam huiusmodi status regulariter tenentur potius præcedentiam cedere; quàm prætendere, licèt aliquando id possit limitari, ideò de eis non videtur necessarium aliquid hic adnotare. Ratio autem illa videtur esse, quia prædicti status, & similes potius videntur denotare minoritatem, quàm maioritatẽ. Qua de re per hæc omnia habemus (ni fallor) quod erat animaduertendum pro solutione, & intelligentia istius articuli.

An detur gradus vnius status maior gradu alterius.
Artic. 7.

Ex his, quæ diximus supra in alijs articulis debemus præsuponere prædictos status habere latitudinem, & plures gradus, vnde meritò quidem in præsenti conuenit adnotare quid iuris de articulo proposito. Quòd igitur detur gradus iste sicut proponitur ex deductis supra in alijs articulis videtur omnino clarũ, siquidem sicut quilibet status habet plures gradus, vt diximus, ita etiam possumus asserere gradum vnũ vni status esse maiorem altero, comparãdo eos ad inuicem. Hæc autem comparatio, & congruentia, vt clarius intelligatur; est vlterius animaduertendum, quod isti duo gradus ad inuicem comparati aut sunt eiusdẽ ordinis, aut non. In primo casu præcedentia videtur esse concedenda illi gradui, cuius status est maior, per ea, quæ supra sunt deducta. At in secundo casu si gradus maior fuerit maioris etiam status, tunc sumus in claris, sed si gradus iste maior fuerit

inse-

inferioris status est dubium an debeat præcedere. Solutio tamen est affirmatiua per ea, quæ infra sumus dicturi infra quæstione proxima. Quando autem prædicti gradus dicuntur esse eiusdem ordinis, & quando non, non videtur difficile scitu, siquidem præsuposita prædicta latitudine potest contingere, quòd gradus duorum exempli gratia statuũ, possũt esse primi. Aliquãdo verò vnᵘˢ erit primus, alter verò secundus. Ratio autem, quare in gradibus eiusdem ordinis in casu præcedẽtiæ debeat attẽdi maioritas status. In gradibus verò alterius ordinis attendi debeat maioritas gradus, quia in primo casu, cũ gradus præsuponãtur æquales, præcedentia erit desumenda a qualitate status; in secũdo verò a propria gradus maioritate, cum causa proxima de iure attendi debeat, iuxta. l. ligni, ff. de legatis tertio l. sed si plures. §. in argumento. ff. de vulga. cum ibi adnot. Iohan. Donat. in suo Enchirid. in verb. causa id erit ratio. Hanc quæstionem examinat in specie Lancello. Corrad. in suo templ. omn. iudi. lib. 2. c. seu §. primo quæstione 1. per tot. de potesta. secul. & ecclesiast. Nec debet obstare præcedentia status prædicti gradus inferioris, tum ob rationẽ assignatam: tum etiam quoniam gradus inferior per modum exempli discurrendo potest dici illustris; alter verò super illustris. Vnde sicut super illustris debet præcedere illustri; ita etiam a simili hoc idem possumus affirmare de gradibus prædictis. At quoniam de hac quæstione oportet etiã in sequenti specialiter verba facere, vt dixímus; ideò sit satis ista in præsenti obseruasse.

An, & quomodo detur præcedẽtia in ijs, quæ sunt eiusdẽ status.

Art. 8.

Articulus iste posset reputari superfluus per ea, quæ diximus supra quæstione 4. art. 6. Cæterum vt hic adnotemus quod ibi desiderari posset, propterea dicimus quòd contenta sub aliquo statu differunt aliquando specie, & aliquando numero, de primis verificatur tex. in d. c. statuimus de maiorit. De secundis verò c. 1. eod. De primis non oportet hic aliud animaduertere, cũ quid sit dicendum satis clarè habeatur ex deductis in præcedentibus. Qua de re præsuposito præsentem articulum esse intelligendum tantum de indiuiduis, & sic de his, quæ differunt numero. In tali casu illud indiuiduum cuiusuis status, quòd præcedentiam prætendat, aut id prætendit simpliciter, & sic in quocunque loco, tempore, & occasione: Et tunc ad id definiendum consideranda sunt causæ, & qualitates suæ prætensæ præcedẽtiæ. Quæ si fuerint maiores iuxta ea, quæ diximus supra tam in præsenti quæstione, quam etiam in tertia, & quarta sine controuersia præcedere debet, secus verò si non fuerint tales. Aut secundo loco id prætendit ratione alicuius officij, seu dignitatis consequendæ, vel sub alio simili respectu & sic secundum quid. Atque in tali casu nulla præcedentia videtur esse concedenda. Siquidem officium, seu dignitas, seu augmentũ

co-

eorum, regulariter requirit certam iuris solemnitatem, tā ex parte actus conferendi, quā etiam ex parte personarum promouendarum, & promouendum arg. c. cum in cunctis, & c. quia propter de elect. Quantū autem facit ad rem propositam probat etiam text. in. §. celebratur cum sequen. insti. cano. de elect. & tot. tit. qui elig. eligiue poss. eod. Hanc distinctionem desumpsi ex doctrina Abba. in d. c. 1. de maiorit. Vnde huiusmodi personæ modo prædicto considerata prætendentes præcedentiā in simili promotione imprimis debent ita considerari an habeant debita requisita ad tale officium, seu dignitatem, aut augumentum eorum, siquidem si dicta requisita non haberent, successiuè nec etiā prædictam præcedentiam prætendere possent. Si verò illa habeant, tūc vlterius est animaduertendum, quod aliquando reperiuntur illa habere æqualiter, & tunc esset locus gratificationi, iux. c. cum autem, de iur. patron. cum ibi adnot. Aliquando verò prædicta requisita in eis reperiuntur secundum magis, & minus. Et tunc ille est præferendus, qui est maiorum meritorū iuxt. ea, quæ diximus supra d. q. 4. art. 6. Hæc omnia volui vlterius dixisse ad maiorem intelligentiā etiā prædicti articuli, vnde quod ibi desiderari posset, habetur (ni fallor) ex præsenti declaratione. Quod autem hic addi queat ex his, quæ in d. articulo habentur erit supplendum, & propterea non oportet vlterius procedere.

QVÆSTIO VII.

De præcedētia hominis ratione dignitatis. Art. 17.

VIdimus in præcedenti quæstione de præcedentia hominis ratione status in communi, cōuenit modo iuri, & rationi secundum ordinem doctrinæ descendere ad quasdam speciales causas eiusdem materiæ iuxt. propositum institutum, quæ si non aliter, saltem aliquo respectu denotant etiam eiusdem hominis statum. Et cum dignitas in communi considerata regulariter præcedere soleat, ac debeat iux. totum titulum de maiorit. & obed. ea ratione, quia constituti in dignitate sunt superiores; ideò iudicaui admodum cōueniēs in præsenti examinare quæstionem propositam, circa quam videndum est; videlicet.

1 Quid sit dignitas, & quomodo hic illa accipiatur.
2 An, & quomodo diuidatur.
3 An, & quomodo dignitas ordinis sit maior qualibet alia.
4 An, & quomodo inter gradus potestatis ordinis detur præcedentia.
5 An iurisdictio ecclesiastica sit maior iurisdictione seculari, & quomodo.
6 An dignitas ecclesiastica secularis sit maior dignitate ecclesiastica

stica regulari.

7 An inter gradus dignitatis Ecclesiasticæ detur præcedentia, & quomodo.

8 An dignitas secularis ciuilis sit maior dignitate militari.

9 An inter gradus potestatis secularis, tam ciuilis, quam militaris, detur præcedentia, & quomodo.

10 An dignitas militaris terrestris sit maior dignitate militari maritima, & quomodo.

11 An dignitas militaris pedestris sit maior dignitate militari æquestri.

12 An in istis dignitatibus detur locus maior quolibet alio, & quisnam ille sit.

13 An sit facienda differentia inter præcedentias prædictarum dignitatum personarũ, & locorum.

14 An dignitas ordinaria sit maior delegata.

15 An gradus vnius dignitatis sit maior gradu alterius.

16 An præcedentia prædictarum dignitatum, earumque graduum reperiatur ratione qua sint subordinatæ, vel alio respectu.

17 Quomodo prædictæ dignitates, earumq; gradus cognoscantur in casu dubitationis.

Quid sit dignitas, & quomodo hic illa accipiatur. Art. 1.

DEscribitur dignitas ab Hostien. in sua summa, titu. de præben. & digni. §. quid sit dignitas, quòd sit quædam præheminentia in gradu. Hæc definitio non placet, quia oẽs illi, qui haberent aliquam præheminentiam, haberẽt etiam dignitatem, quod non videtur verum. Et hac fortasse de causa Abb. in c. de multa, nu. 2 r. eod. dicit dignitatem esse administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione. Quæ descriptio, licèt videatur magis congrua, tamen non videtur vndique satisfacere, ex præsertim ratione, quia definit dignitatem specialẽ, & nõ cõem, gl. super c. sedes, in verb. maiores de rescript. adnotat plura significata istius termini. Illa autem hic recensere non videtur necessarium, ideò vlterius procedendo dicimus vnà cum Archidiacono super c. 1. de consuetud. in 6. quòd dignitas accipitur tripliciter. Primo denotat administrationẽ rerũ ecclesiasticarum cum iurisdictione, & propterea dicit iste doctor, qui habet talem administrationem, dicit habere dignitatem. Secundo significat prærogatiuam ecclesiasticam tã in choro, quàm in capitulo, secundũ quod significatum Decanus cuiuslibet Collegij potest dici in dignitate constitutus. Tertiò dignitas denotat præheminentiam à consuetudine introductam. Quæ omnia quãuis sint notanda, tamen non videntur satisfacere, & propterea licet alij aliter etiã potestatem definiãt, vt videri potest apud Doct. in l. 1. & in l. imperium, ff. de iurisd. omn. iudi. nihilominus cum minimè describant potestatẽ, & dignitatem in communi, atque secũdum ordinem doctrinæ conueniat prius scire quid sit prædicta dignitas in communi, hinc est, quod postquam vidimus quid alij nos doceãt,

expedit modo, vt videamus quid meo iudicio sit dicendum. Vnde im primis puto animaduertendũ, quòd dignitas dupliciter accipi potest, primo largè, & impropriè. & sic denotat omnem praheminentiam. Atque sub hoc respectu nulla est differentia inter dignitatem, nobilitatem, & quamlibet aliam maioritatem. Secundo strictè, & propriè. Et sic illiùs significatum nil aliud videtur esse nisi potestas; & propterea constituti in dignitate dicuntur constituti in potestate. Atque hac fortasse de causa inscribitur rubrica de elect. & electi potesta. & secundum hoc significatũ est intelligenda rubrica de præben. & dignita. Ex qua distinctione inferendum est, dignitatem in tota quæstione proposita esse intelligendam, & accipiendam iux. secundum significatum, vt supra adnotatum. Vnde hoc præmisso, atque vlterius procedendo dicimus, potestatẽ ita denominatam esse a verbo antiquo, Posse, & propterea denotat potentiam. Ludouic. Carbo in suo tracta. de legib. lib. 11. q. 10. in princ. quæ non vnica, sed multiplex in iure reperitur, vt dicit iurisc. in l. potestatis, & ibi Alcia. ff de verb. signif. Vnde quantum facit ad propositum institutum, vna est priuata, altera verò publica. Qua de re in præsenti dignitas denotat potestatem non priuatã, sed publicam, quæ definitur a diuersis diuersimodè, vnde Barto. in d. l. 1. nu. 3. & in d. l. imperium nu. 2. describit potestatẽ sub nomine iurisdictionis, vt sit illa, quæ de iure publico est introducta cum necessitate a persona publica iusdicendi, & æquitatis statuendæ. Quæ definitio, licèt sit data a doctissimo viro, tamen non videtur communis, & propterea magis placet descriptio tradita a Ludouico Molina in suo secundo tract. de iusti. q. 21. in princ. vbi legimus potestatẽ nil aliud esse, quàm facultatem alicuius authoritatem, & eminentiam super alios habentis ad eorũ regimen, & gubernationem. An autem meliori definitione posset definiri non videtur necessarium hic examinare, cũ per ista intelligimus (ni fallor) quid sit potestas in communi, ex quo ad hanc definitionem, non solùm reducitur potestas iurisdictionis; sed etiã ordinis, cum tale sacramẽtum, & sic hæc potestas sit instituta ad dirigendum hominem in Deum. Et cum per hæc omnia habeam' quid erat adnotandum pro solutione istius articuli, in ordine tàmen ad maiorem intelligentiam propositæ materiæ, ideò nõ oportet vlteri' aliud animaduertere.

An, & quomodo dignitas, vt supra declarata diuidatur.
Art. 2.

Dignitatem tam in genere, quàm etiam in specie acceptam iux. ea, quæ diximus supra esse multiplicem, nemo est, qui dubitet. Hinc videmus in qualibet potestate publica, vt de ea loquamur, plures, ac diuersos dari ministros, & propterea non potest vlterius procedere, an illa diuidi valeat. Qua de re remanet nunc vt videamus, quomodo sit diuidenda. Et vt primo aliquid adnotemus ad mentẽ aliorum, ideò dicimus imprimis ad mentem Bart. in d. l. imperium

rium ff.de iurisd.omn.iud.quem multi sequuntur,potestatem sub nomine iurisdictionis diuisam esse in simplicem iurisdictionem,& imperium,& postea quamlibet partem subdiuidi. Medin.in d.suo tract.de iust.q.22.putat potestatē esse diuidendam a qualitate societatis: vnde sicut societas est multiplex, & diuersa; ita etiam hoc idem est dicendum de re proposita, & propterea in quæstione 21. eiusdem tractatus, diuidit eam a qualitate finis.Nauar.in c.nouit,de iudic.in 3.not. diuidit illam secundum qualitatem materiæ,cum alia sit secularis, alia verò ecclesiastica. Eam postea subdiuidit diuersimodè. In qua doctorum varietate, vt ego quoque referam quid meo iudicio sit dicendū, imprimis adnotare debemus potestatem esse considerandam iux.4. genera causarum. Vnde sicut ab illis dependet;ita etiam ab eisdem est desumenda eiusdem diuisio. Primo igitur considerando causam finalē, obseruo,quòd sicut finis est duplex,videlicet æternus,& temporaneus; ita etiam potestas vna est æterna, quia est ordinata ad primum finem, & dicitur potestas ordinis,cum sit fundata in eius sacramento, & instituta a Christo pro salute animarum,vt a fide habemus.Altera verò est temporalis, ordinata ad alterum finem, & propterea competit homini ratione præsentis vitæ. Quæ adhuc subdiuidit ad diuisionē alterius finis prædicti, quia ita subdiuidi potest,vt vnus sit secularis,& ciuilis, alter verò ecclesiasticus & Christianus.Ex qua distinctione habemus potestatem prædictam temporalem aliam esse ciuilem,& aliam ecclesiasticam.Hinc habemus etiam constitutionem eodem modo esse diuisam,distin.3.in princ. §. fin.& pen.Instit.canon. de iur.diui.& c.Atque in hac distinctione verificatur doctrina Molinæ, cum societas hominum in communi considerata eodem modo diuidatur; hæc autem potestas ecclesiastica dicitur vnita cum prædicta potestate ordidinis vt infra dicemus. Rursus potestas secularis subdiuiditur ad distinctionem sui finis, qui sicut consistit aut in conseruando, aut in defendendo,seu recuperando;ita etiā prædicta potestas vna dicitur ciuilis,altera verò militaris. Ex quibus habemus quomodo dignitas ex parte finis diuidatur, & quotuplex in communi illa sit. Eodem modo diuidi posset potestas priuata, verum quia nō est intētio nostra de ea in præsenti pertractare, ideò vlterius procedēdo,dicimus secundo loco eādē potestatē esse diuidēdā a causa efficiēte, quæ sicut non est vnica;ita etiā prædicta potestas ex hoc capite dicitur multiplex;causa igitur ista triplex reperitur, videlicet Deus, Natura, & homo. A Deo enim oritur potestas diuina,& ordinis, de qua diximus supra & est adnotādus tex.in §. sed notandum,& ibi doct.1.q.1. A natura verò oritur potestas naturalis,& propterea repetitur etiam in animantibus brutis,can.in apibus 7 quæst. 1. cum ibi adnot. Ab homine denique nascitur potestas humana ab homine introducta pro conseruatione illius societatis iux.doctrinam Molin. loc.supra cita. Hinc videmus, quod constituētes certas societates, & sub

illa viuentes constituũt etiam caput ad illius conseruationem, dando eidem authoritatem ad id necessariã, & opportunam, vt docet Molin. in d.suo tract.q. præsertim. 22. Tertio considerando materiam eiusdem similiter inde desumitur, atque cognoscitur potestatem esse multiplicem, hinc est, quòd sicut materia, vna dicitur ciuilis, altera militaris, tertia ecclesiastica; ita etiam eodem modo prædicta potestas in similes tres species diuiditur. Rursus quemadmodũ quælibet prædictarum materierum potest commodè subdiuidi in alias species; ita etiam prædicta potestas eodem modo sub diuidenda erit; Et ita ex parte materiæ intelligimus potestatis diuisionem. Quarto considerando causam formalem negari nequit etiam ex hoc capite dignitaté posse diuidi. Et ratio est, quia cum talis forma in casu proposito videatur denotare modum exequendi, atque ille habeatur aliquando a lege, & aliquando ab homine, iux. tradita in l.more maiorum.ff.de iurisd. om. iud. ideò potestas vna dicitur ordinaria, altera verò delegata. Ex quibus omnibus debemus concludere quomodo, & ex quo capite dignitas sit diuidenda. Quamuis autem in prædictis neminem adhuc viderem contradicentem; nihilominus posset aliquis vlterius quærere, an eadem dignitas posit ex alio capite diuidi. Cui quæsito disputatione omissa dicimus affirmatiuè esse respondendũ ea præsertim ratione, quia notorium est in iure totam materiam moralem dependere ab omnibus rerũ circunstantijs iuxt. distinctionem 29. can.erit, distinct.4.can.non satis, distinct.86.& c.non debet de consanguini. cum vulg. Qua de re si vltra prædictas causas considerentur vlterius etiam huiusmodi circunstantiæ, siue controuersia dignitas alijs quoque modis erit diuidenda, & proptеrea considerando circunstantiam, Quis, & sic personã, a qua potestas exerceri soleat, dicimus illam, aliam esse voluntariam, & aliam contentiosam iux.l.1.& 2.ff.de off.procõs. Rursus si consideretur circumstãtia, Quando, dignitas alia dicitur perpetua, alia verò temporalis, & ad hoc facit tex.in c.de causis, & ibi doct. de off.iud.deleg. Si consideretur iterum circumstãtia, Vbi, eadem dignitas ita diuiditur, vt vna sit vniuersalis; altera verò particularis. Hinc est, quòd dicunt doct. quodlibet castrũ habens territorium habere etiam iurisdictionem, vt cæteris omissis adnotat Hieronymus de Monte, in suo tract.de fin.regun.cap.80. Vltimo si cõsideretur circũstantia, Quibus mediis, datur distin. vt potestas vna sit legitima; altera Tyrannica, iux. tradita per doct. in c.1. & 2. de Scismat. & ita ex his omnibus habemus dignitatem esse multiplicem illiusque diuisionem desumi posse tã ex quatuor generibus causarum, quam etiã ex alijs rerum circumstantijs.

An, & quomodo dignitas ordinis sit maior qualibet alia.

Art. 3.

OMnes dignitates, ac potestates esse æquales ea præsertim ratione demonstrari potest, quia docet D.Pau.

D. Paulus ad Roman. quòd omnis potestas a Deo est. Quæ conclusio declaratur a Lancell. in suo lib. de re gu. iur. can. vt sit vera aliquando permissiuè; & aliquando effectiuè. Sed quomodocunq; sit, sicut author eius est vnicus; ita etiam prædictæ potestates videntur æquales. Confirmatur, quia omnes tendunt ad eundem finem, nempe ad vtilitatē hominis, meritò &c. Cetærum in contrarium est communis doctrina, nemo enim est, qui neget prædictam potestatem esse maiorem qualibet alia. Siquidē legimus in sacra pagina, quòd quæ a Deo sunt, ordinata sunt, at quoniam potestates omnes sunt a Deo, vt diximus, ergò sunt ordinatæ. Et successiuè vna est maior altera. Quòd autem potestas ordinis habeat inter omnes prærogatiuā, vt sit maior, inde apertè cognoscitur, primo quia est ordinata solum pro salute animarum, vt de fide habemus. Vnde sicut anima est nobilior qualibet alia re, præter intelligentias abstractas, quæ etiā Angeli dicuntur iux. doctrinam Philosophi lib. de anima; ita etiam hoc idē est dicendum de potestate ordinata ad salutem illius. Hinc datur forum pænitētiale iux. c. omnis vtriusq; sexus, de pæniten. Nec obstat hanc potestatem aliquando exerceri in foro fori, idq; contingit quando imponitur pænitentia publica, vel solemnis, quia id contingit in respectu ad eundem finem, vnde dicit tex. in cap. 1. eod. quòd peccatum publicum publica indiget pænitentia. Hinc obseruaui secundum professionem canonicam, aliquando imponi pænitentiā, aliquādo pænam, & aliquando vtrāque. Cæterum cum id non sit præsentis contemplationis, ideò vlterius procedendo secundo probatur eadē conclusio, quoniam potestas ista, cū sit fundata in charactere sacramenti ordinis, §. insti. cano. de sacram. ord. dicitur propterea inseparabilis: reliquæ verò omnes veniūt ab extra, & propterea sūt separabiles, glo. notab. super c. aqua, de consecrat. Hinc est, quòd prædicta potestas non potest delegari, secus reliquæ, vt in d. glo. legimus. Qua de re cum ratione istius inseparabilitatis prædicta dignitas videatur maior; ideò idem quod supra est concludendum. Tertio idem demonstratur a qualitate modi conferendi, siquidem in collatione istius potestatis non solum requiritur certa iuris positiui solemnitas; sed etiā quædam consecratio, qua mediante imprimitur prædictus character. De qua solemnitate, & consecratione varijs in locis tractatur in iure, præcipuè autē est adnotanda distinctio 23. ferè per totam, & cum tanta solemnitas non requiratur in collatione aliarum potestatum, vt notorium est in iure peritis, merito &c. Ex quibus omnibus habemus (ni fallor) nō solū solutionem ad artic. sed etiam intelligentiam illius, cum prædicta dignitas alijs præcedere debeat ratione authoris, finis, ac denique módi conferendi, cum illius prærogatiua in istis præsertim consistat. Ad remouendū autem omne dubiū oportet nunc respondere ad obiecta. Ad primum igitur dicimus, quòd licèt omnis potestas sit a Deo, dignitas tamen de qua agimus, descendit ab eo perfectiori modo, vt constat ex

deductis, & propterea, ficut Deus non eodem modo produxit potestates omnes, sed vnam altera nobiliori modo, ita etiam dicimus conclusionem esse veram, & obiectum non obstare. Ad id autem, quod in confirmationem adducebatur, respondet, quòd licèt omnis potestas tendat in vtilitatem hominis, quoniam tamen ipse reperitur ordinatus ad diuersum finem; sequitur inde, quòd sicut finis dignitatis, de qua agimus, est nobilior quolibet alio, cũ sit æternus, vt diximus supra, ita etiam hæc potestas erit nobilior qualibet alia.

An, & quomodo inter gradus potestatis ordinis detur præcedentia. Art 4.

Est adeò notũ apud Theologos, & doct. potestatem ordinis habere plures gradus, licèt dubitetur de numero eorum, vt nemo sit qui id in dubium reuocet. In controuersia tñ est, vt dixi, an sint septẽ, vel nouem, seu pautiores. Quam difficultatẽ cũ non conueniat in præsenti examinari, ideò puto pro nunc præsuponendum esse vnà cũ Canonistis illos esse nouem, videlicet Episcopatum, vt ab altiori incipiamus, Præsbiteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Acolitatum, Exorcistatum, Lectoratum, Ostiariatum, & primã tonsuram. De quibus omnib⁹ duo in præsenti sunt videnda, & adnotanda. Primo, an inter eos detur præcedentia. Secundo quomodo illa detur. Quoad primum resolutiuè ad mentem tñ doctorum procedendo dicimus prædictos gradus habere ad inuicem ordinem, & successiuè præcedentiam. Ordo autem prædictorum graduum inde desumitur, atque cognoscitur, quia cum considerentur dupliciter, videlicet respectu corporis Christi. Secundo respectu corporis mistici; ideò sub vtroq; respectu reperiunt ordinati. Primo enim modo adhuc dupliciter debent cõsiderari. Primo quoad fideles. qui debent admitti ad Corpus Christi recipiendum. Secundo ad illud idem sanctè conferendũ. Primo modo quoniam oportet rõne congruentiæ, vt corpus prædictũ in loco sacro, & Deo dedicato conferatur, qui communi vocabulo Ecclesia nominatur, iux. c. 1. & 2. de consecrat. distinct. 1. & de qua legimus, Domus mea, domus orationis. Hinc est, quòd fideles primo debẽt admitti in Ecclesia; ideò datur primus gradus, qui dicitur Ostiarius. Postquam autem sunt admissi debent doceri, & propterea datur secũdus gradus, qui nominatur Lectoratus. Quamuis autem per huiusmodi gradum præsuponantur instructi, quoniam tamen aliquando cõtingit a spiritibus immundis vexari, hinc est, quod ad eos liberandos ab huiusmodi vexationib⁹ fuit opportunum, ne dicam necessarium, alium gradum instituere, qui dicitur Exorcistatus. Vnde ex parte fidelium tres habemus gradus prædictæ potestatis, & dignitatis. At secundo respectu, vt supra præmisso, dicimus, quòd prædictum Corpus Christi cum debeat ab aliquo conferri, nõ simpliciter, sed cum debita consecrationis, & missarũ solemnitate. Hinc est, quòd ne id fiat in obscuro, ideò requiruntur luminaria, & propterea insti-

institutus fuit alius gradus, qui nominatur Acolitatus, cuius officium est præparare luminaria ad finem prædictum. Quæ quidem præparatio, cum non sufficiat requiritur vlterius, vt præparentur vasa sacra, & alia necessaria ad celebrationem Missarum ordinata, propterea institutus fuit alius gradus, qui dicitur Subdiaconatus. Quibus omnibus sic præparatis cum conueniat vlterius aliquem ordinari, vt immediatè seruiat in prædicta celebratione, & consecratione; ideò fuit etiam institutus gradus Diaconatus. Quibus omnibus absolutis, quoniam Missa celebrari debebat, & in illius celebratione Corpus Christi consecrari, & successiuè fidelibus conferri; hinc est, quòd fuit institutum Sacerdotium. Qua de re si prædicta dignitas, atq; potestas consideretur ex parte corporis veri, & sic Christi, septem habentur illius gradus, vt constat ex deductis. Nunc considerando eãdem dignitatem ex parte corporis mistici, & sic Ecclesiæ duo alij reperiuntur gradus, quorum vnus dicitur prima tonsura. Et ratio est quia antequam aliquis posset ordinari ad gradus supra relatos, erat conueniens ipsum ad illos præparari. Quæ quidem præparatio cũ fiat per prædictam primam tonsurã; ideò meritòquidem illa instituta fuit. Hæc omnia inutiliter fuissent ordinata, nisi adesset, qui prædictos gradus posset, & deberet conferre. Qua de re ad hunc finem fuit institutus alius gradus, & dicitur Episcopatus. Vnde cum gradus prædictæ dignitatis ex parte corporis veri dentur, & reperiantur. Septima ex parte verò corporis mistici duo alij, de necessitate iuris sequitur eos in totum adeò esse nouem supra relatos, vt non sint plures, nec etiam pauciores. Nunc quoad secundum caput supra in ordine propositum, licèt ex his omnibus inferri valeat quomodo in prædictis gradibus detur, & reperiatur præcedentia, cum illi sint subordinati, vt constat ex deductis, & probat textus omnino videndus in can. a subdiacono, distinct. 93. Nihilominus ad maiorem intelligentiam istius capitis, melius esse existimo ita distinguere, quòd præcedentia ista dupliciter considerari potest, ac debet. Primo quatenus illa sit admittẽda inter gradum, & gradum de prædictis, & tũc dicimus, quòd gradus ille præcedere debeat, qui est altior per ea, quæ supra diximus. Hæc autem præheminentia, quoniam cognoscitur ex deductis, ideò in præsenti, aliud nõ occurrit animaduertere, nisi quòd eam habeamus decisam in c. statuimus, & ibi doct. de maiorit. Secundo eadem præcedentia considerari potest quoad personas promotas in vno, & eodem gradu de eisdem; & in tali casu ille præcedere debet, qui fuit prior tempore in receptione talis gradus. iux tex. & ibi similiter doct. in c. 1. eodem. Ex quibus omnibus, cũ habeamus quomodo præcedentia reperiatur in prædictis gradibus, quæreret nunc aliquis, An prædictæ solutiones recipiant aliquando magis, & minus, & sic limitationẽ. Cuius quidem quæsiti solutio, cum habeat (ni fallor) partim ex deductis, partim verò ex deducẽdis; ideò sint ista satis.

An

An dignitas iurisdictionis Ecclesiasticæ sit maior dignitate iurisdictionis secularis. *Art.* 5.

QVamuis dignitas Ecclesiastica indifferenter reputetur maior, & dignior dignitate seculari; conuenit tamen secundum ordinem doctrinæ, vt per opposita videamus, quid iuris de proposito articulo. Quòd igitur dignitas, & potestas secularis sit maior dignitate ecclesiistica cognoscitur ex decisione tex. in c. 1. cum ibi adnot. de off. ordin. vbi legimus iudicem ecclesiasticum implorare auxilium publicum, cũ opus fuerit. Quæ quidem imploratio cum videatur denotare potestatem secularem esse maiorem, & potentioré, meritò, &c. Confirmatur, quia potestas ista secularis est antiquior, vt presuponitur in facto, & habetur apud Historicos, & propterea nemo est, qui neget ius ciuile esse prius tempore iure canonico, & cum tale ius dependeat a d. potestate, iux. tot. titu. instit. de iu. natu. ideo idem quòd supra. In contrarium est tex. in can. vlt. in decreto Beati Iuonis, par. 5. & in can. qui dubitet distinct. 96. atque est communis doctrina. Quam copiosè examinat, & declarat Turrecrem. in can. duo, distinct. 96. q. 2. in quæstione autem 3. docet ibidé iste doctor, potestatem secularem dependere ab ecclesia. Et cum nos in præsenti nil aliud intendamus, nisi demonstrare prædictam maioritatem, ideò puto animaduertendum præcedentiam, de qua agimus, esse desumendam a quatuor generibus causarum. Primo igitur loco considerando finem istarum potestatum sine controuersia habetur inde, atq; cognoscitur maioritas prædictæ potestatis ecclesiæ. Et ratio est, quia finis potestatis secularis est bonum ciuile, publicum, & cõe, iux. l. 1. & 2. cum ibi adnot. ff. de legi. finis verò dignitatis ecclesiasticæ est fœlicitas æterna, ac bonum commune Christianum, iux. tradita per doct. ad glo. summæ lib. decretalium, atq; ad hoc faciunt glosæ super §. 1. instit. can. de iur. canonico. Vnde sicut finis potestatis ecclesiasticæ est maior fine potestatis secularis, vt de se videtur notorium, ita etiam potestas vna est maior altera. Secundo considerando personas, a quibus prædictæ potestates exercentur, idem quod supra videtur de iure dicendum, quia potestas ecclesiastica est penes Pontificé; secularis verò penes Imperatorem, & cum Papa tanquam Sacerdos maximus, sit maior Imperatore, iux. tex. in c. solitæ, de maiorit. meritò, &c. Tertio hoc idem cognoscimus esse verum a qualitate materiæ, cum nemo dubitet materiam ecclesiasticam esse maiorem meteria temporali, cũ illa sit quid spirituale, & propterea ibidem, quod supra est dicendum. Quarto considerando formam non videtur esse recedendum a prædicta conclusione, cum dignitas ecclesiastica dirigat hominem ad suum finé perfectiori modo, hinc est, quòd ius ciuile in multis casibus reperitur correctum a iure canonico, vt exempli gratia videri potest in c. fin. de præscript. & in c. vltimo, & pen. de secundis nuptijs, cum similib. Ad hæc omnia addi potest similitudo, qua de

notatur

notatur quælibet potestas, siquidem potestas secularis assimilatur Lunæ, potestas verò ecclesiastica Soli, vt legimus in d.c.solitæ. Hæc omnia confirmantur, quia si consideretur persona Pont. & Imper. idem immò multo magis est tenendum, cum Imperator habeat potestatem seculare tantum: Pontifex verò vtramq;. cap. 1. de maior. in extrauag.com. licèt Pontif. quoad vniuersum orbem attinet, vnam potestatem exerceat per se; alteram verò per Principes seculares. Quæ quidem iuris conclusio, quamuis sit vera, & sequêda, nihilominus, quoniam reuocata fuit in dubiû, ideò conuenit nunc, vt respondeamus ad obiecta. Quamuis igitur ecclesia imploret aliquando prædictum publicum auxilium, non propterea sequitur potestatem secularem esse maiorem, siquidem docet Abb. in d.c.1. de off. ordin. potestatem seculare esse obligatam ad præstandum auxilium prædictum, & propterea in contingentia facti, posset ad id cogi per textum in c. Principes, & in c. administratores. 23. q. 5. Confirmatur, quia potestates debent coadiuuari ad inuicem, ad finem tamen earum.

Quando autem dicebatur vlterius potestatem secularem esse antiquiorem, posset id negari, siquidem ratione sacerdotij dignitas ecclesiastica videtur antiquior, cum habeat originem a veteri testamento, & ad hoc facit tex. in c. translatio de consti. cû ibi adnot. Cæterum dato hanc obiectionem omninò subsistere, nô propterea inde sequitur aliquod inconueniens, cum res vna de sui natura inferior aliqua ratione dicitur etiam superior, vt sæpè diximus supra, & infra quoq; dicemus. Hinc est, quòd quamuis ius ciuile sit antiquius iure canonico atq; præstet eidem aliquod auxilium, nihilominus ius canonicû omnium consensu reputatur nobilius. Hæc autem nobilitas cognoscitur ex prædictis quattuor generibus causarum, vt diximus in Compendio Iuris ciuilis in lectione 15. & vltima. Hactenus vidimus, an, & quomodo dignitas ecclesiastica sit maior seculari, conuenit nunc, vt breuiter videamus vlterius, an indifferenter ista conclusio sit vera. Ad id autem cognoscendum, puto animaduertendum istas duas potestates dupliciter cnnsiderari, primo in genere, secundo in specie. Primo modo non videtur esse dubitandum per deducta. At secundo respectu oportet vlterius distinguere, siquidem cum species prædictarum potestatû possint esse eiusdem ordinis atq; vnius, & vlterius; ita videlicet quòd vna sit, exempli gratia, in primo gradu; altera verò in secundo vel ambæ sint in primo vel secundo. Qua de re in primo casu non posset attendi contemplatio prædicta generica, sed solum specifica; secus verò in secunda. Et ratio est, quia in primo casu prædictæ species præsuponûtur inæquales; in secundo verò æquales. Quoad primû facit doctrina Corrad. in suo tract. templ. om. iud. lib. 2. §. 1. q. 1. Quoad secundum verò facit text. in l. qui de toto ff. de rei vêdic. Ex quo sequitur præd. conclusionem aliquâdo limitari, de qua limitatione, quoniam diximus supra q. præcedenti, art. 7. atque etiam infra sumus dictu-

ri.

ri, ideò sit satis in præsenti id adnotasse.

An, & quo modo dignitas ecclesiastica secularis sit maior dignitate ecclesiastica regulari. Art. 6.

PRæmittendum est ad intelligentiam istius articuli, quòd in ecclesia Dei personarum ecclesiasticarum quædam viuunt vita regulari, & in communi, & propterea fuisse aliquando dubitatum an omnia debeāt esse communia, vt videri potest 12. q. 1. per tot. & qui ita viuunt sunt Monaci regulares, & similes, qui cōmuni vocabulo dicuntur Cænobitæ. Licèt autem de Heremitis posit dubitari, nihilominus idem puto dicendum de illis tamen, qui religionē strictè acceptā profitentur, vt sunt Camaldulēses. Quædam verò aliæ personæ ecclesiasticæ viuunt vita seculari, vt sunt clerici, qui a qualitate vitæ seculares nominanē, non quòd viuant, seu viuere posint modo laicorum; sed quia non viuunt vita communi. Quæ quidem personarum distinctio, cum vnicuique videatur clara; ideò non occurrit aliud de ea animaduertere, nisi quòd in qualibet specie earum detur certa potestas easdem personas regendi, & propterea in isto articulo pro indubitato præsuponitur, dignitatem aliam esse secularem, & aliam regularē, de quibus dubitatur, prout in articulo dicitur. Hoc præmisso dicimus dignitatem ecclesiasticā regularem esse maiorem altera dignitate, quia status religionum est maior secundum Theologos statu clericorum, cum status ille dicatur perfectionis, vt diximus supra q. præcedenti, artic. 6. Vnde sicut status iste est maior, ita etiam illius potestas, atque dignitas. Secundo dicit D. August. in can. quantumlibet, distin. 47. Homines meliores, ac respectiuè deteriores non reperiri nisi in religione. Ex quo sequitur, quòd sicut religiosi sunt meliores; ita etiā eorum potestas videtur maior. Confirmatur, quia considerando religiosos deteriores, potestas ad illos coercendos debet esse efficacior, meritò &c. In contrarium imprimis est tex. expressus in c. a Subdiacono; in fi. supra sæpe cita. distinct. 93. vbi Abbas subijcitur Ostiario, vnde meritò, &c. Secundo idem probat tex. in can. quidam, cum plur. seqq. vsq; ad can. peruenit 18. q. 2. can. perluit. de relig. domi. & ibi etiam rubr. vbi legimus, Monasteria omnia, atq; Monacos de iure communi subiectos esse Episcopo, meritò &c. Confirmatur ratione, quia cum Episcopo sit commissa cura totius suæ diocesis iux. can. primum 13. q. 1. sequitur inde ipsum curam gerere etiam erga monacos, & propterea idem quod supra videtur de iure dicendum. Pro solutione puto tenēdā esse cōclusionē, quòd dignitas ecclesiastica secularis sit maior dignitate ecclesiastica regulari, & propterea in casu præcedentiæ præcedere debeat. Quæ quidem iuris conclusio, vt clarius intelligatur, primo est animaduertendum an sit intelligenda secundum terminos iuris communis, aut præsupositis priuilegijs cuiuslibet religionis. Primo modo adeò videtur vera, & clara,

clara, vt non remaneat dubitandi locus per ea, quæ diximus supra pro hac parte. Et ad hoc facit tex. in c. quod super his, de maiorit. At secundo respectu quoniam præsuponimus regulares vigore priuilegiorum Sedis Apostolicæ esse exemptos a iurisdictione Episcoporum, & successiuè regi, & gubernari a proprijs superioribus in eadẽ religione professis, & propterea adnotaui supra in principio istius articuli prædictam distinctionem de dignitate ecclesiastica, ideò dubitari potest an prædicta cõclusio verificari debeat etiã sub hoc respectu. Cui quæsito puto affirmatiuè esse respondendum, quia quamuis regulares sint exempti, vt diximus, nihilominꝰ Episcopi in multis casibus retinent super eis iurisdictionem, & potestatem, vt habetur etiam in Cõcilio Tridentino varijs in locis, præcipuè autem sess. 25. de regul. Secundo iurisdictio Episcopi videtur amplior iurisdictione Abbatum. Siquidem præsuposito, aliquem Priorem generalem habere sub sua potestate, & cura notabilem numerũ Religiosorum data tamen debita proportione, multi sunt Episcopi, qui lõgè maiorem numerum reperiuntur habere subditorũ, & propterea ratione amplitudinis, idem quod supra videtur de iure dicendum. Ad hæc addi possent ea omnia, quæ diximus supra q. præcedenti articulo 6 Quæ breuitatis gratia hic aliter non referam. Hæc conclusio posset vlterius declarari, iux. distinctionem in præcedenti articulo in fi. adnot. Siquidem istæ duæ dignitates aut considerantur in suo genere, & simpliciter, & sic verificatur conclusio, & quæ supra deduximus. Aut ratione graduum, & specierum earumdem. Atque sub hoc respectu cum eadem distinctione procedendo dicimus, quòd si huiusmodi gradus, & species considerentur ratione qua sunt æquales, & sic sub eodem numero tunc debet attendi prædicta præcedentia generica, & secũdum illius fundamenta definire in casu contingente quid iuris. At si prædictæ species, & gradus fuerint inæquales, ita quòd vna sit exempli gratia in primo numero, altera verò in secundo, tunc præcedentia specifica cum suis fundamentis est sequenda, iuxta ea, quæ diximus in præcedenti articulo in fi. atq; in præcedẽti quæstione articulo 7. Ex quibus omnibus inferri potest solutio ad quæstionem de præcedentia ortam inter aliquẽ Episcopum, & aliquem priorem generalem cuiusuis religionis. In qua quæstione si prædicta præcedentia sub d. ratione generali esset consideranda, quilibet Episcopus deberet præcedere per ea, quæ diximus supra. Si verò consideretur secundum rationem specificam, iux. distinctionem supra datam, quæstio proposita haberet aliquam difficultatem, cum ratio prædicta specialis posit oppositum fortasse demonstrare, & suadere. Causa autẽ illa videtur esse, quia sicut religiones sunt multæ, ac diuersæ, ita etiam Episcopatus, vnde non esset a ratione alienum quòd aliquando aliqua religio præcedat alicui episcopatui. Qua de re secundum qualitatẽ istius specialis præcedẽtiæ oportet affirmare, quòd specialis religio aliquando præcedat, & aliquãdo cedat.

O dat.

dat. Hæc autem solutio, cum dependeat tam ex deductis supra quã etiã ex infra dicendis; ideò remanet nũc illud solũ, vt respondeamus ad obiecta, & propterea dicimus ad primũ. Quòd licèt status Religiosorum sit perfectionis, non propterea tenet consequentia ipsum esse maiorem, cum status Clericorum ex propria eius natura dicatur status dignitatis, vt supra sæpe diximus. Posset id cõfirmari, quia religiosi quoad Mundũ habentur pro mortuis, doct. in l. Deo nobis. C. de Episc. & cler. & propterea non debent præcedentiã prætẽdere. Sed dato argumentum subsistere, dicimus vlterius, quòd cum clericatus alia ratione sit maior, vt constat ex deductis, ideò sequitur prædictam conclusionem adhuc remanere veram, cum attendi debeat in materia præcedentiæ maior ratio, vt demonstrauimus supra q. 4. art. 7. & 8. Ad secundum respondetur, quòd licet in religione reperiantur homines meliores, & respectiuè deteriores, quam in quolibet alio statu, nõ propterea tenet consequentia illum esse maiorem, cum ob alias causas clericatus longè præcedat, vt constat ex deductis, & propterea de prædicta conclusione non videtur esse amplius dubitandum.

An, et quomodo detur præcedentia inter gradus, seu species iurisdictionis, & dignitatis ecclesiasticæ. Art. 7.

PRæmittendum est pro solutione istius articuli, quòd dignitas, & potestas ecclesiastica duplex est; Vna enim denominatur ab ordine, de qua diximus supra art. 3. Vnde in præsenti non occurrit aliud adnotare. Altera verò dicitur iurisdictionis, quæ an sit vnita cum prædicta, fuit aliquando dubitatum. Vnde Caiet. in suis opusc. tom. 1. tract. 7. q. 1. demonstrat, quod sacramentum pœnitentiæ non possit conferri absque iurisdictione. Ego autem obseruando professionem sacrorum canonũ, semper fui istius sententiæ; quòd potestas ordinis, & quilibet grad⁹ eius a nomine exerceri valeat, nisi habeat etiam annexam iurisdictionem, ordinariam, vel delegatam, seu aliquem gradum illius. Atque ac etiam de causa videtur statutum a Consilio Trident. sess. 23. c. 6. de reforma. nẽminẽ esse tonsurandum, nisi de mandato Episcopi, seruiat alicui ecclesiæ. Ex hoc enim infertur (ni fallor) istas duas potestates esse ad inuicem vnitas, & sic opinionem meam esse omnino veram; quæ adhuc confirmari posset tali ratione, quòd ordinatus ad quemuis ordinis gradum nequeat illum exercere in aliena ecclesia, nisi de licentia illius rectoris, & sic cum aliquali iurisdictione. Ex quibus omnibus puto inferendum iurisdictionem ecclesiasticã necessariò habere gradus, & species, cũ sit vnita, vt supra. Posset vlterius eadẽ iurisdictio alio modo diuidi, eiusq; diuisionis cognitio haberi, siquidem, sicut materia eius potest diuidi, iuxta ea, quæ diximus supra art. 2. ita etiã eodem modo diuidi debet hæc iurisdictio. iuxta tradita per doct. in l. imperium. ff. de iurisd. om. iud. & in c. quod sedem, de off. ord. vbi respectiuè.

uè Bart. & Abb. Quot autem sint huiusmodi gradus disputatione omissa, placet opinio istorum doctorum tenentium illos esse sex, quorum superior, & sic primus dicitur maximus: secundus maior: tertius magnus: quartur paruus: quintus minor: sextus minimus. Qui ita distinguuntur a qualitate materiæ, cum illa ac similes gradus reducatur. Hinc est, quòd quædam negocia conueniunt superioribus iudicibus, atque inferioribus denegantur, & propterea datur diuersitas iudicium. Hinc est etiam, quòd quædam sũt superioribus reseruata, iux. c. 4. & ibi glo. & doct. de off. lega. & propterea illorum prohibetur delegatio iuxt. tradita per scribentes in l. 1. ff. de off. eius. Et cum prædicti gradus declarentur a doct. supra cita. ideò quantum facit ad institutum nostrũ, non oportet de prædicta diuisione iurisdictionis aliud animaduertere. Sed ex his omnibus inferenda est solutio ad articulum propositum. Quæ in duobus videtur consistere, primo an detur inter predictos gradus, & species præd. iurisdictionis præcedentia: secundo quomodo illa reperiatur. Quoad primum sine controuersia tenenda est conclusio affirmatiua, tum argumento eorum, quæ diximus de præcedentia graduũ potestatis ordinis supra in proprio articulo tum etiam quoniam gradus, de quibus diximus supra, sicut ita se habent, quòd vnus sit maior altero, & sic præcedere debeat ob illorum ordinem; ita quoque de hac conclusione non videtur esse dubitandum. Et cum istud caput nullam videatur habere difficultatem; sequitur nunc secundum. Pro cuius solutione oportet distinguere eo modo, quo supra & propterea dicimus, quòd præcedentia, de qua agimus, aut consideratur inter speciem, & speciem, seu gradũ, & gradũ iurisdictionis, prædictæ; aut inter indiuidua vnius, & eiusdem speciei, seu gradus. Primo modo solutio satis clara habetur ex supra dictis, quòd videlicet illa species præcedere debeat, quæ est maior, & altior. Vnde autem hæc maioritas de sumatur, & cognoscatur, non oportet hic repetere, cum hoc dictum sit supra in propria quæstione, & articulo. Eodem modo puto respondendum quoad præcedentiam prædictorum indiuiduorum, cum similiter supra sit deductum qua via, & iure indiuiduum vnum præcedere debeat alteri eiusdem gradus, seu speciei. Et propterea c. primum & c. statuimus, de maiorit. supra cita. quoad præcedentiam potestatis ordinis. faciunt etiam ad præcedentiam prædictæ iurisdictionis.

An dignitas secularis ciuilis sit maior dignitate seculari militari, & quomodo. *Art.* 8.

AD intelligentiam istius articuli debemus præmittere ad quem finem sit ordinata quælibet dignitas in eo nominata. Omnibus igitur consideratis, videtur de iure dicendum, dignitatem, & potestatem ciuilem esse ordinatam ad conseruationem boni communis ipsius Reip. & ciuitatis. Idq; probat Iurisconsul. in l. congruit. ff. de off. Præsi. cuius verba

O 2 sunt

sunt hæc. Congruit bono, & graui Præsidi curare, vt pacata, atq; quieta prouincia sit. Et ad hoc faciunt, quæ nos docent Canonistæ super gl. summæ lib. Decretal. Potestas autem militaris, videtur ordinata ad Remp. defendendam, seu respectiuè recuperandam, iux. ca. primum, 23. q. 3. & ibi Turrecrem. D. Thom. 2. 2. q. 40. articu 1. Iulius autem Ferrett. in suo tract. de disciplin. milit, tit. de armat. milit. nu. 3. docet, militare ministerium pro quærenda, & tutanda pace introductum esse. Hoc idem probat tex in l. mulierem. ff. de accus. Quæ quidem potestas, an admitti de iure debeat ad aliquid acquirendum, videtur habere aliquam difficultatem, cum Iul. Ferret. in d. tit. nu. 5. doceat, licitum esse bellare etiam contra infideles per iura ibi per eum adducta. Cæterùm disputatione omissa, placet negatiuè esse respondendũ, iuxta tradita a doctissimo Francisco a Victoria in sua docta resolutione, de iusti. bell. q. 3. Cuius doctrinam breuitatis gratia aliter non referam. De qua quidem belli iustitia videdus est etiam idem Ferret. in d. suo tract. tit. de iusto, & iniust. bell. Vnde his præmissis, deueniendo nunc ad examen propositi articuli dicimus, quòd potestas militaris, & armata videt omnino potestati ciuili præferenda. Primo quia est potentior, cum milites præsuponantur armati, & sic ratione huiusmodi armorum, sicut requiritur maior prudentia in duce exercitus, quàm in aliquo alicuius prouinciæ ciuili Gubernatore; ita eriã prædicta potestas debeat præcedere potestati ciuili. Secundo vbi maius est periculum, ibi cautius est agendũ. c. vbi periculum, de elect. in 6. At quoniam in exercitu militari maius adesse videtur periculum, ex quo subditi præsuponuntur armati, vt diximus, ideò sicut cautius est agendum, ita potestas ista præcedere debet ob maiorem cautionem, & diligentiam. Tertio sæpè contingit, statum, & imperium augeri per potestatem militarem, secus per potestatem ciuilẽ. Hinc est, quòd Imperator secundum aliquos dicitur Augustus, ab augẽdo glo. super prohem. insti. in verb. augustus. At quoniam augere denotat maiorem perfectionem, ideò sequitur inde potestatem prædictam, per quam datur istud augumentum, debere omnino præcedere. Cæterùm in contrarium, quòd potestas ciuilis sit maior potestate militari, & sic præcedere debeat, verius videtur de iure respondendum primo, quia dicit tex. in ca. noli. §. fin. 23. q. 2. per hæc verba, quòd pacem habere voluntatis est, Bellum autem debet esse necessitatis, vt liberet Deus a necessitate, & conseruet in pace. Non. n. pax quæritur, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquirat. Ex quibus quidẽ verbis notorie constat potestatem militarem esse ordinatam ad finem potestatis ciuilis, & successiuè debere cedere, & nõ præcedere, cum pax sit longè melior, quàm discordia: & sic militia. Et ad hoc faciunt etiam, quæ supra in præmissis adnotauimus. Secundo potestas militaris præsuponit discordiã, ciuilis verò concordiam, & pacem, vt constat ex deductis. Vnde cũ concordia habeat rationem boni; discor

dia

dia verò rationem mali, & propterea legimus in Euangelio Omne regnum in se diuisum desolabitur, & sic per discordiam: concordia verò res paruæ augentur: magnæ autem per discordiam dilabuntur, sequitur inde, quòd sicut concordia tanquam bonum, est omnino sequenda: discordia vero fugienda; ita etiam potestas ciuilis respiciens concordiam, debet præcedere potestati militari respicienti discordiam. Pro solutione puto regulariter præcedentiã esse attribuendam potestati ciuili per deducta, & alia similia argumenta. Dixi autem regulariter, quia conuenit rationi, quòd ob diuersos respectus, atq; causas prædictæ potestates ad inuicem comparatæ sint respecti uè maiores, & minores; & propterea aliquando vna, & aliquando altera præcedere debet. Atq; ad hoc facit quod adnotat Angel. in prohem. instit. in prin. nu. 3. & 4. quòd videlicet tempore belli præualeant arma, & sic potestas militaris, tempore verò pacis præualent iura, & sic potestas ciuilis. Qua de re specificè respondendo dicimus prædictas potestates vno respectu esse æquales, ob illud Poetæ dictum, Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Alia verò ratione potestas ciuilis dicitur maior potestate militari, per rationes supra adductas. Tertio deniq; respectu potestas militaris est maior prædicta potestate ciuili: Et hoc similiter per fundamenta adducta. Ex quibus omnibus cum habeamus etiã quomodo argumenta supra ad vtrãque partem adduct. intelligi debeat: non videtur propterea ad hæc omnia vnum addi potest, ac debet, quomodo videlicet solutio istius articuli posset applicari in cõtingentia facti, si exempli gratia, oriretur quæstio de præcedentia inter Ducem alicuius exercitus, & Præsidem alicuius prouinciæ. In tali enim casu placet cum tali distinctione procedere, quod de iure debeat præcedere Præses. De facto autem oppositum sæpè obseruamus. Ratio autem vltra prædicta illa videtur esse, quia Dux exercitus ratione eius potentiæ factus est Dominus, vel quasi, regionis in qua reperitur vulgo della campagna: hæc omnia cum præsuponant militiam esse dignitatem, atq; hoc præsupositum a nonnullis negatur, ideo secundum hanc opinionem prædicta nõ videntur de iure admittenda. Cui obiectioni licèt responderi possit per doctrinam Iul. Ferret. in d. suo tract. titu. de legal. mili. nu. 21. 22. & 23. In præsenti tamen placet prædict. potestatem fuisse, & esse a nobis dictam, & reputatam dignitatem ratione iuris gubernandi, ac regendi milites in administrando iustitiam, & reddendo vnicuique quod suum est secundum ius militare. De quo quantũ facit ad propositum institutum infra suo loco sumus dicturi. Vnde sicut ista opinio non subsistit, ita obiectio remanet soluta.

An inter gradus potestatis secularis tam ciuilis, quàm militaris detur præcedentia, & quomodo.

Art. 9.

Diximus supra dignitatem ciuilẽ secularem habere latitudinem,

&

& gradus. Vnde illius exemplo hoc idē puto affirmandum de dignitate militari. Hinc est, quòd in exercitu armato tria præsertim genera superiorum reperiuntur inter alia diuersa, videlicet Dux Generalis, Dux eo inferior, & Dux minor. Hoc idem confirmari potest auctoritate sacrarū literarū, videlicet sicut castro ū acies ordinata, &c. Hinc est, quòd doct. adnotant argumenta a militia armata ad militiam cœlestem. Item ab eadē militia ad Ecclesiam, vt, cæteris omissis, docet Euerardus in sua centur. de loc. argument. in proprijs locis. Quare, cum cōcludere debeamus prædictam potestatem militarem habere latitudinem, & gradus ad similitudinem potestatis ciuilis, ac etiam Ecclesiæ, sequitur nunc, vt videamus quid iuris de articulo proposito.

Quoad igitur primam partem eius attinet, disputatione omissa, dicimus inter prædictos gradus dari præcedētiam ea ratione supra sæpè repetita, quia vbi dantur gradus, oportet etiā vt detur ordo, & successiuè præcedentia. Et cum de hac conclusione nō sit dubitandum, sequitur nunc, vt videamus quomodo illa verificetur. Vnde dicimus, quòd præcedentia ista tripliciter considerari potest. Primo considerando gradus vnius potestatis in cōparatione ad gradus alterius. Atq; sub hoc respectu dicimus in præsenti, prout diximus supra in alijs articulis, quòd huiusmodi gradus possunt esse ad inuicem aliquando æquales, & tunc debet attendi præcedentia generica. Aliquando verò inæquales, & tunc sequenda est præcedentia specifica, ita quòd ille gradus præcedat, qui secundum rationem eius fuerit maior per ea, quæ diximus supra in alijs articulis, & quæstionibus. Secundo considerando eosdem gradus, vnius tamen, & eiusdem potestatis, atq; sub hoc respectu, quoniam huiusmodi gradus præsupponuntur sub ordinati, vt constat ex deductis, ideo in tali casu clari est iuris, quid sit dicendum de eorum præcedentia, cum ille præcedere debeat qui est altior. Et ad hoc facit tex. sæpè citat. & ibi doct. in c. statuimus, de maiorit. Tertio, & vltimo cōsiderantur prædicti gradus ratione personarum, quæ sub tali gradu reperiuntur, ita quòd differant numero, & non specie. Vnde sub hoc respectu considerando huiusmodi personas, illa præcedere debet, quæ prius promota fuit in tali gradu. Et ad hoc facit text. vna cum doct. sæpè cita. in c. 1 eod. de maiorita. Hæc autem conclusio, sicut reliquæ, posset aliquando limitari, si vltra hanc causam præcedendi interueniant, & considerentur etiā aliæ causæ ipsius præcedentiæ.

An dignitas militaris terrestris sit maior dignitate militari maritima. Art. 10.

Difficultas cuiuslibet quæstionis de præcedentia in eo videt posita, vt cognoscamus ex quo capite illa sit desumenda. Atq; hac de causa adnot supra q. 3 art. 7. diuersa capita, ex quibus illa desumi, & cognosci valeat. Vnde cum dignitas militaris sit tanquam genus. atq; in præsenti dignitas militaris terrestris marititima sint duæ illius species, intelligentia

tia istius articuli ea est, vt videamus, quæ nam de prædictis speciebus sit maior. Pro solutione oportet prius scire, an istæ species sint subordinatæ: siquidem si subordinatæ essent nō oporteret vlterius procedere, ad cognitionem autem istius subordinationis debemus animaduertere, illam dupliciter posse considerari. primo secundum propriam naturā cuiuslibet potestatis, & sic nō videtur danda talis subordinatio, quia sicut Princeps vult dominari in terra, & in mari; ita etiam dantur prædictæ duæ potestates. Vnde ambæ sunt ordinatæ ad dominium Principis, sed non vna ad aliam, nisi per modum mutui auxilij, iuxta ea, quæ diximus supra artic. 5. Secundo si considerentur prædictæ potestates ea ratione, ac respectu, quo Princeps ordinat vnam in certo casu præstare auxilium alteri, tunc propter specialitatem casus nō videtur inconueniens, vt sicut vna est ordinata ad aliam, ita etiam vna sit maior altera. Licèt autem id non videat habere difficultatem, dubium tamen remanet; quæ nam earum debeat reputari maior sub vtroque respectu. Primo enim quæritur an potestas recipiens auxilium debeat dici maior, vel minor altera, quæ illud exhibet. Cui quæsito ratione subordinationis ita videtur esse de iure respōdendū, quòd illa, quæ auxilium recipit sit maior, cum ad eam altera sit ordinata. In contrarium vero posset respōderi, cum illa, quæ auxilium præstat, videatur propterea potētior, ex quo dando auxilium exercet potentiam actiuā; altera verò exercet potētiam passiuam, & cum potentia vna dicat perfectionem; altera verò imperfectionem, vt clarum est apud Philosophos; ideo dignitas militaris in auxilium præstando semper nobilior videtur. Ad hoc adduci potest authoritas Philosophi lib. Ethic. dicentis, Beatius est dare, quam accipere. Et cum istæ duæ potestates possint esse ad inuicem maiores, ac minores reputari ea ratione, quia Princeps dominus earum potest ordinare modò vnam, & modo alteram ad aliam secundum diuersitatem casus contingentis; ideò ex hoc capite non habemus propriè, quid sit dicendum ad articulum propositum, & propterea sequitur, vt de ea videamus quid iuris sub altero respectu, vt supra præmisso. Qua de re dicemus sub tali cōsideratione potestatem militarē maritimam esse maiorem potestate militari terrestri, quia vbi minus est periculum, ibi cautius est agēdum cap. vbi periculū, de elect. in 6. At quoniam in mari maius est periculum, iuxt. illud vulgare dictum, Mare vidit, & fugit, & propterea in militia maritima maior requiritur industria, maior prudentia, maior diligentia, atque maior rerum cognitio, quam in milit. a terrestri, idque ob periculum maris, vt vnicuique videtur notum, & experientia docet; ideò potestas militaris maritima maior videtur reputanda. Confirmatur; quia duces militiæ maritimæ ob diuersa eorum requisita, & virtutes pauciores reperiuntur, quam duces terrestris exercitus; & propterea dux militiæ maritimæ potest esse dux terrestris exercitus, sed non è cōtra. Et ratio est, quia in eo plures, & maiores virtutes requi-

quiſi-

quirũtur. Ex quo sequitur, quòd sicut maior perfectio requiritur in vno du ce, quam in alio, ita etiam potestas vna videtur propterea maior. In con trariũ facit formalis ratio terrestris militiæ, siquidem per eam, & nõ per maritimam conseruantur, & respe ctiuè acquiruntur ciuitates, & regna, vt historiæ nos docent. Nec ob stat, quòd aliquãdo ciuitas acquirat per militiam maritimam, quia, admis so id esse verum, solum verificatur de illis ciuitatibus, quæ dicuntur ma ritimæ, cum sint ædificatæ in littore maris. Vnde ponderando hãc ratio nem non videtur esse recedendũ ab ista conclusione, quæ adhuc confir mari posset, quia id totum, quod ha bet militia maritima pro illius execu tione, & exercitio, habet a terra, & fructibus eius, sine quibus illa dari ne quit; ideò idem quod supra videtur de iure dicendum. Pro solutione pu to imprimis animaduertendũ, quòd potestas militaris in suo genere, si nõ in totum, saltẽ pro maiori parte stat in practica consuetudine, & experiẽ tia, & propterea legimus apud Histo ricos, quòd milites per solam mili tiæ theoricam nihil boni agunt; Ideo potius experientia quàm studio ac quiritur. Vnde non est a ratione alie num, vt similiter præcedẽtia, de qua agimus ab eadem consuetudine de pendeat. Et propterea sub hoc respe ctu non esset vlterius quærendum de re proposita, cum consuetudinis sit proprium constituere dignitatẽ etiã vbi illa nõ reperitur, vt cæteris omis sis docet Archid in c. 1. de consuet. in 6. At circumscripta consuetudine iudicarem ego militarem potestatẽ maritimam esse maiorem altera po testate per rationes pro hac parte ad ductas, quibus addi potest, quòd cũ milites in castris sæpè reperiantur viles, & timidi, & propterea nonnul li quando possunt, libenter fugam ar ripiunt. idque sæpius occurrit in mi litia terrestri, quam in militia mariti ma. In qua non ita commodè aufu gere possunt, & timidi efficiuntur fortes, ideò idẽ quod supra videtur dicendum. Non obstant quæ in con trariũ sunt adducta, quia si volumus substinere hanc partem, quòd videli cet potestas terrestris sit maior, opor tet defendere hanc conclusionem, vt potestas maritima sit ordinata ad terrestrem, & ambæ ad principatum. Cæterùm si prædictæ potestates con siderentur, vt duæ species vniuocæ, non recederẽ a d. conclusione, cum eius rationes videantur efficaciores. Singula tamen sint dicta ad excitan dum ingenia pro cognitione istius veritatis si solutio assignata non pla ceret, cum possit etiam id substine ri, quòd iste duæ potestates diuersa ra tione, atque respectu vna sit maior, ac minor altera, vt constat etiam ex deductis.

An dignitas militaris pedestris sit maior dignitate militari eque stri. Art. 11.

AD intelligentiam istius articuli debemus præmittere, claram esse in iure distinctionem de militia pedestri, & equestri l. non omnes ff. de re milit Iul. Ferret. in d. suo tract. de disciplina milit. tit. de arma secu. mili. in princ. de quibus possumus can-

eandem distinctionem obseruare, de qua diximus in præcedēti, cum istæ duæ militiæ sint simili modo ordinatæ ad dominiū Principis, & propterea quæ in præcedenti articulo sunt adnotata, præcedente tamen distinctione de militia terrestri, & maritima, illa eadem possent, a simili procedendo, verificari de hac militia pedestri, & equestri, cum vna ex accidenti possit esse ordinata ad aliam, vt Principi, & Duci generali vtriusque exercitus videbitur magis expediens, & propterea ratione huiusmodi subordinationis non oportet hic aliud animaduertere, nec conuenit illa in præsenti repetere, sed in cōtingentia facti ad præcedentem articulum me remitto. Vnde vlterius procedendo debemus prædictas potestates examinare quoad præsentem articulum attinet secundum propriā earum naturam. Obseruo igitur apud milites diuersas de re proposita reperiri opiniones. Quidam enim tenent potestatem militarem equestrem esse maiorem pedestri. Ratiò autem illa videtur esse, quia in ea longè plura requiruntur, quam in pedestri. Siquidem Dux militum equestrum, ac etiam ipsimet milites non solùm curam, ac diligentiam adhibere debent circa personas militum, eorumq; disciplinam; verum etiam circa equos, atque pertinentia ad eos: Dux verò pedestrium solùm de militibus, eorumq; personis, & disciplina: & propterea vna videtur maior altera. Accedit etiam, quòd in militia equestri adest maius robur, atq; potentia, vt notoriè præsuponitur in facto. Vnde ab ista conclusione nō videtur esse recedendum. His tamen, & similibus non obstantibus, altera opinio videtur magis vera, quòd videlicet potestas pedestris sit maior, & dignior equestri. Primo, quia militia equestris non deseruit in omni loco, sed in campo aperto; at potestas pedestris in quolibet loco, tam campestri, quàm arduo, & angusto est admodum vtilis, & successiuè sicut est maioris vtilitatis; ita etiam cōuenit vt præcedat. Secundo, quoniam finis, & effectus præcipuus potestatis militaris est recuperare, defendere, & aliquando acquirere ciuitates, & regna, vt clarè constat per ea, quæ diximus supra de hac potestate in genere artic. 8. Qui quidem finis cum haberi nequeat nisi per potestatem, & militiam pedestrem, ideo hæc dicitur maior altera, siquidem milites pedestres sunt illi, qui cum schalis ascendunt mœnia, capiuntq; ciuitates, atq; multa alia gerunt ad prædictum finē necessaria, & opportuna. Quæ omnia sicut ab equestribus fieri nequeunt, & propterea operationes pedestrium videntur esse longè maiores, & vtiliores; ita etiam eadem militia, & potestas pedestris maior, & dignior videtur reputanda. Qua de re, cum hæc opinio videatur magis vera, & propterea generalis exercitus pedestris præcedere debeat Duci generali exercitus equestris; posset illa cōfirmari respondendo ad argumenta alterius opinionis. Licèt igitur potestas equestris requirat multa, maioremq; curam, ac diligētiam, vt in argumento dicitur, omnibus tamen consideratis, maior videtur virtus alterius potestatis, siquidem ad-

misso etiam militiam equestrem esse ordinatam ad regna, & ciuitates cõseruandas, recuperandas, & aliquando acquirendas; Nihilominus Princeps non potest id consequi, nisi beneficio pedestris exercitus, & propterea sicut ad finem propositum militia equestris videtur diminuta; ita etiam conuenit, vt alteri cedat. Et ita argumentum, vt supra adductum non videtur concludere. His accedit, quòd quamuis potestas equestris videatur maior, & efficacior in campestribus potestate pedestri. Hoc tñ videtur verum more Iuristarum, id est regulariter, secus autem limitatiuè, cum multa sint loca, in quibus prædicta potestas dicitur omnino inutilis. Ad id autem, quod in confirmationem adducebatur, eodem modo responderi potest, cum potentia militiæ equestris multis in locis reddatur inutilis, vt diximus. Hinc clarius apparet solutio quæstionis de præcedentia, vt supra per modum illationis adnotata inter Ducem potestatis pedestris, & Ducem potestatis equestris. Quamuis autem existimẽ solutionem istius articuli esse veram, puto tamen illam aliquando posse limitari ob diuersas causas præcedendi, de quibus diximus supra, vt exempli gratia considerando gradus prædictarum potestatum, illi possunt esse aliquando æquales, & aliquando vnus maior altero, & propterea aliquando debet attendi præcedentia generica, illiusq; causa: aliqñ verò præcedentia specifica, eiusq; fundamentum, iuxta ea, quæ diximus supra, ac etiam infra sumus dicturi. Rursus prædictæ duæ potestates possent vlterius considerari ratione qualitatis, & numeri militum, cuiuslibet earum. Vnde etiam ex hoc capite infertur, & cognoscitur (ni fallor) prædictam articuli solutionem, atq; conclusionem posse aliquando verificari, & aliquando limitari secundum qualitatem casus contingentis.

An in prædictis dignitatibus detur certus locus maior quolibet alio, & quisnam ille sit. Art. 12.

Non semel obseruaui quamlibet potestatem de prædictis exerceri in certo, & determinato loco, secundum tamen qualitatem illius exercitij, & executionis. Hinc est, quòd locus potestatis ordinis ratione congruentiæ dicitur, & est Ecclesia Deo debita iuris solemnitate dedicata, & consecrata, de qua legim⁹, Domus mea domus orationis. Locus autem potestatis ciuilis, si illa fuerit ordinata, dicitur Palatium solitæ residentiæ ipsius Principis, vel alterius legitimi superioris illam exercentis. Si verò fuerit delegata, seu voluntaria, locus est incertus. Hinc videmus quòd habentes iurisdictionem voluntariam, illam exercent, vbi sibi magis placet. Locus denique potestatis militaris duplex assignari potest. Primus enim est ad imitaionem prædictam, vbi residet Dux, & officialis exercitus. Alius verò, atq; sub alio respectu, nempe instructi exercitus est locus anterior, vulgò Antiguardia: ac etiam locus posterior, vulgò Retroguardia, & deniq; locus medi⁹ inter ista duo. Hoc præmisso, redeundo ad declarationem dicimus, locũ

pote-

potestatis ordinis, qui Ecclesia supra fuit nominatus, habere diuersa significata, vt docet Turrecre. in sua sum. de Eccles. p. 1. c. 1. & glo. super c. fi. in verbo Eccl. ne Prælati vices suas. Et cum non conueniat in præsenti singula significata recensere, ideo dicimus per eam duo posse intelligi. Primo Templũ Deo dicatum. Secundo Parocchiam, in proposita materia iuxta primum significatum locus accipi debet, cum iuxta secũdum de eo simus dicturi in sequenti articulo. Quòd autem locus iste ita declaratus præcedere debeat omnibus alijs, nemini videtur esse dubium ob rationem supra assignatam, ac etiam quia in tali loco Deus reperitur; prout de fide habemus, nobiliori modo, vnde cum de hoc non sit dubitandũ, conuenit, vt vlterius procedamus, & propterea a simili hoc idem puto dicendum de loco potestatis ordinariæ ob similem rationem. Quia sicut Deus residet in eius tẽplo modo spirituali ob salutem fidelium, & propterea locus ille dicitur nobilior; ita etiam hoc idem videtur dicẽdum de loco residentiæ ipsius Principis, seu alterius superioris, qui communi vocabulo Palatium nominatur. Posset tamen in dubium reuocari, an Palatium Principis secularis sit nobilius Palatio superioris Ecclesiastici. Quæ quidem difficultas sub duplici respectu solui potest. Primo ratione situs. Secundo ratione ædificationis. Et quoniam sub vtroque respectu quodlibet secundum diuersitatem ciuitatum potest esse nobilius, & minus nobile, vt in sequenti articulo sumus dicturi, ideo in præsenti satis esse puto ad cognoscendam hãc præcedentiam adnotare causam illius, quæ nil aliud videtur esse; nisi qualitas loci. ex qua habetur præheminẽtia. Hinc est, quòd qualitas Ecclesiæ non solùm est illa, de qua diximus supra, sed etiam priuilegia eiusdem, iux. §. 1. cum duob. seqq. & ibi glo. insti. cano. de immuni. & in titu. de sepult. in prin. vnà cum glo. ead. Item qualitas palatij residentiæ, de qua supra est certus situs ipsius ciuitatis, nisi dicamus situm vbi fabricatum est prædictum palatium in quauis ciuitate esse metrum, & mensuram cognoscendi nobilitatem cæterorum locorum eiusdem. Qualitas etiam ædificij idem demonstrat, cum videamus palatia quædam esse ædificata nobiliori forma, & maiori artificio. Nunc vlterius procedendo quoad locum, vbi residet Dux generalis militię, qui communi vocabulo in militia terrestri dicitur, Il Padiglion del Campo Generale: & in militia maritima, La Galera Capitana. De cuius quidem loci nobilitate ratione situs nil certi potest affirmari, nisi ad similitudinem palatij alicuius ciuitatis. At ratione qualitatis, quoniam prædicta triremis reperitur constructa maiori artificio, cum in ea Dux prædictus residere debeat, sequitur, quòd ex hoc capite illius nobilitas inde desumat, atque cognoscatur. Reliquum est modò, vt videamus quid iuris de loco anteriori, & posteriori, & sic dell'Antiguardia, & Retroguardia, atq; de eorũ medio. In qua difficultate, quãuis cõsuetudo sit maximæ virtutis, vt omnes affirmãt & propterea, vbi illa esset introducta, non oporte

ret vlterius procedere, cum in quæstionibus de præcedētia sit omnino sequenda, vt diximus supra sæpè per iura, & doctrinas. Illa tamē circumscripta recurrēdum est ad terminos iuris ciuilis, vt adnotat Puteus in suo tract. de Duel. lib. 1. c. 2. Qua de re secundum huiusmodi terminos, examinando quæstionem propositam, dicimus Principem in castris constitutū reperiri aliquando in vltimo loco aliquando verò in medio totius exercitus, vt præsuponitur instructi, & aliquando in primo. Hoc præmisso si Princeps reperiatur in prædicto vltimo loco sine controuersia ille erit nobilior iux. Philosophi doctrinam, quòd in quolibet genere detur vnū, quòd sit metrum, & mensura omniū eorum, quæ sub illo reperiuntur. De qua doctrina adnotandus est Zimara in suis Theorematibus Theor. 13. & nos supra eam declarauimus. Et cùm in casu nostro persona Principis debeat esse prædictum metrum, & mēsura prædicta, ideò locus, vbi ipse reperitur, debet reputari nobilior. Confirmatur, quia a Principe tanquam a fonte oriuntur dignitates omnes, cū ipse sit constitutus in plenitudine, reliqui verò dignitatem habētes in parte solicitudinis c. ad honorē, de vsu pall. Eadē ratione ita cōfirmata hoc idem posset affirmari. De loco anteriori, atq; medio, si in altero eorū ipse princeps reperiatur, & propterea sub tali respectu nobilitas ista admodum variatur cùm conueniat aliquādo vni, & aliquando alteri loco, sicuti ipsemet Princeps iuxta diuersitatē casuum ita variatur, vt aliquando in vno, & aliquando in altero reperiatur. Sed difficultas remanet, vt videamus quid iuris de proposita nobilitate, circumscripta persona Principis. Primo igitur locus anterior videtur absolutè maior reputandus, cum respiciat faciem ipsius Principis inimici, & successiuè maioris dicitur esse virtutis. Accidit etiam, quod in vniuerso Orbe pars anterior reputatur nobilior, vt videri potest apud Philosophum lib. de cælo. Pro loco verò posteriori .i. retroguardia facit imprimis id, quod sæpè a militibus audiui, quòd videlicet in vltimo loco, constitui solet robur totius exercitus, idque ea ratione factum esse videtur, quia vbi maius est periculum, ibi cautius est agendum c. vbi periculū de elect. in 6. Pro solutione oportet animaduertere, ex quo capite sit desumenda hæc præcedentia. Qua de re si omnibus circumscriptis illa sit desumenda ex qualitate loci prædict[9] locus anterior, & sic l'Antiguardia nobilior est reputandus ob rationem præcipuè supra relatam ad mētem Philosophi in d. lib. videlicet secundo vbi inter positiones cæli adnotat partem anteriorem esse nobiliorem, & propterea motus illius ad mentem eiusdem Philosophi incipit a parte dextra, & per partem anteriorem tendit in sinistram. Hinc est etiam, quòd in scientijs illa cognitio est nobilior, quæ habetur a facie ad faciem. Et propterea Ecclesia atque Theologi cōmuniter nos docēt beatitudinem nostram consistere in cognitione Dei, quia habetur modo prædicto. Confirmatur, quia ostendere faciē est signum virtutis; ostendere verò posteriora imperfectionis.

Se-

Secudo si eadem præcedentia consideretur ratione personarū ex quo in vtraque constituuntur viri fortes, & potentes, ista duo loca videntur æqualia, cum conueniant in æquali ratione. Per accidens verò, & sic ratione numeri ipsorum militum, aut ratione qua inimicus repræsentat se aliquãdo potius retroguardiæ, quam aliter, vel è contra, ideò sub tali respectu aliquando locus vnus, & aliquando alter maior est altero. Qua de re, vt concludamus locus Anteguardiæ regulariter est nobilior tam de iure, quam de consuetudine per rationes adductas. Ex accidenti verò talis regula aliquando limitatur, vt constat ex deductis. Quæ posset vlterius limitari ratione alicuius circumstantiæ. Sicut enim res humanæ variantur ad varietatem circumstantiarum, atque hæc varietatum causa verificatur etiã in re militari, & propterea in ea requiritur prudentia. D. Tho. 2. 2. q. 50. art. vltimo ita quoq; non est a ratione alienum, vt prædicta regula de nobilitate anteguardiæ aliquando limitari debeat ratione alicuius de circumstantijs prædictis. Atq; hæc sunt quæ meo iudicio erãt animaduertenda circa difficilem materiam de re militari a doctore, & non milite, vt supra explicata. Saluo tamen, &c.

An sit faciẽda differentia inter præcedentias dignitatum personarum, & locorum.

Art. 13.

INtentio nostra in toto hoc tractatu est pertractare de præcedentia hominis eo respectu, quo ad hominem directè, vel indirectè reduci valeat, argumento §. fi. insti. cano. de cõsti. & propterea, homini deberi præcedentiam contingit dupliciter, videlicet naturaliter, atque accidentaliter, & artificialiter. Primo modo non oportet hic aliquid adnotare, cum sub hoc respectu de ea dictum sit supra q. 5. quantum tamen facit ad propositum institutum. At secundo respectu partim diximus supra q. 3. partim in præsenti, & partim infra quoque dicemus. Vnde vlterius puto animaduertendum, quòd quãuis homo præcedere debeat ratione dignitatis ad quã præsuponitur promotus, quoniam tamen potest illam recipere secundum magis, & minus atque hæc latitudo datur etiã ex parte loci, in quo illa exerceri debeat, vt exempli gratia, si quis esset factus gubernator vnius ciuitatis, & alius alterius, vel vnus sit factus Episcopus in vna diocesi, & alius in alia, & propterea dubitetur de præcedentia ratione loci, ideò ad euitandas huiusmodi dubitationes, iudicauimus opportunum definire, quid iuris de articulo proposito, & præcipuè ratione loci. Præcedẽtia igitur dignitatis formaliter considerata videtur differre a præcedentia hominis illam exercẽtis, & a præcedẽtia loci, in quo exercetur. Ratio autem illa est, quia dignitas ex propria eius natura differt a persona, & a loco, vbi, & ad quem. Et sic quatuor in re proposita sunt consideranda, videlicet dignitas, persona, locus vbi, & locus ad quem. De dignitate, eiusque præcedentia diximus supra & infra quoque dicemus.

mus. Hoc idem affirmamus de præcedentia personæ circa, quam illius operatio est adnotanda cum possit agere, & agat modo nobili, & modo ignobili, vt in quæst.seq.clarius dicemus. De loco, vbi illa exercetur quoniam ex iam dictis apparet, quid possit adnotari; ideò vlterius procedendo, de loco ad quem ad cuius regimen ordinata est prędicta dignitas illud conuenit animaduertere, quòd per huiusmodi locum imprimis intelligere debemus tam locum secularem, quam ecclesiasticum, causa autē illa est, quia in loco ecclesiastico nō considerantur homines, nisi ratione qua sunt Christiani; in loco verò seculari ijdem homines cōsiderantur, vt laici, & propterea si esset quæstio de præcedentia inter ista duo loca, sine controuersia locus ecclesiasticus deberet præcedere, sicut Christianus, tanquā nobilior præcedit laico, considerando rationem formalem vtriusque, licèt materialiter sint idem.

His præmissis, distinguendo nunc huiusmodi loca, dicimus locum secularem ita diuidi, vt vnus dicatur castrū, alius terra, alius ciuitas, alius regnum, principatus, & status. Locus autem ecclesiasticus simili modo diuiditur, vt vnus sit ecclesia, seu beneficium simplex, alius ecclesia curata, seu parochialis, alius ecclesia collegiata, alius diocesis Episcopalis, alius diocesis Archiepiscopalis, seu Patriarchalis. Quæ quidem omnia loca ecclesiastica, comuni vocabulo dicuntur beneficia ecclesiastica, de quorū distinctione videndus est Iohan. de Sylua in suo tract.de benefi.par.1.c. seu quæst.2.per tot. Ad hæc addi potest locus principalis, quia licèt Princeps ob eius plenitudinem potestatis reperiatur in toto statu, seu regno nihilominus principaliter residet in certa ciuitate, seu loco. Ex quibus omnibus videtur inferendum, quòd si præcedentia consideretur ratione personæ, successiuè videtur consideranda ratione exercitij, cum vnus in dignitate constitutus possit illā exercere nobiliori modo, quàm alter, & pro pterea præcedere debeat. Si verò illa eadem consideretur ratione dignitatis, tunc ea sunt animaduertenda, quæ de ea diximus supra in pluribus articulis. Si denique ratione loci ad quem persona præsuponit promota, tunc oportet adnotare quidnam locus sit nobilior de prædictis. Quòd igitur locus ecclesiasticus in suo genere sit dignior loco seculari, & propterea præcedere debeat, vt diximus etiam supra satis clarè constat per deducta, licèt hæc conclusio posset aliquando limitari ob aliquā specialem rationem ad similitudinē graduum ipsius dignitatis, de quibus diximus supra. Vnde conuenit in præsenti quædam communia animaduertere ad cognoscendam alicuius loci excellentiam, atque dignitatem. Et propterea dicimus primo aliquē locum esse nobiliorem altero ratione antiquitatis, & originis, quæ tātæ est authoritatis, & efficaciæ, vt meritò quidem dignitatem, & præcedentiā tribuat, sicuti adnotauimus supra ad mentem Tiraq. ob antiquitatē enim probationes aliàs non idoneæ admittuntur, vt docet Crauett. in suo docto tract.de antiquit. temp. doct. in c.cum causam, de probat.ob antiquitatem

tatē præmittitur solemnitates ad ali quem actum requisitas interueniſſe, & adhibitas eſſe, doct. in l. ſciendum ff. de verb. oblig. Maſcar. in ſuo tract. de probat. concluſ. 108. per totam. Quomodo autem probetur antiquitas docet idem Maſcard. in dicto ſuo tract. concluſ. 105. 106. 107. Vnde ob multa antiquitatis priuilegia non eſt a ratione alienum, vt locus vnus illius virtute fit maior, & dignior altero, ſicut de ciuitate Peruſiæ atteſtantur Hiſtorici. Secundo locus vnus de prædictis debet præcedere alteri ratione ſitus, & poſitionis, hinc memini me legiſſe apud Hiſtoricos Vrbem Conſtantinopolim eſſe ædificatam in ſitu terræ tam vtili, benigno, nobili, atque commodo ob cōmoditatem maris, & terræ, vt omnes alias Vrbes ſuperet, præcedat, & omnibus ex hoc capite nobilior reputetur. Et propterea dubitari nequit ex hoc capite locum vnū de prædictis præcedere debere alteri. Tertio eadem præcedentia poteſt deſumi a qualitate regiminis, cum videamus locum vnum ex eiſdem melius altero gubernari. Ex quo enim omne ius reducitur ad duas ſpecies, quarū vna dicitur ius commune, altera verò ius ſpeciale, & municipale argumento text. in §. ius autē ciuile, inſti. de iur. natur. probat Ivreconſ. in l. omnes populi. ff. de iuſt. Hinc eſt quòd (locus, aut ciuitas, ſeu diœceſis, quæ fuerit ordinata, & melioribus legibus munita ſine controuerſia erit beatior, & ſic dignior. Meliora autem iura in eo conſiſtunt, vt de tali loco euitentur mala, fiant bona, atque inducātur homines ad virtutes, & fraternam ſocietatem. Inter quæ quidem mala, cum nullum reperiatur deterius ipſo otio, ideo ſi ſuperiores, & Præſides vellēt ſanare, & ciuitates a malo liberare, ſicuti debent, tenētur per aliquā conſtitutionem euitare otium prædictū quod eſt cauſa, & origo omnium malorum. Hinc eſt quòd quidam prætēdentes ſe eſſe ſapientiores nil boni habent in eorum regimine, niſi omnibus diſplicere, occaſionem maledicendi præbere, ſcandalum producere, ſalutem ſui populi negligere, atq; proprio commodo die, noctuq; operam dare. Quorum vltor cum ſuo loco, & tempore fuerit Deus, vt piè credere debemus, ideo non conuenit hic aliud adnotare, niſi quòd apud populos Tyranni reputentur. Ex quibus omnibus concludere debem⁹ locum illum ex hoc capite eſſe nobiliorem, qui melioribus legibus, atq; ſuperioribus regitur, & gubernatur. Quarto deſumitur eadem præcedentia a quantitate populi, ſicut enim ille in dignitate cōſtitutus dicitur maior, & dignior, qui pluribus imperat, cum ſit maioris potentiæ, & amplioris iuriſdictionis iux. tradita per doct. in rubr. de off. & poteſt. iudi. deleg. & in rubr. ff. de off. eius, dicentes iudicem ordinarium eſſe maiorē delegato ratione vniuerſitatis cauſarū; ita etiam a ſimili locus maioris populi dignior, & maior eſt reputādus. Hinc eſt, quòd dignitas epiſcopalis non cuilibet populo, & loco, conce di debet, ſed maiori, & frequentiori c. 1. cum ibi adnotatis, de priuil. & c. Quinto cognoſcitur eadem præcedentia a qualitate populi eiuſdem loci. Videmus enim quoſdam populos

vitam

vitam ducere ciuilem, nobilem, ac virtutibus ornatam, quosdam verò viuere vita rusticorum, & plebeorũ. Vnde sicut vita prima est dignior secunda, vt constat in facto, atque ex his, quæ diximus supra q. 1. & 3. Ita etiam locus vnus est dignior, & maior altero. Hinc est, quòd in nonnullis, castris & terris rustici distinguuntur ab illis, qui intra mænia huiusmodi locorum habitant, & propterea eorum vita, modusque viuendi non est idem, sed maximè diuersus. Sexto quoniam omnis populus debet duplici vita viuere, videlicet ciuili, & Christiana, atque supra uidimus locũ aliquem esse nobiliorem ratione melioris regiminis, sequitur inde, quòd sicut populus ille videtur nobilior, qui meliori Christiana vita viuit; ita etiam hoc idem videtur dicendũ de loco. Hinc est, quòd populus ille videtur nobilior reputandus, qui prius ad fidẽ dicitur venisse, atque eam viuendo conseruat, vt est ciuitas, & populus Perusinus & propterea secundum doct. inde datur species vna nobilitatis, atque hoc apud Hispanos obseruatur, vt mihi relatum fuit. Cõfirmatur, quia locus de religione suspectus non reputatur ita nobilis. Atque hac fortasse de causa quærunt doctores An in promotione alicuius ad aliquam dignitatem ecclesiasticam sit præferendus theologus, vel canonista, distinguendo dicunt, quòd si talis promotio respiciat populum de fide suspectum promouendus, & præferendus sit theologus, secus verò si populus ille non esset talis. Abb. omnino videndus in c. 1. numero 9. cum ibi adnot. de cõsanguini. Septimo desumi potest eadẽ præcedentia ab ornamentis eiusdem loci. Videmus enim quasdam ciuitates habere vias rectas, palatia, ac domos maximo artificio, & partium dispositione ædificata, theatra, fontes, pontes, & alia similia ad ornatum ciuitatum pertinentia, quæ sicut reddunt eam vndique aspectu pulcherrimã, ciuibusque, atque habitantibus summopere iucundam, & commodã; ita etiam quæuis alia non ita exornata præstãtior haberi debet. Hæc omnia videntur communia supradictorũ locorum, vt constat ex deductis, cũ ex his cognosci valeat an, & quando aliquis locus sit nobilior altero, eidẽq; præcedere debeat. Quamuis autem possit contingere locum vnum vno respectu esse maiorem, alio verò minorem, in contingentia tamen facti pro casus decisione iudicarem esse exequendam illam præcedentiæ causam, quæ fuerit potentior, vt constat ex deductis. Et cum per hæc omnia sint obseruata ea, quæ communia videntur; conuenit nunc, vt videamus an ista eadem loca habeant aliqua specialia. Ex quibus eadem præcedentia desumi, atque cognosci valeat. Vnde imprimis illud est omnino adnotandum ex propria natura quorundã locorũ illa esse subordinata, vt vidimus per distinctiones eorũ supra datas. Siquidem Põtificatui in materia spũali subijcitur Patriarchatus, Patriarchatui Archiepiscopatus, Archiepiscopatui Episcopatus, Episcopatui deniq; ecclesia parochialis. In materia verò seculari Imperio subijcitur Regnum, Regno Ducatus, Ducatui Marchionatus, & ita de reliquis.

quis. Ex quibus habemus, quòd ſicut huiuſmodi loca ſunt ad inuicem ſubordinata, ſicuti patet; ita etiam loco ſuperiori debetur præcedẽtia, in ſuo tamen ordine; cæterum ſi locus vni⁹ ordinis conſideraretur in comparatione ad locum alterius ordinis, tunc in ſuo genere ſequenda eſſet concluſio de qua diximus ſupra in præcedenti articulo. Si verò conſideraretẽ in ſpecie, ſeu gradu, tunc adhibenda eſſet diſtinctio, de qua etiam ſupra diximus, quod videlicet obſeruare debeamus an hæc loca ſub hoc reſpectu conſiderata, ſint inter ſe æqualia, vel vnus ſit maior altero. Siquidem ſi eſſent æqualia præcedentia generica, eiuſq; cauſa eſſet ſequenda. At ſi eſſent inæqualia, tunc præcedentia ſpecifica eſſet attendenda, iuxta ea, quæ diximus ſupra in alijs articulis.

Ad hæc omnia quædam addi poſſent ad intelligentiam præcedentiæ locorum eccleſiaſticorum. Et vt primo de Eccleſia in communi aliquid dicamus vltra ea, quæ ſupra diximus, obſeruo Eccleſiam vnam eſſe collegiatam, ſecus alteram. Collegiata adhuc ita ſubdiuidetur, quia vna eſt caput aliarum in qualibet diœceſi, & communi vocabulo Cathedralis nominatur, & propterea habet præheminentiam ſuper omnes alias, iux. tex. in §. ex loci quoq; , inſti. cano. de colla. c. quamuis, de præben. in 6. Altera verò, quæ non eſt caput, ita ſubdiuiditur, vt vna habeat annexam curam animarum, & ſic populum. Altera verò ſecus. Vnde prima videtur præcedere ratione iuriſdictionis, & populi, licet hoc aliquando limitetur ob qualitatem Eccleſiæ cuius reſpectu agitur de præcedentia. Ex quo ſæpè videmus, quòd Eccleſia parochialis habens populum, & iuriſdictionem, iux. c. omnis vtriuſque ſexus, de pœniten. & remiſs. nõ eſt a ratione alienum, vt aliquando præcedere debeat Eccleſiæ Collegiatæ, quæcunque illa ſit ob maiorem populum, atque iuriſdictionem. Rurſus Eccleſia collegiata, alia viuit vita regulari, alia verò vita ſeculari, vt conſtat, & præſuponitur in facto, quærĩt modo quænam præcedere debeat. Cui quæſito diſputatione omiſſa cum diſtinctione puto reſpondendum, ſiquidem hæc præcedentia aut eſt deſumenda ex parte modi viuendi, & tunc collegium vitæ regularis deberet præcedere, cum hæc vita ſit dignior, & perfectior vita ſeculari, vt diximus ſupra q. 6. art. 6. Aut deſumi debeat ex parte curæ animarum, ſi tamen illam annexam habeat, & tunc ſolutionẽ quæſtionis propoſitæ puto deſumendam eſſe ex his, quæ diximus ſupra tam in præſenti articulo quam etiam in alia quæſtione, videlicet 4. art. 4. Vnde quantum facit ad præſentem locum, non occurrit aliud adnotare.

Qua de re, vt modo concludamus dicimus, quòd ex omnibus ſupra dictis habemus qualis ſit præcedentia prædictarum perſonarum, dignitatum, et locorum, & quomodo inter ſe conueniãt, atque differant, conſequenter intelligimus hominem in dignitate conſtitutum poſſe præcedentiã prætẽdere, aliqñ rõne propriæ perſonæ, aliqñ rõne dignitatis, & deniq; aliqñ rõne loci, in quo, vel ad quẽ reperiẽ promotus, & cõſequẽter intelligim⁹ ſolutionẽ ad articulũ, verã, & clarã.

Q An

An dignitas ordinaria sit maior delegata. Art. 14.

ARticulus iste copiosè, & doctè examinatur a Iuristis, & Canonistis in publicis Gymnasijs ad rubr. ff. de off. eius, & de off. & potest. iudi. deleg. Vnde in præsenti non intendo recensere argumenta vtriusq; partis, cum quæstio ista apud doct. sit famosa; sed duo tantum breuiter adnotare: primo videlicet quid sit dignitas ordinaria, & delegata: secundo qualis sit articuli solutio. Quoad primum ad mentem Bart. & aliorum in l. more maiorum. ff. de iurisd. om. iudi. puto dicendum dignitatem ordinariam esse illam, quæ alicui competit de iure, & secundum iuris dispositionem, vt exempli gratia Episcopus dicitur habere dignitatem ordinariam, quia statim quo est promotus, & ordinatus ad Episcopatum de iure habet potestatem ordinis, & iurisdictionis. §. horum autem, & ibi glo. insti. cano. de Episc. & Sum. Pôt. & propterea dicitur ordinarius. Dignitas verò delegata est illa, quam quis exercet iure alieno, & vigore mandati, vt contingit de eo, cui cõmittitur a Principe aliqua causæ cognitio, & definitio. Et propterea tenetur seruare formam mandati, iuxt. c. cum dilecta, & ibi doct. de rescrip. cum vulga. De vtraque autem dignitate est adnotandus text. in §. est & alia diuisio cum duob. sequen. & ibi glo. dicta Insti. de iudic. Maran. in suo Specul. p. 4. distin. de iudi. ordin. & deleg. per tot. His præmissis quoad secundum caput, vt supra propositũ attinet ex quatuor generibus causarum puto desumendam esse solutionem ad articulum & quæstionẽ propositam. Vnde primo loco ponderando finẽ cuiuslibet dignitatis, omnibus consideratis placet dignitatem ordinariam esse digniorem altera. Et ratio est quia finis eius nil aliud videtur esse, nisi salus totius ciuitatis, seu diocesis, bonumque publicum illius. Finis verò dignitatis delegatæ est vtilitas priuata, iuxta ea, quæ nos docẽt doct. in rubr. de rescript. & nos dicimus in nostro tract. de Subreptione Rescriptorum. Qua de re sicut bonũ publicũ dignius reputatur bono priuato c. bonæ memoriæ, il primo, & ibi glo. de postul. prælat. ita etiam dignitas ordinaria videtur dignior, & maior. Hæc conclusio posset aliquando limitari, si exempli gratia quis cõstituatur iudex delegatus ad vniuersitatem causarum, vt cõtingit de eo qui dicitur cõstitutus gubernator alicuius loci per modum, vt vocant, prouisionis, vel in alio simili casu. Hoc enim præmisso istæ duæ dignitates ex hoc capite essent æquales, cũ tendant ad eundem finem. Secundo considerando causam efficientem dignitas delegata videtur maior, & dignior dignitate ordinaria, cum clari sit iuris, vt constat etiam ex cognitione istorum terminorum supra adnotata, quòd causa efficiens dignitatis delegatæ sit ipse met Princeps delegans: causa vero efficiens dignitatis ordinariæ sit ipsa met lex. Vnde sicut Princeps est maior, & dignior ipsa lege, cum sit supra eam in interpretando, ac etiam reuocando iuxt. l. fin. cum ibi adnot. C. de legib. ita

etiam

etiam dignitas, quæ immediate habetur a principe, maior videtur reputãda. Confirmatur, quia mitius agimus cum lege, quam cum superiori. §. in suspenso insti. cano. qui eligere, eligi ue poss. l. Celsus. ff. de Arbitris. Ratio autem illa videtur esse, quia potius superiori, quam legi obedire tenemur. Atque sub hoc respectu videtur intelligendus tex. in c. sanè, il secondo de off. iud. delega. Vnde sicut superior propter hoc videtur maior lege, ita etiam hoc etiam videtur dicẽdum de dignitate delegata. Tertio si cõsideretur causa materialis posset, & meritò quidem de solutione istius quæstionis dubitari, ex quo materia dignitatis ordinariæ est vniuersas causarum, & successiuè videtur maior, cum dignitas delegata versetur circa vnam, vel alteram causam tantũ. Cæterum si consideretur formalitas causæ delegatæ oppositum posset affirmari, cum illa sit exempta a potestate ordinaria, & successiuè tanquã priuilegiata, maior videtur reputanda, atq; sub hoc respectu videtur dictum in d. c. sanè, delegatum in causa delegata esse maiorem ordinario. Quarto si consideremus formã vtriusque dignitatis, quæ nil aliud denotat nisi modum procedendi, tunc aliquando possunt esse æquales, & aliquãdo vna maior altera. Et ratio est, quia iudex delegatus tenetur procedere aliquando in forma communi, & aliquando in forma specifica iux. tex. & ibi docto. communiter in c. super litteris, de rescript. Et cum hæc forma istius delegationis dependeat a voluntate rescribentis iuxt. tradita in iure, & per docto. tam in d. c. & alibi, quam etiam in c. cum dilecta eodem; ideò certa regula dari nequit ad id cognoscendum & definiendũ. Ad hæc omnia addi potest hãc præcedentiam dari, atque cognosci, aliquando ratione temporis, cum dignitas òrdinaria sit perpetua; delegata verò temporalis, & momentanea, & sic durante causa commissa, atq; Philosophi docent perpetuum esse dignius temporaneo, & propterea corpora cælestia esse digniora corporibus elementarijs. Rursus eadẽ præcedentia potest desumi ex parte maioris virtutis, & efficaciæ, & sic dignitas delegata a doctoribus in locis supra in principio citatis maior reputatur ordinaria. Hæc autem maior efficacia ex eo desumitur, & cognoscitur, quia dignitas delegata dependet a Principe: ordinaria verò a lege, vt supra diximus. Et propterea in dubio magis delegato, quam ordinario videtur esse obediendum, cum delegatus representet personam principis, vt cõstat ex deductis, ideò ei magis, quam ordinario est obediendũ.

An gradus vnius dignitatis sit maior gradu alterius. *Art.* 15.

Licèt solutio istius articuli habeatur fortasse etiam clara ex his, quæ diximus supra in alijs quæstionibus, & articulis; nihilominus nõ sine causa volui illã hic repetere, adnotando in eius solutione quædam alia adhuc non obseruata. Siquidem offendens officialem aliquando id facit extra actum exercendi officium; aliquando verò in illomet actu, & exer-

exercitio eiusdem, & propterea iura non videntur inter se conuenire in puniendo talem delinquentem, vt legimus in l. omne delictum, ff. de re mili. & in c. penul. de poen. Rolan. a Vall. omnino videndus in consi. 48. per tot. vol. 2. Vnde sicut difficile est cognoscere quid iuris in quæstione ista, ita etiam posset dubitari an hoc idem sit dicendum de præcedentia, quam aliqua persona in dignitate cōstituta prætendere posset, cum illa eisdem modis cōpetere valeat. Qua de re vltra ea, quæ alibi diximus, cōuenit etiam in præsenti secundū prædictum respectum aliquid aliud animaduertere. Vnde imprimis puto præmittendum, quod persona in aliquo gradu dignitatis constituta pōt præcedentiam prætēdere aliquando ratione alicuius qualitatis sibi propriæ, propter quam prætendat se esse maiorem, & digniorem alijs: aliqñ verò ratione prædictæ dignitatis. Atq; sub hoc respectu hæc prætensio aut est simplex, aut respicit actū, & exercitium illius. Hoc præmisso si quis prætendat præcedentiam ratione prædictæ qualitatis, non videtur esse præsentis loci id aliter definire, cum sub tali ratione partim dixerimus supra, partim verò dicemus infra. At sub respectu prædictæ dignitatis simpliciter tamen consideratæ, non videtur necessariū hic aliud adnotare, cum sub tali ratione videantur intelligenda ea, quæ diximus supra in hac quæstione. Vnde ex his possumus concludere præsentem articulum esse intelligendum, atq; declarandum sub ea ratione, qua prædictæ personæ exercent prædictam dignitatem, vel aliàs illius respectu; & propterea vlterius procedendo, primo dubitari potest, an detur casus, vt exercentes prædictas dignitates possent præcedentiam prætendere. Causa autem dubitationis illa videtur esse, quia prædictæ potestates in actu exercitij earum possent concurrere: vnde cum in tali concursu quælibet earū exerceatur in suo proprio tribunalis loco, sequitur inde, quòd sicut huiusmodi loca sunt diuersa, & ad inuicem concurrere nequeunt; ita etiam casus iste dari non posset, cū præcedētiæ quæstio cōtingat in cōcursu. Hinc videmus quòd exercentis potestatem ordinis, vnusquisque exercendo officium suum, alia præcedentia dari nequit, nisi illa, quæ reperitur inter superiorē, & inferiorem eiusdem ordinis. Et propterea debemus concludere, quod exēpli gratia Dux alicuius exercitus in actu militari non potest præcedentiam prætendere cum Gubernatore alicuius ciuitatis in actu gubernandi eam. Nec obstat, quòd aliquando Pont. constituat Legatos de latere in aliquo exercitu, vt factum legimus tēpore Pauli III. & Caroli V. in bello Germanico; quia ad hoc dicimus, quòd in tali casu, licèt huiusmodi Legatus posit præcedentiam prætendere cum huiusmodi Duce; non tamen in actu, & tempore militandi, sed bene extra illud, & propterea, quæ supra sunt adnotata adhuc videtur subsistere. At extra prædictū exercitium videtur mihi posse dari casū, in quo huiusmodi personæ concurrant, & successiuè de earum præcedentia dubitetur, vt exempli gratia,

si ad

ſi ad aliquid definiendum, vel conſu lendum in ſimul conuenirent Duces exercitus maritimi, ac terreſtris. Item Gubernatores, diuerſorum locorum. Item Doctores, & aliæ ſimiles perſonæ, tunc enim meritò quidem dubitari poteſt quo ordine ſtare, ſedere, atque votum ſuum reddere debeāt. Et propterea in ſimili caſu oportet decidere qui nam ſiñt in altiori, & inferiori gradu conſtituti, & ſecundum talem definitionem præcedentiam quoque eorum definire, & terminare. Hinc eſt quòd aliquando præcederet Dux vnius, vel alterius exercitus: aliquando verò aliquis Gubernator de prædictis, & aliquando denique aliquis doctor, vel aliquis alius ſecundum qualitatem caſus contingentis. Hæc autem determinatio, quoniam habetur (ni fallor) tam ex ſupra dictis, quam etiam ex infra dicendis ideò non oportet aliud adnotare.

An præcedentia prædictarum dignitatum detur ratione qua illæ ſint, vel non ſint ſubordinatæ. Art. 16.

SOlutio iſtius articuli dependet ab intelligentia ſubordinationis prædictarum poteſtatum, & dignitatum. Vnde non erit inutile aliquid adnotare de huiuſmodi ſubordinatione. Pro parte igitur negatiua facit imprimis authoritas ſacræ paginæ, quæ docet vias Dei non eſſe vias hominū. Confirmatur, quia ſi daretur talis ſubordinatio Iudex Eccleſiaſticus haberèt vtramque poteſtatem, videlicet Eccleſiaſticam & ſecularem iuxt. §. penult. inſti. cano de Epiſc. & ſumm. Pont. At quoniam hoc non videtur verum per ca. ſententiā ne Cleri. ſe immiſc. nego. ſecul. cum ibi adnota. meritò, &c. Secundo hoc idem probat tex. in c. ſi duobus §. fi. de appel la. vbi legimus non dari appellationem a Iudice ſeculari ad Eccleſiaſticum, ergo idem quod ſupra. Confirmatur, quia poteſtas ſecularis eſt antiquior, & propterea ius ciuile eſt antiquius, vt clarè conſtat ex compilatione vtriuſque iuris, meritò &c. In contrarium imprimis facit text. in c. ſolitæ, de maiorita. &c. vbi poteſtas ſecularis aſsimilatur Lunæ, poteſtas verò Eccleſiaſtica Soli. Vnde ſicut Luna ſubijcitur Soli ita poteſtas vna ſubijcitur alteri. Secundo Ius ciuile fuit correctū a iure canonico in nō nullis partibus iux. c. fi. de præſcript. c. vlt. & penult. de ſecundis nupt. cū ſimil. Ergo idē quod ſupra. Hæc omnia confirmari poſſent per illam authoritatem ſacrarum litterarum, qua cauetur, quod quæ a Deo ſunt ordinata ſunt, & D. Paulus dicebat ad Romanos omnem poteſtatem eſſe a Deo, vnde videtur neceſſario inferenda prædicta ſubordinatio. Pro ſolutione puto animaduertendum, quod ponderando dicta doctorum atque vlterius etiam aliquid addendo, hæc ſubordinatio ſicut diuerſimodè poteſt conſiderari; ita etiam eſt reſpectiuè admittenda, atque reicienda, & ſucceſsiuè ſolutio articuli poteſt eſſe affirmatiua, ac etiam negatiua, diuerſa tamen ratione, vt ex infra dicendis apparebit. Qua de re, ſi hæc ſubordinatio conſideretur ratione præheminentiæ, & ſic præcedentiæ, vt docet Turrecre. in can.

in can. duo, distinct. 96. q. 1. videtur omninò admittenda, vt constat ex deductis supra etiam in alijs articulis.
Cognoscitur quoq; ad mentẽ istius doctoris loco citato ab antiquitate, ab origine, a dignitate, ab authoritate, a maioritate, a nobilitate finis, & a robore firmitatis. Sicut enim vna potestas est superior altera ratione vnius ex dictis capit. ita etiam eodẽ modo datur prædicta subordinatio, atque præcedentia. Secundo si illa consideretur ratione materiæ, seu perfectionis earundem ad mentem eiusdem doctoris ibidem q. 3. inde infertur, quod sicut prædictæ potestates materialiter consideratæ nullam habent subordinationem, ex quo materia vnius nõ videt subordinata materiæ alterius: ita etiam nullam habent præcedentiã respectu subordinationis. At si ratione perfectionis fuerint inspectæ, oppositum posset affirmari, quia sicut vna potestas est perfectior altera, vt constat ex his, quæ supra in alijs articulis diximus; ita etiã vna videtur subordinata alteri, & successiuè etiam ratione subordinationis datur inter eas præcedentia: Ad quam quidem perfectionis cognitionem illud quoque addi potest, ac debet, quòd cum perfectio, ac perfectũ denotet, & sit id, cui nihil deest, l. 1. ff. de orig. iur. & in materia morum, quod constat ex omnibus circũstantijs iux. c. non satis distin. 86. atque vna ex prædictis potestatibus sit tale perfectum; sequitur propterea idem quod supra, quia dicebat Philosophus, sicut res se habẽt ad esse, ita ad cognosci. Tertio potest considerari eadem subordinatio ratione mutui auxilij, cum nos doceant docto. & præcipuè Pannormit. in ca. 1. de off. ordin. potestates coadiuuari ad inuicem. Ex qua contemplatione similiter videtur inferendum dari prædictam subordinationem, & successiuè sub hoc respectu præcedentiam cum ratione prædicti auxilij potestas vna ordinetur ad aliam. Dubium tamen potest esse, quæ nam earum sit maior, cum quælibet earum possit dare, ac respectiuè accipere auxiliũ prædictum. De hoc quæsito, quamuis etiam supra sit dictum, in præsenti tamen puto illud adnotandum, quod potestas illa, quæ prædictum auxiliũ præstat, maior sit reputanda, ea ratione, qua exercet virtutem actiuam. Altera verò potestas, eo respectu dicitur minor, quo recipiendo auxilium exercet virtutem passiuam, vnde sicut virtus actiua est maior passiua; ita etiam vna potestas sub tali ratione erit maior altera, vt clarum est apud Philosophos. Quarto eadem subordinatio potest considerari ratione Analogiæ, quæ licet sit diuersa, vt Philosophi, & Logici nos docent, in præsenti tamen eam contẽplor ratione prædicandi, ita videlicet, quòd potestas, & dignitas tã quam genus prædicetur per prius, & posterius de suis speciebus, & sic puto dari prædictam subordinationem & successiuè præcedentiam. Hinc obseruo potestatem meo iudicio prædicari per prius de potestate ordinis & postea de potestate iurisdictionis Ecclesiæ; atq; tertio loco de potestate iurisdictionis secularis; vltimo de potestate militari. Licèt non sit omnino clarum an potestas militaris sit

sit subordinata potestati ciuili, quid autem in hoc sit tenendum non intēdo hic aliter definire, sed me remitto ad ea, quæ supra in articulo præsertim octauo diximus. Quæ quidē ordinationis prædicatio, cum satis clarè habeatur, & cognoscatur ex his, quæ diximus supra in alijs articulis; ideo in præsenti non potest aliud adnotare. Quinto, & vltimo ista subordinatio posset vlterius perpendi ratione causæ, quatenus videlicet vna sit causa alterius, & sic cum quatuor sint genera causarum, vt sæpè diximus, sequitur inde hanc subordinationem sub hoc respectu, aut nō dari, aut dari solùm ratione causæ finalis, & efficientis. Respectu enim finis; quoniam in Rep. Christiana omnes potestates debent esse ordinatæ ad salutem hominis, tum ratione qua est viator, tum etiā ratione qua erit aliquando Deo adiuuante comprehensor. Respectu verò causæ efficiētis, quia legimus in iure, & præcipuè in notabili rex. c. 1. de maiorita. & obed. in extrauag. communi, Pontificem habere vtramq; potestatem, id est ecclesiasticam, & secularem, primam debet exercere per se ipsum, aliosq; Prælatos. Secundā verò per alium, nempe per Imperatorem, & alios Principes seculares, vnde cum Pont. videatur illam concedere, & propterea Principes teneantur Pontifici obedire. cap. omnes Principes, eod. de maiorit. ideo vna aliquo modo videtur causare aliam per viam causæ efficientis. Ex quibus omnibus debemus concludere in prædict. potestatibus dari prædictam subordinationem, atque vlterius qua via illa detur, atq; cognoscatur. Et cum inde habeamus etiam quomodo ad argumenta supra in contrarium adducta responderi valeat; ideo non videtur necessarium speciali responsione illa soluere, tum non sit inconueniens vt aliquo respectu verificentur, alio verò limitentur, vt satis clarè habetur ex deductis.

Quomodo prædictæ dignitates, earumq; gradus cognoscantur in casu dubio. Art. 17. & vltimo.

QVamuis solutio istius articuli haberi posit ex his, quæ diximus supra, tum in præsenti quæstione, tū etiam in alijs, quoniam tamen nō videtur inutile quædam, non tantum de nouo addere; sed etiam iam dicta aliquo modo repetere ob materiæ grauitatem, hinc est, quòd imprimis conuenit adnotare vnde posit oriri dubium circa rem propositam, vt inde intelligamus etiam vnde sit desumenda cognitio. In potestate igitur primo considerari potest, quòd sit genus quoddam illudque habeat species, gradus, atque indiuidua. Secundo cum articulus solui debeat respectu præcedentiæ; ideo vlterius dicimus, quòd eadem potestas potest considerari ratione propriæ naturæ: secundo ratione exercitij eiusdem. His præmissis dubium propositū ita posset oriri. Primo si quis quæreret an casus de præcedentia ratione dignitatis propositus sit definiendus respectu dignitatis in genere, vel respectu eiusdē in specie, aut ratione eiusdem in aliquo gradu, seu numero. Secundo posset aliud dubiū

occur-

occurrere circa eiusdem dignitatis exercitium, cum illud possit esse aliquo modo nobili, vel ignobili. Hæc igitur sunt dubia, quæ circa rem propositam oriri possunt, & ad similitudinem eorum alia excitari. Pro solutione est animaduertendum, quòd in materia morali, atq; legali illa desumi debet aut a consuetudine, cui' est proprium legem interpretari, aliquãdo approbare, aliquando eam corrigere, & aliquando nouum ius inducere. Doct. in c. fi. de consuetud. vbi præcipuè Henric. Boic. Et si casus dubius, vt supra adnotatus consuetudine definiri non posset, recurrendum esset ad ius scriptum, sicuti adnotauimus supra de nonnullis Bullis Summorum Pontificum. Cæterum si nec ius istud reperiatur, recurrendum esset ad cõmunem doctorum opinionem, iuxta tradita per doct. in c. 1. de constitut. in fine eorum repetitionis, vbi Abb. Dec. Felin. & alij. Quæ quidem communis opinio, vel altera doctorum sententia, quæ pro communi posset reputari, si non reperiatur, tũc recurrendum esset ad simile, iux. tex. in l. non possunt. ff. de legi. Hinc videmus in iure diuersas quæstiones esse definitas a simili. Quæ quidem similitudo si similiter non reperiatur, tunc vlterius esset procedendum. Et quoniam Arist. nos docet lib. 1. Post. duplicem esse demonstrationẽ; vna enim dicitur demonstratio quia; altera verò demõstratio propter quid. Prima habetur ab effectu: secunda verò a suis causis; ideo sicut multa cognoscuntur ab effectu, alia verò per suas causas; ita etiam dubia, vt supra adnotata, quædã cognoscuntur, atq; diffiniuntur ab effectu, quædam verò a suis causis, quæ in materia morali nil aliud sunt, nisi rerum circumstantiæ, ex quibus constat actus moralis. Quæ quidem omnia videntur omnino adnotanda, quamuis etiam supra de eis facta sit mentio: siquidẽ cum sermo sit de potestate in communi, & non de quæstione numerali, & indiuidua, erat propterea conueniens iuxta qualitatem subiecti tradere doctrinam congruam ad illius cognitionem, quæ si cõgruæ applicata fuerit ad indiuiduas quæstiones de præcedentia circa dignitates propositas, nemini potest esse dubium, quòd illæ veræ, & realiter adeò soluentur, vt amplius aliud desiderari nequeat. Et hæc sunt quæ erant adnotanda circa articulum propositum.

QVÆSTIO VIII.

De præcedentia ratione Nobilitatis. Art. 14.

QVoniam nobilitas aliqua ratione conuenit cum dignitate, cum vtraque denotet quandam hominis præheminẽtiam, hinc est, quòd ob huiusmodi conuenientiam congruũ esse videtur, vt post quæstionem præcedentem in præsenti agatur de Nobilitate proposita. Docet enim Archidiaconus in c. 1. de consuet. in 6. dignitatem denotare præheminentiam quam similiter demonstrat nobilitas, vt docet Bart. in l. 1. C. de dignit.

gnit.

gnit.lib.14. Confirmatur, quia dignitas non solum conuenit cum nobilitate, verum etiam aliquo respectu est eadem, vt apud Bart.lo.cit. legimus, & nos infra dicemus, & propterea meritò quidem in præsenti agẽdum est de re proposita, de qua videre intendimus.

1 Quid sit Nobilis, & quomodo hic accipiatur.
2 Quotuplex sit, & quomodo diuidatur.
3 An, & quomodo differat à dignitate.
4 An habeat latitudinem, species, & gradus.
5 An Nobilitas sit maior dignitate.
6 An gradus Nobilitatis sit maior gradu dignitatis.
7 An nobilitas vna sit maior altera, & quæ nam illa sit.
8 Quomodo detur præcedẽtia inter personas nobiles eiusdem speciei.
9 An doctoratus, & licentiatura sint nobilitates, vel dignitates.
10 An actus, & exercitium doctoratus, & licentiatorum sint dignitatis, seu nobilitatis.
11 An licentiatura sit aliquando maior doctoratu.
12 An sit facienda differentia inter nobilitatẽ, & personã nobilẽ.
13 Quid iuris si dubitetur de aliqua qualitate, an sit nobilitas, seu dignitas.
14 Quomodo cognoscatur nobilitas, & persona nobilis.

Quid sit nobilitas, & quomodo hic accipiatur.
Art. 1.

EST communis doctrina, vt in explicatione alicuius materiæ primu declaretur id, de quo habẽdus est sermo, sicut obseruatum legimus etiam à iuris peritis l.1. ff. de dolo. L. 1. ff. de tutel. instit. de iusti. in princ. & insti. cano. de iure cano. similiter in princ. cum simil. vnde illud idem in præsenti faciendum esse duxi, & propterea dicimus ad mentem Christopho. Iauell. in sua Polit. Christiana, tract. 1. p. 2. cap. 4. Duo genera nobilitatis reperiri, siquidẽ dicitur quis nobilis aliquando secundum varietatem, cum ex antiquo, & honorabili generi processerit, aliquando verò secundum communem vulgi opinionem si ex antiqua domo diuitias omnes habuerit, vulgus enim nescit aliam nobilitatem, nisi antiquam diuitiarũ abundantiam, hinc adnotat iste doctor virtute nobilium primi generis esse magnanimitatẽ, magnificentiam, docilitatem, & affabilitatem. Præcipuè autem eorum vitia esse nimiam honoris cupiditatem, & progenitorum contemptum. Hæc doctrina, licèt sit notanda, tamen nõ videtur satisfacere iuxta propositum institutũ; vnde vlterius procedendo Abb. Panormit. in c.1. de donat. in princ. docet nobilium quosdam dici genere, quosdam moribus, & quosdam animo, & sic decisio d. capituli ad mentem eius videtur intelligenda de quolibet genere nobilitatis. Ex his omnibus videtur inferendum nobilitatem

esse quandam virtutis claritatẽ. Contra quam illationẽ facit doctrina Tiraq. supra relata q. 6. art. 3. qui hoc docet in summa, nobilitatem acquiri nõ tantum virtutibus, sed etiam multis alijs medijs, exempli gratiã, diuitijs, antiquitate, dignitate, & alijs similibus, vt copiosè legimus in d. suo tra̅cta. de nobilit. Hæc obiectio posset confirmari quia docet Franciscus Piccolhomin. in d. suo sæpè ci. tracta. de moribus, gra. 8. c. 15. Nobilitatem aliam esse materialem, aliam diuinã, aliam moralem, & aliam fortunæ. Hoc idem legimus sub diuersis sententijs apud Andr. Ebora. in suo lib. diuers. sent. in verb. nobilitas. Qua de re quid sit dicendum non videtur facile scitu, & propterea in hac varietate dicerem ego cum distinctione esse respondendum, hoc vno imprimis præsupposito, quòd nobilitas constituat in aliquã virtute, quæ dupliciter considerari potest, videlicet in genere, & in specie. Hinc est, quòd qui ornatus non est virtute nõ potest dici nobilis, sed simpliciter ignobilis. Primo modo obiectio, vt supra relata, videtur nulla, cũ quælibet nobilitas in virtute cõsistat. Quãuis enim acquiratur diuitijs, antiquitate, & alijs diuersis vijs, vt diximus, & infra clarius dicemus: puto tamen animaduertendum, quòd aliquando sola virtus est causa illius, vt contingit in aliquo ex infima plebe doctore creato per ea, quæ infra suo loco sumus dicturi. Aliquandò verò cum virtute concurrit aliqua alia causa iuxta doctrinã Tiraquel. in d. suo tractat. & propterea virtus semper requiritur ad ipsam nobilitatem. Hinc est, quòd si quis possideat multas diuitias, atque nulla virtute sit præditus, ignobilis, & plebeius reputatur, vt quotidie experientia docet. Vnde doctrina Tiraquel. videtur præsuponere nobiles nobiliter, & sic virtuosè viuere, & non aliter, idque inde cognosci potest, quia si quis fuerit vir improbus, & imperitus, apud docto. non dicitur nobilis, sed ignobilis, licèt multas diuitias possideat, sitque antiquæ familiæ, vt refert etiam Piccolom. in d. gra. 8. ca. 14. & Ebora. lo. cit. Quamuis igitur nobilitas in virtute consistat secundum Bartol. tamen in l. 1. numero 62. C. de dignita. lib. 12. definitur illa, quòd sit qualitas illata per principatum tenentem, quã quis vltra honestos plebeios accept⁹ ostenditur. Hæc definitio, licèt sit data à doctissimo viro, potest tamẽ reprehendi, cum non videatur generica, sed tantum specifica. Franc. Piccolo. in d. cap. 15. refert aliorum definitiones, & postea distinguendo eam quamlibet illius speciem definit. Frã cis. Guidan. in suo vulg. discursu de Nobilita. docet nobilitatẽ esse quendam splendorem ex virtute ortum, & causatum ab effectu moderatum, quo bonũ a malo discernitur, & cognoscitur. Quæ descriptio patitur eandem difficultatem, vt supra relatam. Definitur vlterius diuersimodè a Ioa. Astaing. in suo lexicô Theo. in verb. Nobilitas. Inter quas definitiones obseruo illam magis approbari, quòd sit maiorum progenitorum quædã claritas, quæ cũ sit specifica, non videtur propterea sequenda. Qua de re postquam adnotauimus quid ad mentem aliorum erat obseruan-

nandum, conuenit nunc, vt breuiter videamus quid meo iudicio sit tenẽdum. Vnde oportet imprimis reducere nobilitatem ad suum genus, & cũ sit in homine, consequenter erit necessariò quædam qualitas, quæ cum quatuor habeat species, dubitari potest ad quam sit reducenda. Licèt autem ad habitum, & dispositionem reduci fortasse valeat, quia homo tali, vel tali modo viuendo, disponatur, & respectiuè habituetur ad nobiliter viuendum, hoc tamen habet difficultatem, cum illa oriatur non tantum a virtute, sed etiam ab alijs medijs, vt supra diximus ad mentem Tiraquell. ideò videtur reducenda ad aliam speciem, quæ dicitur forma & figura, idque ea ratione, quia nobilitas dat quoddam esse accidentale. Verum quia hoc dictum patitur eandem difficultatẽ, hinc puto concludendum esse definiendam per genus qualitatis, vt nobilitas sit quædã qualitas, quæ cum in præsenti consideret non absolutè, sed respectiuè, ita videlicet, quod faciat hominem superiorem alijs, & magis clarum; Sed nec id videtur sufficiens, cum oporteat vlterius adnotare vnde illa oriatur. In hoc autem aliam regulam minimè obseruare potui, nisi dicamus illam oriri aut a malo, aut a bono. Non primum, quia dicebat Euripides relatus etiam a Francisco Piccol. in d. ca. 15. Nullam nobilitatem reperiri inter malos, sed inter bonos tantum, ideò prouenit a bono. Quod cum sit multiplex, hinc est, quòd in hac parte me remitto ad Tiraq. loc. cita. Ex quibus omnibus puto cõcludendum nobilitatem ita posse definiri, quod quatenus in communi sit cõsiderata, nil aliud videatur esse, nisi quædam qualitas, cum virtute coniuncta homini competens, & ex aliquo bono proueniens, qua est alijs superior atque clarior. Quæ definitio, licèt ex iam dictis cognoscatur congrua, contra eam tamen vnum videtur obstare, quod cum per virtutem in ea positam possit fortasse intelligi virtus moralis, inde infertur habẽtes aliquam causam nobilitatis, non esse nobiles, si tali virtute nõ fuerint ornati. Ad hoc enim puto respõdendum præsupposito imprimis, quod per dictam virtutem nos intelligam⁹ eam, qua homo nobiliter viuit: Nobiliter autem viuere est secundum virtutes morales vitam ducere. Hoc stante dicemus nobilitatem dupliciter considerari, videlicet materialiter, et formaliter. Primo modo, qui habet aliquam nobilitatis causam dicitur nobilis materialiter: sec⁹ formaliter. Hinc videmus quosdam nobiles genere esse tales solum materialiter, ex quo viuunt, vt plebei, & ignobiles, atq; rustici, & quod peius est, etiam diuersis vitijs aliquando dant operã, nilue aliud curant, nisi eorum illicitis cupiditatibus satisfacere. Et sic degenerant a proprijs antiquis genitorib⁹ cum maximo eorum dedecore, atq; infamia. Vnde ad hoc, vt quis sit verè nobilis, requiritur esse talem materialiter, & formaliter, aut formaliter solum. Et sic videtur intelligẽda prædicta definitio, & obiectionem esse solutam. Ex quibus omnibus inferri potest non esse necessarium disputare an inter homines detur nobilitas, siquidem sicut dãtur virtutes, & cau

sæ, a quibus nobilitas oritur, vt diximus supra, ita quoque illam dari necesse videtur. De qua difficultate potest adnotari Franciscus Piccolom. in dicto suo tracta. & gradu capit. 14. per tot.

Quotuplex sit nobilitas, & quomodo diuidatur. Art. 2.

NObilitatem non esse vnicā, sed multiplicem satis clarè constat ex his, quæ in præcedenti articulo diximus. Vnde vltra diuisiones ibi relatas, quas breuitatis gratia hic aliter non referam, alias nos docet vlterius Iohan. Astaing in d. Lexic. Theolog. in verb. Nobilitas, vbi legimus nobilitatem aliam esse naturalem, aliā parentalem, aliam honestalem, aliam virtualem, aliam heroicalem, & aliā supernaturalem. Contra quas quidē species, videtur obstare tex. in §. plebiscitum, instit. de iur. natur. vbi cauetur populum esse tanquam genus, cuius species sunt plebs, & patritij. Ex quo inferri potest vnicam esse nobilitatem, nempe patritiorū. Cui obiectio puto respondendum, quòd licet tex. ibi diuidat populum modo prædicto, non propterea tenet cōsequentia nobilitatem esse vnam, cum patritij sint diuersæ qualitatis, quamuis in regimine conueniant, vt videmus in illis magistratibus, in quibus plures personæ requiruntur, quæ in officio sunt æquales, extra verò illud inter se maximè differūt sicuti regimē Reip. clarius id demonstrat. Vnde cum vera remaneat conclusio nobilitatē esse multiplicem, atque quotuplex illa sit ad mentem aliorum in præcedenti, & præsenti articulo sit adnotatū, sequitur nunc, vt breuiter videamus, quomodo meo iudicio illa sit diuidēda. Et cum hæc materia in præsenti consideretur moraliter, ideo a veris circunstātijs puto illam esse diuidendam, eiusq; species cognoscendas. Quā de re ponderando circunstantiam, Quis, inde inuestigare debemus causam efficientem illius, quæ nil aliud videtur esse, nisi Deus, aut natura, aut homo, aut fortuna. Hinc est, quòd nobilitas vna est diuina; altera naturalis; tertia ciuilis, & humana; quarta fortunæ, & accidentalis. Contra quam distinctionem videtur facere doctrina Tiraq. loco supra cit. Siquidem si nobilitas inter eius causas oriatur aliquando etiam a diuitijs, ab antiquitate, & ab alijs causis ab eodem relatis, & declaratis, sequitur inde a prædictis quatuor causis tantum non haberi pluralitatem nobilitatis. Cui obiectioni puto respondendum, quòd istæ quatuor causæ non videntur producere nobilitatem immediatè, sed per media, a Tiraquel. lo. cit. copiosè explicata, vt et clarius infra dicemus; ideo obiectio videtur soluta, & amplius non obstare. Secundo considerando circūstantiam, Quid, a qua oritur (ni fallor) nobilitas, quæ materialis videtur denominanda, siquidē si quis esset admodum diues, vel aliam materialem causam haberet posset dici nobilis materialiter, & propterea rustici, plebei, & similes personæ ob copiam diuitiarum apud homines dicuntur nobiles ratione istius causæ. At si tertio loco consideretur circūstantia; quo modo inde oritur nobilitas, quam formalem

malem placet nominare. Et ratio est, quia videmus quosdam viuere vita nobili, & virtuosa, licèt sint paupe-res, vel quasi. Hinc est, quòd coniungendo hanc nobilitatis speciem cũ præcedenti possumus illam ita diuidere, vt vna materialis, altera verò formalis. Quarto considerando circunstatiam, Cur, & sic causam finalem, obseruo, quòd sicut finis hominis vnus est æternus, alius temporalis, & iste rursus vnus ciuilis, alius verò Christianus; ita etiam nobilitas, vna est æterna, quæ alio nomine Theologica potest vocari; alia ciuilis; tertia deniq; Christiana. Hinc puto animaduertendum primam considerari, & declarari a Theolo. secunda a Iurista; tertia a Canonista. Quinto considerando circunstantiam, Quando, inde inferri potest nobilitatem vnam esse perpetuam; aliam verò tẽporalem, & successiuè vnã esse hæreditariam; secus alteram, ad similitudinem priuilegiorum, quorum quædam sunt personalia, & cum persona extinguuntur. c. priuilegium, de regu. iur. in 6. Quædam verò realia, vt ibidem adnotant doct. Sexto si considereremus circunstantiam loci inde talis nobilitatis distinctio adnotari potest vt vna sit localis, alia verò personalis, vt doctè, & eleganter docet Osorius in suo tract. de nobilit. Christia. Hinc sæpè dubitatum fuit an nobilis alicuius castri præcedere debeat ciui alicuius ciuitatis, cum primus sit nobilis nobilitate personæ; secundus verò dicatur nobilis nobilitate patriæ, de qua infra, in proprio articulo dicemus. Quæ quidem nobilitas localis subdiuiditur ad diuisionem locorum, ciuitatum, terrarum, castrorũ, & similium. Sicut enim ciuitas vna est nobilior altera; ita etiam hoc idẽ dicimus de persona nobili. Nobilitas autem personæ simpliciter subdiuidi potest, præcipuè verò, quia vna potest dici familiaris, cum competat vnicuiq; de illa familia, & agnatione. Altera verò formaliter personalis, quoad se; quoad descendentes verò, familiaris potest nominari. Sicut autem familiæ reperiuntur diuersorũ graduum, ita etiam hoc idem possumus, & debemus affirmare de nobilitate earundem. Septimo potest adhuc considerari nobilitas ratione circunstantiæ, Quibus medijs, atque sub hoc respectu illa acquiritur, iuxta doctrinam Tiraq. loc. supra sæpè cita. diuitijs, a virtutibus, scientijs, beneficio Principis, feudo, & iurisdictione arte militari, vita clericali, consuetudine, & statutis, astris, patria, præscriptione, item successiuè aliquo accidenti, & antiquitate. Quæ omnia doctè, & copiosè explicantur a d. doctore. Quibus addi potest, quod quidam acquirant sibi nobilitatem modis licitis, & honestis, quidam verò modis omninò a iure dãnatis, vt sunt lenones, personarum potentium: vnde sicut media illam acquirendi sunt multa, ita etiam in multas species est diuidenda, & a qualibet causa denominanda. Quamuis autem per amissionem prædictarum causarum licèt non omnium eadem nobilitas amitti valeat, quoniam tamen id declarare non facit ad institutum nostrũ, ideo sit satis adnotasse quot modis nobilitas diuidatur, & quotuplex illa sit, tã ad mentem aliorum, quàm meo iudicio.

tio. Quoad amissionem verò eiusdem me remitto ad ea, quæ copiosè docet Tiraquel.lo.cita. & præcipuè cap. 15.

An, & quomodo nobilitas differat a dignitate, *Art.* 3.

BArtholus in l. 1. nu. 44. cum plur. seq. C. de dignit. lib. 12. videtur esse talis opinionis, quòd dignitas, & nobilitas sint idem, siquidem docet prius dignitatem adeò largè accipi, vt omnes, qui sunt bonæ famæ, & integri status sint in dignitate constituti. Aliquando verò accipitur dignitas pro officio, cui illa est annexa. Aliquando autem denotat qualitaté, qua quis differt à plebeo, & sic propriè dicitur nobilitas. Atque ad hoc significatum facit tex. in §. plebiscitum, insti. de iur. natu. Quæ quidem doctrina licèt sit notanda cum sit doctissimi viri, tamen non videtur vndique satisfacere, & propterea vlterius procedendo Franc. Piccolhominus in d. suo tract. de moribus, gradu 8. c. 16. postquam declarauit qualis sit nobilitas diuina, moralis, naturalis, & fortunæ, soluit notabilé quæstionem, An videlicet Principes possint dici nobiles, & soluendo dicit, Principes cõsiderari dupliciter. Primo, vt Principes, idest regno, vel sta tu exaltati. Secundo vt tales, idest tali, vel tali conditione, & qualitate affecti. Primo modo dicuntur nobiles nobilitate fortunæ; siquidem possidere oppida, regna, & similia, inter bona fortunæ connumeratur. Vnde sub hoc respectu potius fortunati, quàm aliter sunt reputandi. At secundo respectu esset recurrendum ad alios gradus nobilitatis, videlicet diuinæ, naturalis, & moralis. Et cum nobilitas diuina sit eleuatio gradus naturæ rei ad Deum, & accessio ad illum, nobilitas verò naturalis sit facilitas, & procliuitas ad honesta. Nobilitas denique moralis est congrua morum compositio virtutum habitibus confirmata. At nobilitas fortunæ est externa quædam nobilitatis in bonis fortunæ refulgens, idẽ author ibidem c. 15. per tot. Sequitur inde, quòd Princeps sub dicto secundo respectu sit aliquando nobilis, & aliquã ignobilis, prout ei dictæ definitiones applicantur, & respectiuè remouentur. Vnde ex his omnibus puto inferendum, quod si solutio ad istum articulum sit danda respectu nobilitatis fortunæ, sine dubio nobilitas, & dignitas non differunt inter se, sed conueniunt, & sunt vnum, & idem. At si sit desumenda ex alijs gradibus nobilitatis, tunc maximè differunt inter se, vt cõstat ex deductis. Hactenus habemus ad mentem aliorũ quid affirmari posset de re proposita. Nũc meo iudicio puto animaduertendũ, quod ad hoc, vt cognoscamus conuenientiam, & differentiam dignitatis, & nobilitatis, conuenit illas reducere ad aliquod genus. Et cum in homine denotent qualitatem, vt de se videtur notum, consequẽter ad illud prædicamentum reduci debent. Rursus cum plures sint species qualitatis docet Philosophus lib. prædicã. c. de qualitate, ideo omnibus consideratis nobilitas videtur reducenda ad illam qualitatis speciem, quæ dicitur habitus, et dispositio. Et ratio est,

quia

quia nobilitas videtur consistere in aliqua virtute, vt constat ex his, quæ diximus in hac quæstione supra articulo 1. Dignitas verò ad hoc, vt cognoscatur ad quam speciem sit referenda, oportet prius animaduertere sub quo significatu illa accipiatur. Vnde aliquid repetendo de his, quæ diximus supra quæstione proxima, art. 1. & præcipuè ad mentē Archid. in ca. 1. de consuet. in 6. dicimus dignitatem aliquando significare præheminentiam cum iurisdictione. Aliquando verò præheminentiam tantùm. Hoc præmisso si consideretur dignitas sub primo significatu, sicuti considerari debet, videtur reducenda ad illam speciem qualitatis, quæ dicitur potentia, & impotentia; Et ratio est quia denotat facultatem aliquid faciendi, vel non faciendi iux. l. potestatis ff. de verb. signi. Ex quibus sequitur dignitatem, & nobilitatem differre inter se specie. At si consideretur sub alia significatione videtur difficile cognitū ad quam speciē reduci valeat, cum talis præheminentia ex diuerso capite possit competere. Et propterea dicit Archid. lo. citato. quòd illa aliquando competit vigore consuetudinis. Dicimus tamen his non obstantibus illam reduci posse ad eam qualitatis speciem, quæ dicit forma, & figura. Et ratio est, quia dat aliquod esse accidentale, atq; secundum illud etiam denominationē recipit. Et ita adhuc remanet verum, meo tamē iudicio, prædictas dignitatē, et nobilitatē differre specie, et successiuè tā ad mētē aliorū, quā ēt propria sententia habemus quid erat dicendum pro solutione istius articuli.

An nobilitas habeat latitudinē, & gradus. Art. 4.

DOcet idem doctor Frācišcus Piccolom. in d. suo tract. c. 16. ferè in fi. nobilitatem recipere magis, & minus, & sic habere latitudinem, & gradus. Quæ quidem doctrina, licèt sit vera, non videtur tamen vndique clara, & propterea est animaduertendum, quòd nobilitas videtur latitudinem admittere vigore causæ, a qua dependet. Quamuis autem causa eius non sit vnica, sed multiplex, & diuersa, satis tamen esse puto exemplo vnius rem propositam declarare cum igitur inter alia, immo principaliter nobilitas oriatur a virtute; ideò placet doctrina D. Thom. 1. 2. quæstio. 52. vbi legimus, quòd quamuis fuerint apud antiquos diuersæ opiniones circa latitudinem, & augumētum habituum, docet tamen iste doctor, quod si habitus virtutum considerentur secundum se ipsos, non admittunt prædictam latitudinem, nec etiam augumentum. At si considerentur secundum participationem subiecti, tunc secus est dicendum. Hinc videmus vnum hominem esse magis virtuosum altero, vnum doctum, alterum minus doctum. Vnde sicut virtutes admittunt prædictam latitudinem, & gradus ratione d. participationis; ita etiam hoc idem est dicendum de qualibet nobilitate, & sic in ea dari magis, & minus, & propterea sicut vnus est magis virtuosus altero; ita etiam vnus nobilis erit nobilior altero, & vna nobilitas maior altera. Ex qua declaratione videtur conclu-

den-

dendum nobilitatem habere prædictam latitudinem, & admittere magis,& minus. Dubium modo remanet,an hæc conclusio verificetur de qualibet nobilitate. Causa enim dubitationis illa potest esse,quia docet Tiraq.in d.suo tract. de nobilit. per plura capita illam acquiri, & nobis competere ex diuerso,& multiplici capite, vt vidimus supra hac eadem quæstione articulo secundo. Quæ quidem causæ an omnes habeãt prædictam latitudinem,& admittãt magis,& minus,non est vndiq; clarum. Siquidem cum reducantur ad prædicamentum qualitatis casus videtur clarus, ex quo Philosophus docet præd.prædicamentum admittere magis, & minus. Vnde dubitatio in eo videtur consistere,quia posset in dubium reuocari an aliqua de prædictis causis reduci debeat ad aliud prædicamentum. At quoniam per ea, quæ diximus supra in articulo proximo præcedenti omnis nobilitas ad prædictum prædicamentũ qualitatis reducitur; ideo dubitatio ista remanet soluta. Posset vlterius dubitari an hæc conclusio sit amplianda de vna specie nobilitatis in comparatione ad aliam. Cui quæsito puto respondendum, quòd sicut quælibet causa nobilitatis habet latitudinem, & gradus,vt constat per deducta ita etiam causa, & nobilitas vnius speciei in comparatione ad aliam videtur habere eandem latitudinem, & gradus. Idque eodem virtutum exẽplo apertè cognoscitur,siquidem sicut virtus vna est maior altera, vt docet idem Doctor Angelicus in d. parte q. 66. ita etiam hoc idem est dicendum de prædictis nobilitatibus,earumq; causis.Et propterea debemus concludere nobilitatem quouis respectu consideratam habere latitudinem, & gradus,atq; admittere magis,& minus, cum reducatur ad qualitatem, per modum tamen participationis, & non in propria essentia, arg. doctrinæ D.Tho.supra relatæ.

An nobilitas sit maior dignitate. Art. 5.

ARticulus iste videtur admodum difficilis siquidem pro maioritate dignitatis facit tex. in dist. 20. in prin. vbi legimus doctores tenere secundum locum post Pontifices, merito,&c. Secundo idem potest confirmari secundum illam opinionem, quæ tenet doctorem ignorantẽ præcedere scholari docto ob dignitatẽ doctoratus. Licet Henric. Boic in prohem. Decret.teneat oppositum. Tertio inter causas nobilitatis cõnumeratur dignitas, vt docet Tiraqu.in d.suo tract.de nobilit. Et propterea nobilitas videtur denotare solùm quandam hominis præheminentiam super alios; dignitas verò demonstrat præheminentiam cum administratione, vt diximus supra ad mentẽ Archid.ergò non videtur recedendũ ab ista conclusione. In contrarium facit imprimis idem tex.in d.distin. 20.in prin.vbi legimus ad causas decidendas requiri scientiam, & potestatem,& propterea nobilitas,& dignitas videntur æquales. Hoc idem confirmari potest per textum in c.de multa,in fi.de præben. Secundo quoniam dignitas connumeratur inter

bona

bona Fortunæ, ex quo poteſt amitti, ſecus autem nobilitas, cum conſiſtat in virtute, iux. tamen ea, quæ ſupra diximus, & propterea videmus aliquẽ poſitum in dignitate illa aliquando priuari: oppoſitum verò obſeruamus de nobilitate ob rationẽ aſsignatam. Qua de re hac de cauſa nobilitas videtur præferenda: licèt enim ob aduerſam fortuuam nobilitas aliquando videatur diminura vt contingit exempli gratia per amiſsionem diuitiarum, quibus conſeruatur, nunquã tamen in totum tollitur, Dignitas verò non tantum diminuitur, ſed in totum perditur, licèt id contingat aliquando propria voluntate, iuxt. c. 1. de renunc. in 6. Aliqñ propria culpa cap. 1. & 2. de ſupplen. negl. prælat. & propterea etiam Cardinales aliquando puniuntur, & dignitate priuantur, vt conſtat per diuerſas Pontificum conſtitutiones. Amittitur vlterius eadem dignitas lapſu temporis, vt videmus in illis iudicibus ad tempus prò iuſtitia reddẽda conſtitutis, vt sunt Vicarij Epiſcoporum, Auditores, vt vocant, Rotæ, diuerſarũ ciuitatum, & ſimil. Ex quibus omnibus videtur concludendum nobilitatem maiorem eſſe dignitate. Pro ſolutione puto animaduertendum hãc præheminentiam non poſſe cognoſci, niſi aut a propria natura cuiuſlibet earum, aut ab effectu. Primo modo, cũ qualibet denotet qualitatẽ in ea videntur propterea æquales, at quoniã nobilitas reducitur ad ſpeciẽ illius, quæ dicitur habitus, & diſpoſitio, & alio reſpectu ad aliam eiuſdem ſpeciem, quæ dicitur forma, & figura. Dignitas verò ad ſpeciem potentiæ, & impotentiæ, vt diximus ſupra hac eadem quæſtione, art. 3. Ideò remanet dubium, vt videamus, quæ nam ſpecies de prædictis ſit maior. At quoniam potentia videtur maior reputanda, ex quo ſine ea nihil produci poteſt, ideò ex hoc capite dignitas eſt maior nobilitate. At ſi vlterius nobilitas reducatur ad bona animi, dignitas verò ad bona fortunæ, ſub hoc reſpectu oppoſitum videtur de iure dicendum. Sicut enim bona animi ſecũdum Philoſophos ſunt meliora bonis fortunæ, ita etiam nobilitas melior videtur dignitate. Nec debet obſtare nobilitatem oriri aliquando a bonis fortunæ, & ſic a diuitijs, vt diximus ſupra ſuo loco, quia ad hoc reſpondetur quod non propterea virtutes excluduntur, vt conſtat ex deductis ſupra in alijs art. Secundo autem modo, & ſic ratione effectus, dignitas vìdetur omninò præferenda, cum eius effectus ſit maior ex quo per eam perſona de priuata fit publica, vt quotidie in practica videmus. Nobilitas verò ſolũ dat præheminentiam, & perſona remanet eadem. Rurſus ſicut nobilitas videtur inuariabilis, licèt aliquando per accidens diminuatur. Dignitas autem in totum eſt mutabilis, vt conſtat ex deductis; ita etiam ſub hoc reſpectu nobilitas eſt maior dignitate. Hæc autẽ declaratio videtur amplianda, vt locum habeat de omni nobilitate, quæ non dependet a bonis fortunæ, niſi in cõſeruando. Hinc eſt, quòd ſi aliquis fuerit nobilis genere, & origine parentum tantum, & factus ſit pauper, vel aliquid malum ſit paſſus ob aduerſaw fortunam, nihilominus ſem

per retinet istam nobilitatem, quod non contingit de ipsa dignitate, quæ in totum amittitur. Vnde ex his omnibus debemus concludere vno respectu dignitatem esse maiorem nobilitate; alio verò oppositum est omninò tenendum, vt satis clarè cõstat ex deductis. Nunc quoad argumenta supra ad vtramque partem adducta non videtur necessarium specialiter respondere, cum satis clarè appareat per distinctiones, vt supra datas quo modo illa ad inuicem conciliari possint, & debeant, & propterea non oportet vlterius procedere.

An, & quomodo gradus nobilitatis sit maior gradu dignitatis.
Art. 6.

PRæmittendum est pro solutione istius articuli nobilitatem, & dignitatem habere latitudinem, & gradus, vt notoriè constat ex his, quæ dicimus supra de vtraque in propriis articulis, & propterea intelligentia propositæ quæstionis illa videtur esse. Primo quando gradus vnius esset æqualis cum gradu alterius de prædictis. Secundo quando gradus vnius esset altior gradu alterius. Præmittendum est vlterius maioritatem dignitatis dupliciter considerari posse, primo in actu, exercitij illius secũdo extra talẽ actũ vt exempli gratia dignitas cuiusuis iudicis consideratur quatenus ius dicit. Et sic dum, sedet in Tribunali ad ius reddendum, & quatenus reperitur extra illud, vt deambulando, vel aliquem actum extra officium iudicis agendo, & propterea videmus iudices extra eorum tribunal honorari. His præmissis puto imprimis animaduertendum tam præsentem, quam etiã proximè præcedentem articulum non habere difficultatem sub eo respectu, quo dignitas consistit in actu sui exercitij. Sicut enim sacerdos in exercitio sacerdotij semper retinet locum suũ, & nemini cedit; ita etiã iudex in administrando iustitiam. Et ratio est, quia vterque in casu suo consideratur, vt minister Dei. At si dignitas cõsideretur secundo respectu non videtur clarum quid sit de iure dicendũ, ideò conuenit adnotare quid in tali casu tenere debeamus. Vnde disputatione omissa pro solutione illud videtur mihi dicendum, quod supra adnotauimus q. 7. art. 16. de gradibus dignitatis vnius in comparatione ad gradum alterius. Sicut enim gradus altior dignitatis secularis est maior, & eminẽtior gradu dignitatis Ecclesiasticæ, vt ibi diximus, quamuis hæc dignitas in suo genere sit maior prædicta seculari; ita quoq; gradus altior nobilitatis, maior, & eminentior est reputandus gradu dignitatis. Hæc solutio videtur vera de iure scripto, atque præsupposito dignitatem in suo genere esse altiorem ipsa nobilitate. Siquidem oppositum esset dicẽdum si contrariam opinionẽ velimus sustinere, iuxta ea, quæ diximus supra in præcedenti articulo. Dixi autẽ de iure scripto, quia de cõsuetudine potest aliquando aliud affirmari, idque non sine ratione, cum consuetudo maximã vim habeat in materia præcedentiæ, vt diximus supra suo loco. Quibus omnibus ita obseruatis dubium remanet qua via cognosci valeant huiusmodi gradus. Quo-

ad

ad gradus enim dignitatum;nõ oportet hic aliquid animaduertere, siquidem per ea, quæ diximus supra q. 7. in diuersis articulis, satis clarè constat, meo tamen iudicio ; qua via illi cognoscantur. Quoad gradus verò nobilitatis imprimis placet adnotare illos dari,cognosci,& distingui a cõsuetudine,cuius vigore sicut quis habet aliquando præheminentiam super alios,vt diximus supra ad mentẽ Archid.in c.1. de consuetu.in 6. Ita etiam hoc idem affirmari potest de gradibus nobilitatis. Hinc videmus in practica quosdam reputari nobiles.sed non inter primarios in genere nobilitatis. Et propterea hæc est vna via cognoscendi prædictos gradus.Quæ quidem consuetudo, cum sit quid facti,& in facto consistat,dicto in c.1.de constit. in 6. l.1. cũ ibi adnot. C.quæ sit longa consuetu. & doct.in l.de quibus.ff. de legib. cum vulg.ideò in cõtingentia facti oportet probare quid prætẽdẽs præcedẽtiam intẽdat in casu sibi cõtingẽti,& hic nõ occurrit aliud adnotare. At si grad⁹ isti cõsiderẽtur de iure scripto adhuc neminem vidi,vt ingenuè fatear, qui eos distinguat,atq;declaret. Posset tñ meo iudicio cõsiderari aut ratione essentiæ,aut ratione qualitatis.Primo modo gradus videntur differre specie, & propterea sub hoc respectu de eis partim diximus supra & partim dicemus infra suis locis. Causa autem illa videtur esse, quia si prædicti gradus conuenirent in essentia in ea non different,& propterea sub secũdo respectu dicim⁹, quòd ad eorum cognitionem potest applicari doctrina Abba.in c.cum in cunctis in princ.numero 4.de elect. & ibidẽ alij.Sicut enim gradus sciẽtiæ ibi ita diuiduntur, vt vnus sit eminens,alius sufficiens, tertius mediochris;ita quoque a simili hoc idem affirmari potest de gradibus cuiusq; speciei nobilitatis, & propterea inde habemus aliam viam, qua illi cognosci valeant.

An, & quomodo nobilitas vna sit maior altera. Art. 7.

ANtequam veniamus ad solutionem istius articuli oportet pri⁹ adnotare eius intelligẽtiam, puto igitur ipsum esse ita intelligendum, vt videamus an species vnius nobilitatis sit maior altera specie eiusdem, & quo modo. Secundo an in eadem specie detur gradus vnus maior altero eiusdem speciei.Sub primo respectu in præsenti articulo videre intendimus quid iuris ; sub secundo verò in sequenti. Vnde hoc præmisso dicimus,quòd cum plures sint species nobilitatis, vt vidimus supra articulo 1. & 2. oportet propterea asserere illas non esse inter se æquales, sed poti⁹ inæquales, & sic vna est maior altera.Et consequenter de eis quoad præsentem articulum attinet verificatur tex.in c.statuimus, de maiorit. & obed.facit doctrina Gigan in consil. 3. Sicut enim in rebus naturalibus omnium consensu apertè vidẽmus speciem vnam cuiusuis generis esse maiorem altera,& sic non esse æquales ; ita etiam hoc idem videtur dicẽdum de speciebus nobilitatis. Qua de re,cum de hoc quæsito nemo dubitet, vt apud scribentes obseruare

valui sequitur (ni fallor) quòd tota difficultas remaneat circa medium, quo nobilitas vna dicatur, & cognoscatur maior altera. Vnde supra articulo secundo adnotauimus nobilitatis species, ac distinctiones a rerum circunstantijs desumi, conuenit modo adnot. an ab eisdem earundem maioritas, atq; præheminentia desumatur. Pro parte enim affirmatiua dicimus, quòd sicut ad aliquem actum moralem quælibet circunstantia addit aliquid perfectionis, & propterea legimus bonum cõstare ex tota causa, malum verò ex vnico defectu, iuxta l. 1. ff. de orig. iur. Ita etiam possumus asserere speciem vnam nobilitatis esse maiorem altera ratione alicuius circunstantiæ. Hinc est, quòd secundum vnam opinionem nobilitas localis est maior nobilitate personali, vt docet Osorius in d. suo tract. de nobilit. Christiana. In contrarium facit ratio illa, quòd sicut vna circunstantia non est maior altera, eo tamẽ respectu, quo quælibet earum vitiat actum, cum malum constet ex defectu vnius de prædictis. Ita quoque hoc idem videtur dicendum de nobilitate vna in cõparatione ad aliã. Pro solutione puto animaduertendũ quòd hæc præcedentia posset dupliciter considerari. Primo considerando vnam nobilitatem desumptã ab vna circunstantia in comparatione ad aliam, desumptam ab alia: sub hoc respectu oportet adnotare, quænam circũstantia sit maior, & quæ minor. Secundo considerando vnam nobilitatem in comparatione ad aliam ratione medij, a quo producitur. Quoad primum est vlterius adnotandum, quòd circũstantiæ, Quis, Quid, Cur, & Quomodo, demonstrant quatuor genera causarum. Quarum vna apud Philosophos est maior altera, & propterea sicut causa materialis est inferior cæteris; ita etiam præcedentia nobilitatis inde orta erit inferior. Rursus sicut causa finalis dicitũ maior, cum secundum eosdem sit causa causarum; ita etiam nobilitas, eiusq; præcedentia inde nata erit maior. Item sicut causa formalis videtur præcedere, ex quo dat esse rei, vt legimus ẽt apud Iuristas, iux. l. Iulianus. ff. ad exhib. Ita quoq; nobilitas, eiusdemq; maioritas inde desumpta maior videtur reputanda. Causa deniq; efficiens ex eo potest dici maior, quo actu agit. Finis verò virtute dicitur agere, vnde sicut actualis operatio videtur maior operatione virtuali, ita etiam hoc idem videtur affirmandũ de nobilitate, eiusq; præcedentia ab efficiẽte causata dicitur maior. Hinc est, quòd Doctor creatus a Principe est dignior Doctore creato ab aliqua vniuersitate, vt infra clarius dicem⁹; & sic a circunstantijs prædictis habemus quid sit dicendum pro solutione istius articuli. Quæ quidẽ circunstantiæ si vlterius considerentur in comparatione ad alias, videlicet vbi, quando, & quibus medijs: ea ratione videntur præcedere, quia illæ quatuor demonstrant prædicta quatuor genera causarum; reliquæ verò tres denotant solùm quædam accidentia, vnde sicut illæ quatuor præcedunt, vt constat; ita etiam hoc idem est dicendum de nobilitate inde causata, licèt aliquando talis conclusio possit limitari ratione alicuius accidentis,

dentis, vt exempli gratia ratione antiquitatis, ratione nobilitatis loci, vel alio simili respectu. Id autẽ, quod diximus de nobilitate quoad prædictas quattuor circumstantias a simili idem puto dicendum de alijs tribus. Et ita ex his omnibus habemus qua via nobilitas vna posſit cognoſci maior altera ratione circumstantiarum Quoad ſecundam conſiderationem, vt ſupra adnotatam; ſatis eſſe puto obſeruare, quòd quædam circumſtãtia poſſet diuidi quædam verò ſecus Illa enim quæ diuidi poteſt, vt eſt circumſtantia, Quando, adhuc ita conſideratur, quòd ſicut gradus vnus illi' eſt maior altero; ita etiam nobilitas inde orta erit maior altera, Et propterea videmus nobilitatem vnam eſſe antiquiorem altera. Circũſtantia verò, quæ diuidi nequit, vt eſt cauſa formalis non videtur producere maioritatem nobilitatis reſpectu eiuſdem met cauſæ, niſi ſub ea ratione, quòd forma vna ſit cauſa vnius nobilitatis, altera verò alterius. Vnde ſicut huiuſmodi circumſtantiæ producunt maioritatem nobilitatis, iux. ea quæ diximus ſupra, ita etiam a ſimili hoc idẽ puto dicẽdum de medijs, quibus nobilitas acquiritur, de quibus diximus ſupra ad mentem præſertim Tiraq. & infra quoque dicemus. Et propterea debemus concludere præd. maioritatem dari, & cognoſci tam ex parte prædictarum circumſtantiarum quã etiam ex parte aliorum mediorum.

Quomodo detur præcedentia inter gradus, & ſic inter perſonas nobiles eiuſdem ſpeciei nobilitatis. *Art.* 8.

Ex his, quæ diximus in præcedenti articulo infertur ſolutio, vt puto ad præſentem. Hoc tamen præmiſſo, quòd vna perſona nobilis intendat præcedere ſolum ratione nobilitatis eiuſdem ſpeciei, & propterea ſub hoc reſpectu poteſt locum habere deciſio c. 1. de maiorita. & obed. Cum igitur huiuſmodi perſonæ conueniant in ſpecie nobilitatis, differãt verò ſolum ſecundum magis, & minus ratione qualitatis, in qua talis nobilitas cõſiſtit dubium remanet qua via huiuſmodi gradus cognoſci valeãt. In aliqua enim ſpecie id videtur clarum. Siquidem ſi exempli gratia duo nobiles per ſcientiam legalem contenderent de præcedentia, habito reſpectu ad ſcientiam tantum, ſine controuerſia ille eſſet præferendus, qui eſſet ornatus maiori illius cognitione. De hoc autẽ maiori gradu ſcientiæ aliquando conſtat verè, aliquando præſumptiuè, & propterea attenditur conſuetudo potius; quam ius ſcriptum, & ſucceſsiuè verificatur tex. in d. c. 1. Hoc idem puto dicendum de nobilitate aliarum ſcientiarum, vt infra clarius ſuo loco dicemus. Hanc declarationem iudico ampliandam ad omnes illas nobilitates, cuius gradus poſſent cognoſci ad ſimilitudinem graduum alicuius ſcientiæ, vt diximus. At ſi controuerſia eſſet inter nobiles alterius ſpeciei nobilitatis, res non videtur ita cla-

clara, vt exempli gratia, si controuersia esset inter nobiles nobilitate tantum genere. Dubium est enim quomodo gradus illius cognoscantur. Ad cuius intelligentiam, atque solutionem aut est recurrendum ad ea, quæ diximus supra q. 3. art. 7. aut ad media, quibus talis nobilitas fuit acquisita, & respectiuè aucta. Quæ sicut possunt esse plura, & diuersa, tã substantialia, quam accidentalia; ita etiam non videtur possibile dari aliã regulam, nisi eam, de qua diximus supra in præcedenti articulo ad id cognoscendum. His addi potest, quòd hæc differentia oritur aliquando inter personas eiusdem familiæ, aliquãdo verò inter personas diuersarum agnationum, cũ omnes dicantur nobiles nobilitate generis. Primo modo non potest considerari origo talis nobilitatis, cum illa præsupponatur eadem, & successiuè ex hoc cap. eadem debet dari iuris decisio iuxt. adnotata in. l. a Titio; ff. de verb. oblig. glo. fi. ad c. translato. de constitu. consequenter videtur recurrendum pro cognitione talis maioritatis, & præcedentiæ ad media, quibus vna persona magis altera prædictã communem nobilitatem ampliauit. Hinc videmus quosdam conseruare tantũ nobilitatem a suis genitoribus ad se transmissam, quosdam verò ab illa declinare, eamque ob eorum deprauatam vitam perdere. Quosdam denique eorum optimis moribus ampliare, & augere. At secundo respectu, licèt diuersæ agnationes, & familiæ conueniant in hoc, quòd earum nobilitates sunt generis, dubitari tamen posset an vlterius differant numero, vel specie. Et admisso, quòd differant potius numero. Ex quo differentia earum videtur accidentalis, & non specifica, cum in omnibus nobilitas dicatur genere, atq; exemplo maris, & fæminæ, qui secundum Philosophos sunt eiusdem speciei. Ad motiuum ita puto esse respondẽdum, quòd videlicet si considerentur media prædicta in casu proposito, tam respectu originis, quam etiã ratione conseruationis, augumenti, seu respectiuè decrementi d. nobilitatis, tunc ratione huiusmodi mediorum est definienda controuersia, cum in facto illud sæpe contingat quod medium vnum, sub dictotamẽ respectu sit nobilius, & maius altero, & propterea videmus familiam vnam esse nobilem genere, ea tamen nobilitatis causa, quæ habuit originem a scientijs. alteram vero esse similiter genere nobilem ea nobilitatis ratione quæ dicitur dignitas, vel alia similis. Vnde huiusmodi familiæ ratione originis videntur differre nobilitate specificè considerata; at ratione formali differunt nobilitate numerali differentia contemplata, ex quo habemus qua via personæ nobiles vnius familiæ nobilitate generis præcedentiã prætendere valeant respectu alterius familiæ, & successiuè qua via prædicti gradus dari, & cognosci debeant.

An Doctoratus, & Licentiatura sint nobilitates, vel dignitates. *Art. 9.*

PRo cognitione solutionis istius articuli debemus præmittere doctora-

ctoratum, & licentiaturam denotare res penitus diuersas, arg. l. si idem. C. de codicill. vt colligitur ex authoribus, qui docent formas vtriusque. Quamuis enim in doctoratu, & licẽtiatura præsuponatur scientia, id tamen contingit secundum magis, & minus: & cum doctoratus sit altior, & maior licentiatura, vt ex infra dicendis apparebit, consequẽter maior scientia requiritur in uno, quàm in altera. Ex quo sequitur de iure, quòd in casu præcedentiæ ratione scientiæ doctor sit maior licentiato, & successiuè præcedere debeat. Cæterùm cum tam doctoratus, quàm licentiatura denotet quandam præheminentiam, ideo uidetur inde inferendum utrumq; esse quandam speciem nobilitatis. De doctoratu enim non est dubitandum, arg. tex. in c. de multa, in fi. cum ibi adnot. de præben. Dubium tamen remanet an hoc idem sit dicendum de licentiatura, habito. n. respectu ad scientiam, idem puto dicendum per eundem tex. ex quo concilium ibidem æquiparat ad inuicẽ sublimes, & literatas personas. Hoc idem posset confirmari per illam doctorum opinionem, quæ tenet scholarem doctum esse præferendum doctori ignoranti, ut docet Henric. Boic in prohem. Decretal. His accedit, quod Concilium Tridentinum sess. 22. c. 2. de reformat. æquiparat licentiatum, & doctorem, disponendo beneficia non esse conferenda nisi licentiatis, aut doctoribus in sacra Theologia, vel iure canonico. Quæ iuris decisio videtur uera solum ratione scientiæ. In contrarium obseruo esse communem obseruantiam fere totius Italiæ, quæ tenet licentiare aliquem nil aliud significare, nisi quòd licentiatus posset ad libitũ suũ comparere coram habente authoritatem doctorandi, & petere gradum doctoratus. Hinc est, quòd in Vniuersitate Perusina doctorandus antequam recipiat præd. gradũ solet duplici examine examinari primo a duobus doctorib⁹, qui Approbatores nominantur coram Priore Collegij Iurisconsultorum. Secundo ab vniuerso prædicto Collegio, legitimè conuocato. Primum examen a nonnullis nominatur licentiatura, licèt meo iudicio impropriè, cum nil aliud conferat, nisi præd. licentiam petendi dictum gradum doctoratus. Hoc idem posset confirmari iuxta tradita per Dec. in l. cum quid, nu. 10. ff. si certũ pet. & per Bald. in l. qui indignus. ff. de senato. dum dicunt licentiaturam esse præheminentiam sine administratione. Pro solutione puto animaduertendum, quod in licẽtiatura propriè dicta, ac etiã in doctoratu duo essentialiter considerantur, videlicet scientia, de qua diximus supra, & infra dicemus, & quædam potestas interpretandi. Vnde sicut scientia requiritur maior in doctoratu, quàm in licentiatura, ita quoq; maior potestas videtur doctori concedenda. Hoc idẽ obseruo approbari a scribentibus, sed (ut ingenuè fatear) neminem adhuc uidi qui declaret in quo consistat maioritas, & minoritas utriusq; licèt omnes admittant licentiaturam esse quid diuersum, & distinctum a doctoratu, licèt illa secundum omnes sit minor. Et ratio est, quia si in licentiatura consideraretur tũ scientia,

tia,

tia, nulla esset differentia inter scholarem, & licentiatum, quod non est uerum, nec de iure admittendum.

Nec debet obstare prædicta Italiæ obseruantia, siquidẽ, licet in ista prouincia in materia legali non detur licentiatura propriè dicta, hoc tamen est uerum regulariter, quia in sacra Theologia illa omnino datur, ac etiã in iure aliquando fuit concessa, & ut uidi a præd. Collegio Perusino. His accedit prædictam obseruantiam nõ uerificari de licentiatura propriè dicta, sed de licẽtiatura impropriè accepta. Nec etiam debet obseruare doctrina Decij, & Bal. quia illa uidet intelligenda de licentiatura impropriè accepta, cũ ex huiusmodi obiectionibus ita solutis uera uideatur remanere conclusio licentiaturam propriè dictam in iure dari, & gradum distinctum a doctoratu denotare. Ex quibus inferendum est modo pro solutione istius articuli, quòd si licentiatura, & doctoratus considerentur ratione scientiæ nobilitates reputandæ, cum producant maioritatem, vt de se patet. At si considerentur rõne d. potestatis, sub hoc respectu dignitates sunt iudicandæ, & propterea diuersa ratione sub utroque prædicato reperiuntur. Dubium modo adhuc remanet an simpliciter sint dicendæ dignitates, uel nobilitates. Cui dubio placet ita respondere, denominationem esse faciendam potius a sciẽtia, quàm a potestate, cum ab illa originem habeant; arg. l. quæriẽ. ff. de sta. homi. Hinc uidemus in practica homines doctos, ac doctores reputari potius nobiles, quàm in dignitate cõstitutos, licet secũdum rei ueritatem scientia maximè differat a potestate interpretandi, cum quis possit unam habere sine alia, ac etiam utramque, iux. tradita, præsertim a D. Bonauentura 4. sententiarum, distin. 18. art. 3. q. 1. Et ita per hæc habemus quid erat animaduertendum pro solutione istius articuli.

An actus, & exercitiũ doctoratus, & licentiaturæ sint nobilitatis, vel dignitatis. Art. 10.

SI hoc est uerum, quod quis per promotionem ad gradum doctoratus, uel licentiaturæ respectiuè de persona priuata, efficiatur publica, vt ex deductis in præcedẽti articulo inferri, atque cognosci potest, videt inde cõcludendum prædictum actũ, atque exercitium esse potius dignitatis, quàm nobilitatis, licet aliqua ratione sit nobilitatis etiam; unde pro solutione articuli, atque disputatione omissa puto dicẽdum, quòd si actus, de quo agimus fuerit gestus a licentiato, uel doctore, ut sunt personæ priuatæ, placet ut sit actus nobilitatis, ex quo denotat solùm præheminentiam talis personæ. Si uerò fuerit gestus ab eiusdem, ut sunt personæ publicæ, erunt actus dignitatis, ex quo oritur a causa prædicta, quia persona ista est, & consideratur ut publica. Hæc solutio, licet sit uera, & omnino sequenda, non uidetur tamen undique clara. & propterea remanet dubium, quomodo id totum cognoscatur. Cui quæsito similiter cum distinctione placet respondere. Siquidem aliquando clarè constat talem actum esse gestum a licẽtiato, & docto-

doctore, vt sunt tales; aut clarè constat de opposito, & tunc non oportet aliud animaduertere, quia dicebat Iurisconsultus in claris nõ opus esse coniecturis. l. continuus. §. cum ita in fi. ff. de verb. oblig. Sicut enim doctor, & licentiatus sæpè faciunt aliquid, aliquando ratione doctrinæ, & aliquando ratione potestatis; ita etiã inde cognoscimus cui talis actus sit attribuendus. Hæc autem claritas habetur aliquando a tenore, & forma illius actus: aliquando verò a subscriptione ad illum ad similitudinẽ modi procedendi a iudicibus, qui, vt cõsuetudo docet, quãdo sunt ordinarij subscribunt se simpliciter, quãdo vero sunt delegati subscribunt se vt delegati. At si actus prædictus non sit clarus, sed dubius, & obscurus, tunc in dubio oportet recurrere ad debitas coniecturas, vt dicit tex. in d §. cũ ita, & ibi glo. in verbo nullus. Hinc videmus in publicis Gymnasijs interpretationem aliam esse publicam, & aliam priuatam, & inter species constitutionum vna reperitur, quæ dicitũ interpretatiua, seu declaratiua, vt nos docent doctores in c. fi. de consti. vbi præcipuè Abb. est omnino vidẽdus. Hæc omnia, quæ & in præsenti, ac ẽt precedẽti articulo obseruaui, ad mẽtem etiã aliorum ad hoc, vt vndiq; satisfaciant melior ratio meo iudicio assignari nequit, nisi quòd prædicti actus aliquo saltem respectu dependeant ab alio capite, quam a potestate prædicta, & a scientia. At quoniã huiusmodi aliud caput adhuc apud aliquem doctorem minimè perlegi, vt ingenuè fatear, ideo solutio ad articulum videtur vndique congrua, & casu quo aliquam dubitationem habeat, illa esset potius hominis, quàm rei: & sic non videtur possibile rem ita claram reddere, vt nullus dubitare valeat.

An licẽtiatura sit aliquando maior doctoratu. Art. 11.

Quamuis ex his, quæ diximus supra in hac quæstione articulo præsertim nono inferri valeat solutio ad præsentem licentiaturam esse inferiorem doctoratu, quoniã tamen hæc quæstio est admodum frequens, & propterea satis copiosè examinatur a doctorib⁹, vt cæteris omissis videri potest apud Gratum in suo docto iuris responso 116. part. 2. ideo conuenit in præsenti de ea aliquid adnotare vltra doctrinam, de qua in d. consilio. Qua de re primo quidem loco videtur de iure dicendum licentiaturam, & doctoratum esse æquales ratione potestatis interpretandi, cum doctor non sit magis doctor, quàm licentiatus, vt dicebamus supra in d. artic. 9. At rõne scientiæ de facto cõtingit licẽtiatum aliqñ esse maioris, aliqñ uerò minoris talis scientiæ, & successiuè aliqñ debet præcedere. Hoc totũ cõfirmatũ per illam quæstionem, in qua quæritur an scholaris doctus præcedere debeat doctori ignoranti, vt vltra locum supra adductũ, videri potest Feli. in rub. de maiorit. nu. 5. Ad hæc accedit etiam doctrina eiusdem Feli. in c. eam te, nu. 2. de rescrip. vbi legimus licentiatum, quoad fauores attinet, æquiparari doctori, secus quoad pœnã alteri eorũ imponẽdã. Et rõ est, quia dicit iste do-

ctor, quod licentiatus est in potētia propinqua ad doctoratum, ideo reputatur vt doctor. Hoc idem docet Bernardinus Scodeb in authen.habita, §. seu versf.hoc nostræ potestatis. nu.17.C. ne filius pro patre,cum ibi adnot. In contrarium tamen videtur facere quædam communis hominum opinio,quæ tenet Doctorem esse maiorem licentiato, & præsertim ratione qua maior adhibetur diligentia ad aliquem doctorandum, quàm ad licentiandum. Pro solutione videtur dicendum inter prædicta duo nullā esse differentiam,& contrarietatem, illamq; alio respectu reperiri, siquidem si in aliquo casu dubitetur an licentiatus gaudere debeat priuilegijs doctoratus. Admitterem quidem prædictam æquiparationem, non solùm per ea,quæ diximus, verum etiam quoniam in fauorabilibus legimus ēt doctores,& scholares æquiparari,vt nos docent doct.in prohem. Decretal.vbi præcipuè Abb.nu.19. Est.n. vulg.regula fauores esse ampliandos, & solùm odia restringenda. c. odia, de reg.iur.in 6.At si consideretur licētiatus in comparatione ad doctorem,& sic quisnam eorum sit præferendus, oppositum posset affirmari exemplo promouēdi ad dignitatem Episcopalem, considerando talē promotionem de iure communi,siquidē sicut quis debet prius ad talem dignitatem eligi,postea confirmari, atq; e vltimo loco consecrari, ad hoc, vt plenam consequatur dignitatem, & propterea in lib.instit.iur.can.habentur tituli de elect.de confirmat.& de consecra.ita etiam a simili hoc idem possumus affirmare de eo, qui cupit acquirere plenam dignitatem literariam,siquidem per licentiaturam, licet quis acquirat gradum vnum, per doctoratum tamen plenitudinem illius. Et propterea doctoratus ex propria eius natura est altior ipsa licentiatura, licèt ex accidenti possit esse inferior. Et ratio est,quia sicut scholaris est aliquando doctior aliquo doctore; ita etiam, & multo magis, hoc idem est dicendum de licentiato. Nec debet obstare aliquem petere promoueri aliquando ad licentiaturam tantum, aliquando verò ad doctoratum solùm, quia ad hoc respondetur a simili similiter procedendo, quod sicut promouetur quis aliquā do ad Episcopatum tantum,aliquando verò ad Archiepiscopatū solùm, atq; Archiepiscopatus continet in se etiā Episcopatū, cum negari nequeat Archiepiscopum esse ēt Episcopum, arg.tex.in §.penult.insti.cano.de Episcopo,& Sum.Pont. & nihilominus Episcopus,& Archiepiscopus differunt ad inuicem personaliter,ita etiā hoc idem dicimus,& affirmamus de licentiatura,& doctoratu,de licentiato,atque doctore. Qua de re videtur esse concludendum doctoratum regulariter esse maiorem licentiatura, cum illam saltem virtualiter contineat,limitatiue verò oppositum aliquando est tenendum, vt constat ex deductis. Ex quibus omnibus habemus non solùm solutionem ad articulum, verum etiam qua via conciliari valeant,quæ ad vtramq; partē adduci possent,& propterea non est opus vlterius procedere.

An sit facienda differentia inter nobilitatem, & personam nobilẽ.
Art. 12.

VTilitas istius articuli inde cognoscitur(ni fallor) quòd cum persona nobilis prætendat præcedere aliquando ex proprijs actionibus, aliquando verò ratione suæ nobilitatis, operatione circunscripta, ideo conuenit animaduertere quid sit dicendum sub vtroq; respectu. Hoc præmisso, vt per opposita breuiter videamus quid sit tenendum. Primo quidẽ aspectu dicimus nobilitatem semper esse attendendam ob illam Philosophi propositionem; propter quod vnum quodq; tale, & illud magis, de qua diximus supra, & est vidẽdus Zimara in suis Theorematibus Theore. 57. At quoniam persona habet præheminentiam propter nobilitatem, meritò, &c. Confirmatur quia causa est nobilior causato, idem Philosophus relatus ab eodem Zimara in eodem libro Theor. 69. ergò idẽ quod supra. In contrarium facit communis doctrina scribentium, quæ tenet personam illam debere præcedere, quæ est ornata pluribus dignitatibus. Dec. in l. cum quid, nu. 14. ff. si cert. pet. Felin, in rub. de maioritat. nu. 10. & in c. clerici, nu. 6. de iudic. vbi eriã Dec. idem adnotat, meritò, &c. Pro solutione puto imprimis animaduertendum, quòd intelligentia istius articuli sub duplici respectu considerari potest. primo simpliciter, & sic nulla videtur adesse difficultas, siquidem sicut persona nobilis denominatur talis a nobilitate, vt constat ex natura rei ita etiam nobilitas est causa, persona verò nobilis causatum, & sic verificatur d. Theorema 69. Secundo in comparatione ad præcedentiam, de qua agimus, atque sub hoc respectu maxima apparet differentia inter prædictos terminos, quia nobilitas numquam potest in casu præcedentiæ præcedere, nisi ratione propriæ naturæ, considerando videlicet illius excellentiam. At persona nobilis potest præcedentiam prætendere ex diuerso capite, coniunctim, vel diuisim, vt supra dicebam. Hinc est, quòd sæpe contingit, aliquem habentẽ plures præcedentiæ causas, illam prætendere aliquando vigore omnium, & aliquando vigore vnius solùm. Et propterea extat cõsuetudo multis in locis, vt collegiati alicuius Collegij præcedere debeant ad inuicem ratione prioritatis ingressus cuiuslibet eorum. Hinc est, quòd nobilis pluribus nobilitatibus ornatus de iure communi præcedit nobili vnica, vel paucioribus nobilitatum causis, vt doct. nos docent, tam in d. l. cum quid; quã etiam in d. rubr. de maiorit. vt exempli gratia, doctor in vtroq; iure præcedit doctori in altero iure tantum, vt in dictis locis habetur. Licet autẽ per hæc omnia habeamus quid sit dicendum pro solutione istius articuli, & pro conciliatione eorum, quæ ad vtramq; partem sunt adducta, vel adduci valeant. Quoniam tamen id totum respicit personas plures nobilitates habentes, atq; in facto sæpè dubitatur an sit differentia inter vnicam nobilitatem, & personam illã nobilẽ. Causa autẽ dubitationis illa est, quia talis persona non videtur nobilis nisi

nobilitate prædicta. Pro solutione puto distinguendum nobilitatē posse considerari dupliciter. Primo secundum illius naturam, & sic tenet obiectio. Secundo ratione exequendi illam: atq; sub hoc respectu vidē mus quosdam viuere vita nobili, & sic nobilitatem acquisitam a maioribus, vel aliunde conseruare, & augere. Quosdam verò, licet sint nobiles, viuere tamen vita rustica, plebea, & ignobili, & nil aliud habere, nisi arrogantiam, & ignorantiam, cum degenerent vel ab eorum maioribus, vel a vero viuendi modo, qui conuenit tali nobilitati. Hoc præmisso dicimus, quòd persona nobilis viuens primo modo non solùm debet præcedere ratione suæ nobilitatis, verùm etiam ratione propriæ vitæ, & operationum. Reliqui verò ob eorum deprauatam vitam de iure nullam possunt prætendere præcedentiā, licet in facto multi nobilitate tumefacti prætendant oppositum, & propterea loquuntur ore rotundo, ambulant lento passu, vnde loco nobilitatis demonstrant ignorantiam, & arrogantiam. Et ita etiam in hac parte, & sub hoc respectu intelligimus solutionem, vt supra datam ad articulum propositum esse ampliandam, & vt supra intelligendam.

Quid iuris si dubitetur de aliqua qualitate, an sit nobilitas, vel dignitas.

Art. 13.

Sæpissimè obseruaui in practica quosdam ambitione tumefactos sub diuerso respectu nobilitatē prætendere, & nihilominus ab alijs ignobiles reputari. Et propterea potius cōtemnuntur, quam honorentur. Hinc est quod expedit summopere adnotare quid iuris de proposito articulo. Vnde pro parte affirmatiua illud videtur facere, quòd cum nobilitas acquiratur ex multiplici causa, & capite, vt adnotauimus supra pluribus in locis ad mentem Tiraquell. in d. suo tract. de nobilitate, sequitur inde quod si in qualitate, de qua dubitatur, an sit causa nobilitatis, verificetur vna de prædictis causis, sine controuersia nobilitas illa videtur, reputanda, sed si talis causa non produceret nobilitatem, ac dignitatem, dignitas esset iudicanda. Cōfirmatur, quia præsuposito talem qualitatem esse dubiam, cum debeat interpretari in meliorem partem cap. secundo extra de reguiur. August. de Anco. in suo tract. de potest. Eccl. q. 67. articulo vltimo. Sequitur inde huiusmodi qualitatem denominare quoddā bonū. Nec obstat illam posse declarari, vt denotet etiam dignitatem, & sic istā confirmationem non concludere. Quia ad hoc puto respondendum quòd si dignitas denotet, vt præsuponitur præheminentiam cum iurisdictione, & propterea prædicta qualitas sub tali respectu declareī talis interpretatio non esset admittenda, cū tendat in præiudicium alterius ob d. iurisdictionem. At secus videtur dicendum si neminem lædat, & sic dictam iurisdictionem non contineat arg. l. rescripta. C. de preci. Imp. cum ibi adnot. Vnde videtur concludendum prædictam qualitatem esse exponendam, vt denotet nobilitatem.

In

In contrarium verò facit consuetudo loci, cuius vigore sæpè videmus quosdam reputari in dignitate constitutos, licèt alias non sint tales, iuxta tradita in c. 1. de consuetu. in 6. Vbi præsertim Archid. est adnotandus.

Pro solutione puto animaduertendũ ex triplici capite præsertim, esse desumendam intelligentiam illius qualitatis, de qua dubitatur, an sit nobilitas, vel dignitas, videlicet, ex dispositione iuris vigore consuetudinis, & a communi hominum obseruantia, & opinione. Primo modo si in iure non reperiatur aliqua decisio, qua talis dubitatio definiri valeat, quã ego adhuc nõ vidi, vt ingenuè fatear potest procedi a simili, iux. l. non possũt ff. de legib. doct. in c. translato, de cõstit. cum simil. Similitudo autem in eo videtur consistere, vt obseruemus an qualitas, de qua dubitatur sit magis similis cum qualitatibus dignitatis vel nobilitatis, & secundum maiorem similitudinem definire casum, vt præsuponitur propositum. At secũdo respectu satis videtur adnotare doctrinam Archid. loc. citat. Ex quo enim consuetudo est quid facti, & in facto consistit c. 1. cum ibi adnot. de consti. in 6. l. 1. C. quæ sit lon. consue. Ideò in contingentia facti oportet illam probare, & secundum qualitatem eius controuersiam definire. Tertio denique modo cum communis hominum opinio, & obseruantia faciat ius iuxta vulg. l. Barbatius, & ibi doct. communiter. ff. de off. præt. Et propterea iudex in iudicando nõ potest recedere a communi opinione. Abb. Feli. Dec. & alij in ca. 1. de consti. in fi. eorum repeti. ideò si talis hominum communis opinio reputat, & iudicat talem qualitatem, de qua dubitatur, esse dignitatis, vel nobilitatis, secundum illam quæstio est definienda. Et ita per hæc habemus media, quibus articulus propositus solui, & cognosci debeat. Nec obstat interpretationem esse faciendã pro, ut supra diximus, pro parte affirmatiua, quia ad hoc respondetur regulariter esse verum aliquid esse declarandum in meliorẽ partem, vt dicit tex. in d. c. secundo limitatiuè autem oppositum, vel diuersum aliquando est omnino tenendum, idque vigore iuris, aut cõsuetudinis, seu hominũ opinionis. Vnde his tribus circumscriptis admitterem quidem argumentũ pro parte affirmatiua adductum verificari; secus verò si alterum prædictorum locum habeat, & ita intelligim⁹ quoque qualis sit intelligentia d. l. Rescripta.

Quo modo, seu via cognoscatur nobilitas & persona nobilis. Artic. 14. & vlt.

ARticulus iste dupliciter intelligi potest, primo in respectu ad materiam, de qua agimus, & sic non oportet de eo hic aliud adnotare, cũ multa obseruauerim supra varijs in locis, præcipuè autem q. 3. art. 10. Atque vlterius est adnotãdus Feli. in d. rubr. de maiorit. numero 22. cum ibi adduct. Secundo ratione propriæ naturæ, cuius intelligentia facit etiã ad rem propositam. Et ita sub hac ratione est aliquid hic adnotandum, vnde nobilitas sicut depẽdet a diuersis causis, vt diximus supra suis locis, ita &

ab eisdem desumitur illius cognitio, iux.c. intelligentia, de verb. signi. Cõfirmatur per ea, quæ diximus supra in d. art. 20. vnde dicunt Philosophi quod res sicut se habent ad esse, ita ad earum cognitionem. Cæterum si institutum propositum esset agere de nobilitate oporteret adnotare huiusmodi causas. Quæ cum sint hactenus obseruatæ iuxta propositum institutum, ideò vlterius procedendo dicimus, quòd ad hoc, vt cognoscatur persona nobilis conuenit prius præsuponere hominum quosdã esse nobiles, & vt nobiles viuere, de quibus videtur intelligendus tex. in l. pen. C. de digni. lib. 12. vbi legimus nobiles ad iudiciariam satisdationem, non cogi, sed iuratoriæ cautioni eorũ committi. Et vt nobiles viuant ideò obseruant etiam l. Nobiliores. C. de cõmerc. & mercator. Quosdam verò, licèt sint nobiles aliqua nobilitatis specie, viuere tamen, vt plebei, & propterea sunt omni infamia digni, & propter eorum deprauatam vitam ignobiles reputantur. An autem sint infames infamia iuris, vel facti, cum illa sit duplex ita distincta Bart. in l. 1. ff. de his qui not. infa. non videtur omnino clarum, quamuis quoad infamiam facti res sit clara cum eorum vita denigretur nobilitas, quam habent. Hinc videmus quosdam prætẽdere nobilitatem, & quotidie committere turpia contra proprium honorem, atque in damnum alterius, vt sunt illi, qui offendunt alios sine causa, & addendo mala malis continuò excogitant aliquam turpitudinẽ cũ eorum infamia. Quosdam verò esse ignobiles, atque vt tales viuere, de quibus videtur intelligenda decisio text. in l. nequis C. eod. de dignit. vbi cauetur negociantes artes vilissimas non esse admittendos ad dignitates, ac etiã in l. 1. C. vt dignit. ordo, eod. lib. vbi legimus esse puniendos eos, qui vsurpant locum, & sic nobilitatẽ non sibi debitam ob eorum inhonestam vitam. Quæ quidem iuris decisio si hodie esset in viridi obseruantia, multi punirentur, qui occupant locum sibi non debitum, & nil aliud habent nisi arrogantiam. Quosdam denique reperiri, qui sunt ignobiles, sed cum nobiliter viuant nobiles propterea, & meritò quidem essent reputandi. De quibus placet verificari doctrinam Abb. in cap. 1. de dona. Hinc puto notandum apud doct. & in iure nobiles, vita, & moribus esse admittendos ad dignitates. Atq; hac fortasse de causa videtur dictum a D. Ambrosio, vt legimus in can. iudicet 3. q. 7. quod ille iudicare debeat de alterius errore, qui non habet in se, quod condemnari valeat. De alijs autem omnibus, turpiter tamen viuẽtibus, debet verificari vulg. regula Infamibus, de reg. iu. in 6. licèt in practica non obseruetur, cum sæpè cõtingat homines promoueri ad dignitatem doctoratus, qui nunquam viderint libros, & quod peius est ad munus etiam publicè interpretandi assumuntur, licèt postea illud non exerceant. Ex quibus puto inferendũ nobilitatem vitæ, & morum esse maiorem qualibet alia. De qua re, quoniã supra diximus, ideò ad ea me remitto. Ex his puto inferendum pro solutione articuli personam nobilem aliũ de facilius, & commodius cognosci

non

non poſſe, niſi a qualitate illius vitæ. Quia dicebat Pythagoras, relatus ab Eboracenſ. in ſuo lib. diuerſ. ſent. in verb. nobilitas, quòd nobilior ille eſt, a quo genus incipit, & ſic a vita, & moribus. Dubium remanet modo, vt videamus vlterius qualis debeat eſſe hæc vita, a qua deſcendentes in aliqua familia, prætendunt nobilitatẽ genere. Obſeruo apud Philoſophos morales, nobiles eſſe obligatos actio nibus probis incumbere, & artes ſor didas nõ exercere, vt nouiſsimè docet Franciſcus Piccolom. in d. ſuo tract. de morib. gra. 8. capit. 20. Vnde hoc præmiſſo puto ita diſtinguẽdũ, quòd quilibet homo aut viuit moribus vitioſis, aut actionibus virtuoſis, aut operationibus heroicis. Primo modo homo non tãtum non eſt nobilis, imò plebeius, & infamis eſt om ninò iudicandus. At ſecundo reſpectu ſimpliciter nobilis & eſt, & debet reputari cum vera nobilitas a vir tute principaliter originem trahat, vt conſtat ex his, quæ diximus ſupra in alijs articulis. Tertia denique ratione talis homo non ſolum eſt nobilis, verum etiam dicitur eſſe in altiori gradu nobilitatis, cũ virtus heroica nil aliud ſit, niſi culmen virtutum moralium, vt copioſè nos docet Franc. Piccol. in d. ſuo tract. grad. 6. cap. 3. cum plur. ſeq.

QVÆSTIO VIIII.

De præcedentia hominis ratione profeſsionis, & artiũ.

Art. 21.

CVm præcipua cauſa veræ nobilitatis, ac etiã dignitatis ſint ſciẽtiæ, artes, & profeſsiones nobiles, vt ſatis clarè conſtat ex his quæ diximus ſupra in alijs quæſtionibus. Hinc eſt, quòd poſt quæſtiones, vt ſupra examinatas de prædict. dignitate, & nobilitate proprio iure, ſequitur nũc, vt aliquid videamus de ſcientijs, & artib⁹, quæ in iure profeſsiones nominantur, iux ta rubr. de profeſs. C. lib. 10. & 12. His accedit, quòd doct. varijs in locis pertractant de præcedentia tam pro feſsionum, quam profeſsorum ſcientiarum, & artium, vt diximus ſupra & clarius infra ſumus dicturi. Qua de re poſt quæſtiones præcedentes congruo ordine conuenit modo, vt de re propoſita pertractemus, ideò videndum eſt.

1 Quid ſit profeſsio, & quomodo hic acipiatur.
2 Quotuplex ſit.
3 Quid ſit habitus virtutum.
4 Quotuplex ſit
5 An habitus virtutum ſit nobilitas.
6 Quomodo ſcientiæ diuidantur
7 An ſcientia vna ſit nobilior altera.

8 An

8 An ſcientia contẽplatiua ſit nobilior practica.
9 An ſcientia actiua ſit nobilior factiua.
10 An ſcientia actiua ciuilis ſit nobilior militari.
11 An ſcientia medicinæ ſit contẽplatiua, actiua, vel factiua.
12 An actus vnius ſcientiæ ſit nobilior altero alterius.
13 An inter artes vna ſit nobilior altera.
14 An ſcientiæ, profeſsiones, & habitus, de quibus ſupra admittãt magis, & minus.
15 An prædictæ omnes profeſsiones producere valeant nobilitatem.
16 Quid iuris ſi de aliqua profeſsione dubitetur an ſit ſcientia, vel ars.
17 Ex quo capite, ſeu via cognoſci poſsit nobilitas prædictorum habituum.
18 Præſupoſito actus cuiuſlibet profeſsionis eſſe plures, ac diuerſos, qui nam ex eis ſit dignior.
19 An nobilitas producta a prædict. habitibus, vel altero eorum, ſit maior qualibet alia nobilitate, & dignitate.
20 Quæ nã ſit differentia inter profeſsionem, & profeſsorem in præcedendo.
21 An profeſsori competat præcedentia, ſi non exerceat.

Quid ſit profeſsio, & quomodo hic accipiatur. *Art. 1.*

PRofeſsionis vocabulum varia habere ſignificata nemini videtur dubiũ, vt cæteris omiſsis videri poteſt apud Albericum in ſuo dictiõn. in verb. profeſsio, vbi inter alia docet, quòd profeſsio eſt ad interrogata reſponſio. Hinc eſt, quòd religioſi reſpondendo dicunt, & promittunt ſeruire Deo in illa religione, quam ſunt ingreſsi, & propterea dicuntur in ea profeſsionem feciſſe, atq; eiuſdem profeſsi. Cæterum ponderando totum tit. C. lib. 10. & 12. de profeſſ. atq; ſtudendo breuitati, & vtilitati per profeſsionem in propoſito, de quo agimus, nil aliud videtur eſſe intelligendum, niſi aliquam ſcientiam, ſeu artem, vel aliam ſimilem facultatem, quam quis profitetur, vt exẽpli gratiã, Legiſta profitetur artem ciuilem, Philoſophus philoſophiam, Medicus medicinam, Mercator mercaturam, & ita de reliquis. Vnde ſi profeſſio eſſet hic deſcribenda, puto animaduertendum ſub duplici reſpectu illam deſcribi debere. Primo in genere, & ſimpliciter: ſecundo in ſpecie, & ſub certo, & ſpecifico eius ſignificato. Primo modo omnibus cõſideratis placet illam ita deſcribere, vt ſit certus alicuius perſonæ viuendi modus. Hinc eſt, quòd qui profitetur vitam matrimonialem dicitur habere certum viuendi modum, & propterea matrimonium in vtroque iure ita definitur, vt contineat indiuiduam vitæ conſuetudinẽ. §. 1. inſtit. de patr. poteſ. §. 1. inſtit. cano. de ſacra. matrim. Ex qua definitione infertur, quod ſicut quilibet habet certã vitæ conſuetudinem; ita etiã profitetur certum viuendi modum. Atque hac de cauſa religioſi, vel alij dicuntur talem, vel talem ſtatum profiteri.

At

At secundo modò professio inter alia denotat talem artem, seu scientiã, & sub hoc respectu, accipitur vt diximus, in dd. tit. C. Vnde professores in materia, de qua agimus, sunt, & dicuntur illi, qui profitentur aliquã artem, seu scientiam a qua etiam denominationem recipiũt. Qua de re professio, quoad institutum nostrum pertinet, ita describi potest, vt sit habitus alicuius scientiæ, seu artis. Professores verò sunt illi, qui in tali arte reperiuntur periti.

Quotuplex sit professio. Art. 2.

EX his, quæ diximus in præcedenti articulo videtur inferendum, quod sicut professio denotat certum modũ viuẽdi; ita et vr̃ denotare certũ hominis statũ. De quo, quãuis multa dixerimus supra iuxta institutum propositum. q. 6. puto tamẽ vlterius quædam alia hic obseruare, quæ non tantum faciunt ad intelligentiam propositi articuli, verum etiam eorum, de quibus supra. Vnde vt methodicè intelligamus solutionem istius articuli debemus imprimis præsuponere professionem esse multiplicem, sicuti multiplex est hominis viuendi modus, atq; status. Quod quidem præsupositum, cum nemini videatur negocium facere, ideò vlterius distinguendo dicimus, quòd homo consideratur, aliquando ratione propriæ personæ, & hic sicut vnus est nobilis, alius ignobilis, & plebeius, iuxt. tex. in d. §. plebs autem; ita quoque vnus profitetur vitam nobilem, secus alter. Secundo consideratur ratione rei, cui dat operam. Hinc est quòd quidã adeò otiosè viuunt, vt solum Veneri, & Baccho incumbant, atque deambulando, vt plurimum de alijs male dicunt, non videntes proprias imperfectiones, & festucas in oculo aliorũ inspicientes. Et propterea istorũ professio, videtur potius infamis, quam laudabilis. Quidam verò dant operã alicui Arti, seu exercitio, vel sciẽtiæ. Vnde sicut huiusmodi Artes, atque professiones sunt diuersæ, cum quædam dicantur liberales, quædam Mechanicæ, vt infra dicemus, ita quoq; istorum professio est multiplex, atq; diuersa, quam non conuenit hic distinguere, cum de ea infra oporteat distinctionem adnotare. Tertio consideratur homo ratione finis, & propterea videmus quosdã seruire Deo, vt sunt religiosi, & clerici, de quibus diximus supra. Quosdam vero seruire Reipub. ducendo vxorem, vel sine ea consulendo, seu aliquid aliud pro bono publico gerẽdo. Hinc est quòd Theologi dicunt matrimonium esse necessarium in vniuersali, & voluntarium in particulari. Quosdam autem seruire sibi ipsi, vt sunt solitarij, qui non alijs rebus nauant operam, nisi proprijs commodis. Quosdam denique seruire coniunctim, & mixtim amplectendo diuersos fines, vt sunt collegiati in aliquo collegio, & descripti in aliqua vniuersitate temporali, spirituali, seu mixta, vt sunt confraternitates laicorum. In huiusmodi enim vniuersitatibus ex institutione illius tenentur descripti in ea seruire sibi ad inuicem. Quarto consideratur iterum homo ratione modi viuẽdi & sic quidam ducunt vitam com-

munem, quidam verò priuatam, vt constat ex iam dictis Sicut enim modus iste viuendi est multiplex, atque diuersus, ita etiam hoc idem est dicendum de professione atque professorib⁹. Quinto cõsideratŭ homo rõne tẽporis, & sic similiter diuersimodè diuiditur, vt nouissimè docet Mand. in suo vtili tract. de ætat. mino. per tot. Vnde dicebat D. Paulus, dum eram puer, loquebar, vt puer, dum iuuenis vt iuuenis, dum senex, vt senex.

Hinc est, quòd homo in comparatione ad Remp. diuiditur a nonnullis in iuuenem, & senem, vt memini me legisse apud Ioa. Bapt. Montan. Phisicum excell. Et ratio est, quia sicut Resp. indiget consilio, & viribus, ita etiã indiget senibus pro consilio, & iuuenibus pro uiribus. Sexto consideratur idem homo ratione loci, atque sub hoc respectu quidam profitētur vitam rusticam operam dando agriculturæ; quidam verò vitam ciuilem, incumbendo alijs artibus ad bonum commune Reip. pertinentibus Hinc videmus ciuitatem distingui, in communi tamen, in ciues, & rusticos. Septimo consideratur homo ratione medij, quo vitam ducit. Hinc videmus quosdam dolosè viuere, & continuò operã nauare qua via possint alios decipere. Quosdam verò quadã simplicitate se ipsos gubernare, de quibus posset verificari dictum Euangelij, Estote simplices, sicut Columbæ &c Est tamen animaduertendum simplicitatem vnam dari, quæ fatuitati æquiperatur, de qua in præsenti nõ intendimus. Ex quibus omnibus habemus hominum professiones esse tot, & tales, quales ex deductis inferuntur. Quæ in compendium ita reduci possent, vt professio vna sit nobilis, altera ignobilis: vna sit ociosa, altera verò operosa: vna religiosa, altera secularis: vna publica altera priuata: vna cõiugalis, altera soluta: vna solitaria, altera socialis, seu mixta: vna iuuenilis, altera senilis, seu alteri⁹ ætatis: vna rustica, altera ciuilis: vna denique dolosa, altera simplex. Et ita per hæc habemus solutionem istius articuli illiusque intelligentiam. Hæc omnia sunt adnotata ad maiorem cognitionem præcedentiæ, de qua agimus, siquidē sicut professio est multiplex; ita etiam illius species, earũq; professores ita ad inuicem se vidētur habere, vt vna sit maior altera, & successiuè vna alteri præcedere debeat. Vnde quæreret aliquis an hoc sit verum, quòd vna professio sit maior altera, quæ nam earum habeat talem præheminentiam, & qua via illa cognosci valeat. Quoad primum solutio videtur clara, cum clarè constet ex deductis supra ac etiam ex infra dicendis quòd diuersa ratione professio vna sit maior altera. Quoad secundum & tertium puto dicendũ, quod sicut hæc professionum distinctio fuit desumpta a rerum circumstantijs, vt diximus; ita etiam ab eisdem medijs habeatur, quæ nam professio sit maior, & qua via illa cognoscatur Quantum tamen facit ad propositum institutum, cum partim dictũ sit supra in diuersis quæst. & articulis, partim verò dicemus infra in hac quæstione et seq. ideò nõ videtur necessariũ hic vlterius procedere.

Quid

Quid sit habitus virtutum. *Art. 3.*

AD mentem omnium scribentiũ obseruo habitum reduci ad speciem qualitatis, quæ dicitur habitus, & dispositio. Et propterea a nonnullis describitur, vt sit qualitas acquisita, & difficile mobilis. Quidam verò alij, vt docet Iohan. Astainc in suo lexic. Theolog. in verb. habitus, dicunt quòd habitus est quædam animi qualitas acquisita ex frequentatis actib⁹, vel ex vno multum vehementi, quo anima facillimè disponit ad aliquid faciendum. Hæ descriptiones an possint reprehendi, vel approbari nõ vr̃ pertinere ad propositum institutum. Et propterea vlterius procedẽdo D. Thom. omnino videndus in suo lib. de qq. disputa. de virtute in communi q. 1. ar. 1. disputat ad partes, in quo inter alia legimus in solutione ad art. in fi. quòd ad tria indigemus habitu virtutum. Primo, vt operationes sint vniformes. Secundo, vt eædem operationes in promptu habeantur. Tertio, vt illæ delectabiliter complecantur. Primum requisitum videtur necessarium, quia vbi non adest habitus, sed solum dispositio, vel neuter operatio est difformis, & imperfecta. Secundum, ideo requiritur, quoniam sine habitu potentia difficillimè inclinatur ad agendum. Tertium, quia vbi nõ adest delectatio, vel operatio non producitur, aut imperfecta inde oritur. Hinc habemus communem doctrinam, quòd delectatio perficit opus. Ex his omnibus infertur talis descriptio, quòd virtutes sint habit⁹, quibus vniformiter facilè, ac delectabiliter cum volumus, operamur. Hæc volui adnotare, quia sicut virtutes sunt huiusmodi habitus, ita quoque per oppositum habitus virtutum possunt meo iudicio ita describi, vt sint quędam qualitates difficilè mobiles, quibus eis ornatus potest ad libitum suum vniformiter facillimè, atq; delectabiliter operari. Et sic habemus, vt puto, solutionem ad articulum. Ex qua inferri potest tantam esse differentiam inter doctores, & doctorellos, quanta est inter habitũ, & dispositionem. Hinc est, quòd tex. in distinct. vigesima in prin. quando dixit in decidendis causis neceassriam esse scientiam, & potestatem, per scientiam intelligere debemus habitum illius iuxta definitionem, vt supra traditam. Hinc est etiam, quòd quæstio de præcedentia, de qua agimus, non datur inter habitum, & dispositionem, inter habituatum, & dispositum, cum notoriè constet habitũ esse qualitatem altiorem, & perfectiorẽ ipsa dispositione, sed solùm datur inter habitum, & habitum, inter dispositionem, & dispositionem & successiue inter habituatum, & habituatum, inter dispositum, & dispositũ, vt clarius ex infra dicẽdis apparebit. Causa autem illa videtur esse, quia de facto contingit vnum esse magis habituatum altero magis dispositum altero, & successiuè maior, atq; præcedere debeat. Et ita per hæc habemus quid sit habitus virtutum quoad institutum propositum.

Quotuplex sit habitus virtutum. Art. 4.

VT primo videamus quid alij nos doceant Arist. lib. 6. Ethic. docet habitum alium dici intellectum, alium sapientiam, alium scientiam, alium prudentiam, & alium artem. Causa istius distinctionis desumi potest ex doctrina Iauelli super d. lib. tract. 2. c. 1. vbi legimus, quod omnis habitus intellect.^a perficit illũ quoad cognitionẽ veri. Verũ aũt aut est necessariũ, aut contingens, si cõtingẽs, aut est factibile, aut agibile. Si factibile, inde oritur Ars; quæ est recta ratio rerum factibilium. Si agibile, cũ actio remaneat in agente, inde datur prudentia, quæ nil aliud est nisi recta ratio rerum agibiliũm. At si illud verum sit necessarium aut sunt prima principia, in quibus est fundata omnis scientia, & hinc datur intellect.^a, qui nil aliud est nisi habitus primorũ principiorum, quorũ cognitio inest nobis a natura. Aut sunt principiata deducta ex prędictis principijs: Hinc habemus scientiam, quæ est effectus demonstrationis, & sapientiam, quæ versatur circa res altissimas, & alio nomine metaphisica potest nominari. Et ita ex his habemus habit.^b intellectuales esse tantum quinque, vt supra relatos, & non plures, neq; pauciores. Rursus Gabriel Biel lib. 3. sententiarum distinc. 34. q. 1. post princ. aliter distinguendo dicit, quòd habitus primo diuiditur in intellectualẽ, & moralem, atque vtrumque membrum in infusum, & acquisitum. Potest etiam diuidi opposito modo. Rursus habitus intellectualis siue acquisitus, siue infusus diuiditur in practicum, & in contemplatiuum, siue speculatiuum, qui postea subdiuiditur in Mathematicum, naturalem, & Methaphisicum, seu diuinum. Habitus verò practicus similiter non est vnicus, cum alius sit agibilis, & dicitur prudentia, alius factibilis, & dicitur Ars. Qui quidem habitus omnes adhuc diuersimodè subdistinguuntur ad distinctionem diuersorum obiectorum. Hæc Gabriel. distinctio non videtur ita satisfacere, sicut prima. In vtraque tamen aliquid desiderari potest. Prima enim distinctio, licèt sit Arist. non videtur tamen comprehendere habitum infusum, vel si comprehendit, non est omnino clarum. Hæc autem secunda non videtur cõtinere habitũ, qui dicitur intellectus. Reliqui scribentes videntur conuenire partim cum Arist. partim cum Gabriel. ob prædictum habitum infusũ, vnde postquã vidimus quid alij nos doceant, conuenit vlterius adnotare an ad prædicta possit aliquid addi pro maiori cognitione istius articuli. Obseruo igitur apud logicos super lib. Aristo. prædicam. cap. de qualit. quòd cum prima species qualitatis sit habitus, & dispositio, respicit propterea secũdum eos tam ea, quæ sunt animi, quam ea, quæ sunt corporis, & sic habitus reperitur intellectualis, & corporalis. Quilibet autem postea subdiuiditur, vt de se videtur notum, et apud eosdem habetur, & propterea distinctiones, vt supra relatæ videntur datæ de primo, & non de secundo habitu. Vnde ad plenam cognitionem subdiuisionum prædictorum habituum multa essent dicen-

dicenda, quæ omnia, cum non videã tur pertinere ad rem propoſitã, ideò in præſẽti ſit ſatis illud addere, quòd quamuis præcedentia conſiderari valeat reſpectu cuiuſlibet habitus, & propterea quis poſset illam prætendere tam ratione animi, quam etiam ratione corporis ſecundum rationẽ formalem illius; aut iuxta præſumptionem inde deſumptam ob illam Galeni propoſitionem, quòd animi mores ſequantur temperaturam corporis capit. quia diuerſitatem corporum, de conceſs. præbend. Quoniam tamen in hac quæſtione intendimus agere de habitu potius reſpectu animi, quam corporis, atque de eo etiã infra ſumus dicturi, ideò non videtur aliud neceſſarium de prædictis diſtinctionibus, eoque minus quo habitus corporis conſiderari debet in materia propoſita eo reſpectu, quo mediante corporis diſpoſitione actualis animi operatio erit magis perfecta, vt infra ſuis locis dicemus. Et propterea ſint iſta ſatis pro ſolutione iſtius articuli.

An habitus virtutum ſit nobilitas, & quomodo. Art. 5.

QVoniam ſupra ſæpè diximus ad mentem Tiraq. in d. ſuo tract. de nobilitate, nobilitatem produci inter alias cauſas etiam a ſcientiis, & artibus, ideo inde inferri poteſt ſolutio ad præſentem articulum, quòd videlicet habitus virtutum ſit nobilitas, aut cauſa eius. In contrarium tamen facit talis ratio, quòd ſi habitus ille eſſet nobilitas, vel illius cauſa, ſequeretur hanc concluſionem de quolibet habitu verificari, & ſic qualibet ars produceret præcedentiam, quod repugnat rationi, cum artes quædam contrarientur nobilitati l. nobiliores, C. de commerc. & mercato. Vnde videtur de iure concludendum non omnes, ſed certos habitus nobilitatem cauſare. Hoc idem poſſet confirmari per doctrinam Tiraqu. in d. tract. c. 27. præſertim in prin. vbi legimus nobiles exercẽtes artes vtiles priuari nobilitate; aliter enim non daretur diſtinctio inter artes nobiles, & mechanicas, quod non eſt dicendum. Pro ſolutione puto animaduertendum vnà cum Tiraq. lo. cit. nu. 7. & ſequen. quòd exercere artem vilẽ ſtat dupliciter, primo per ſe ipſum & ſecundo per alios, & ſic eius miniſtros. Hoc præmiſſo ars vilis derogat nobilitati, quando nobilis, vel quilibet alius exercet illam per ſe ipſum, ſecus verò ſi per alium. Idque videtur ſentire Concilium in clem. 1. de vit. & honeſt. cleric. in princip. ponderando verb. publicè, & perſonaliter. Rurſus ſicut clericus poteſt exercere iuriſdictionem ſecularẽ per alios. c. fi. ne cler. ſe immiſc. negoci. ſecul. in 6. Ita etiam hoc idem videt dicendum in caſu, de quo agimus, Alciat. in ſuo tract. de præſumptio. reg. 1. præſumpt. 48. nu. 10. Quæ autẽ ſint artes viles non oportet hic adnotare, cum illæ habeantur in l. 1. & 2. C. de excuſat. artif. lib. 10. & ibi Lucas de Pinna. Hæc ſolutio ex eo videtur ſequenda, quia in nonnullis ciuitatibus hac fortaſſe de cauſa multi reputantur nobiles, & nihilominus certas exercent artes. Cæterum ad cognoſcendum de huiuſmodi artib-

art,

an, & quando derogent nobilitati, poteſt fortaſſe adnotari hæc alia diſtinctio, ut in eis conſideretur non tantum qualitas earum, verum etiam excellentia, vel quaſi. Vnde cum ſola excellentia videatur homini tribuere quandam maioritatem ſuper alios, ideo ſub hoc reſpectu obiectio videtur ſoluta, atq; ſuſtineri poteſt nobilitatem cauſari etiam ab huiuſmodi artibus. Excellentia enim cuiuſlibet rei apud homines ſemper fuit tantæ virtutis iudicata, ut meritò quidem præheminentiã illam habẽti tribuat. Vel dicas vltimo artem cauſare, uel non cauſare nobilitatẽ adhuc ita conſiderari poteſt, videlicet aut ſecundũ propriam illius naturam, & qualitatem, & ſic non eſt a ratione alienum, vt artes quædam derogent nobilitati, ut eſt ars coquinaria, uel alia ſimilis. Aut uigore conſuetudinis, cuius uirtus eſt maxima, & propterea in quibuſdam ciuitatibus videmus obſeruari etiam nobiles eſſe mercatores, & nobilitati non derogare. In quibuſdam verò alijs totum oppoſitum contingit, quarum conſuetudo eſt potius damnanda, quam laudanda, ſiquidem huiuſmodi homines nobilitatem prætendentes nõ ſolum putant derogari nobilitati, ſi alicui exercitio operam darent, verum etiam, quod peius eſt, ocio, & laſciuiæ ſtudent. Et propterea ſi eorum vita ſit de iure conſideranda potius ignobiles quam aliter ſunt reputandi. Atque hac de cauſa ita occurrentibus caſibus velint, nolint coguntur cedere viris virtute ornatis; & in rerum cognitione benemeritis. Vnde ſub hoc reſpectu poſſet limitari text. in capitu. de multa, in fi. de preben.

Scientia in communi accepta, an diuidatur, & quomodo.
Art. 6,

CVm ſcientia largè accepta comprehendat non tantum omnes rerum cognitiones, verum etiam omnes artes, & propterea vulgus quoq; tenet mechanicos artifices eſſe in ſua arte adeò doctos atque peritos, vt de ea dicantur ſcientiam habere idque ea ratione, quia dicit Ariſtò. lib. poſt. primo in princ. quòd ſcire eſt rẽ per cauſam cognoſcere, atque huiuſmodi artifices, cum cauſam reddant, de pertinentibus ad eorum artem, videntur propterea in illa ſcientes, & ſapientes. Hinc eſt, quòd vna diuiſione ita diuiditur, vt artes quædam ſint liberales, quædam Mecanicæ. De liberalibus, copiosè pertractat Caſſan. in d. ſuo tract. Catal. glor. Mundi par. 10. per tot. De Mechanicis verò idem author in eod. tracta. part. 11. Ad quem ſemper eſſet recurrendũ. Quæ quidem diuiſio non videtur vndique ſatisfacere. Atque hac fortaſſe de cauſa idem author in d. parte 10. conſideratione 9. verſ. & aduertendũ eſt. Docet vlterius, quòd Philoſophia vniuerſalis diuiditur in ſpeculatiuã, ſeu theoricam, & practicam Theorica ſubdiuiditur in realem, & rationalem. Realis iterum in metaphiſicam diuinitus inſpiratam, & humanitus acquiſitam. In Mathematicam, quæ ſimiliter ſubdiuiditur, & in Phiſicam. Practica verò alia dicitur actiua, alia factiua. Sub qua reperiuntur artes Metha-

Mechanicæ. Hæc diuiſio videtur ſimiliter diminuta, & propterea alij aliter eam diuidunt, videlicet in moralem, naturalem, & rationalem, vt refert idem author ibidem verſ. ſecundum aliquos. Angelus Politianus vir doctiſsimus in quodam ſuo opuſculo; Panepiſthemon nominatus; longo diſcurſu diuidit omnes Artes, & ſcientias, cuius principium eſt tria genera doctrinarũ reperiri inter homines. Primum dicitur inſpiratum, vt eſt Theologia: ſecundum inuentũ, vt eſt Philoſophia mater artium. Tertium denique eſt mixtum, vt eſt diuinatio. Quodlibet poſtea genus ſubdiuiditur, & ſic totum prædictum opuſculum perficitur. Chriſtophorus Rauellus in tract. de Logica, tractat. de præcog. c. 5. per totum, docet eandẽ diſtinctionem, vt ſupra relatam ad mentem Caſſan Qua de re habemus ad mentem aliorum ſcientiam in cõmuni acceptam diuidi, & quomodo diuidatur. Quæ diſtinctiones, cum videantur admodum generales, atque iuxta propoſitum inſtitutum conueniat deſcendere ad quæda ſpecialia. Hinc eſt, quòd expediens nunc videtur eſſe adnotare quid meo iudicio ſit tenendum. Et cum nemini ſit dubium ſcientias, & artes in diuerſas diuidi ſpecies, ideò hoc præmiſſo quo ad diuiſionem eorum attinet imprimis non eſt ignorandum, quòd ſicut ſcientiæ diuerſimodè conſiderãtur; ita etiam diuerſimodè diuiduntur, atque hac de cauſa in quodam meo cõpendio introductorio Iuris ciuilis in præfatione illius adnotaui vnã ſcientiarum cathenam, qua demonſtraui vnionem inter vtrumque ius, & alias ſcientias. In præſenti autem altius rẽ propoſitam repetendo, puto animaduertendum, quòd ſcientia in communi accepta primo conſiderari poteſt ſecũdum propriam eius naturam, & ſic vna dicitur, & eſt eſſentialis, quæ eſt ipſemet Deus tantũ. Si enim ſcientia Dei non eſſet ipſe met Deus, daretur in eo aliqua compoſitio, quod non eſt dicendum, vt communiter nos docent Theologi, & Philoſophi. Altera verò dicitur infuſa, quæ reperitur in Angelis, & homine; hinc eſt, quòd in angelis datur cognitio matutina, & veſpertina: In homine autem reperitur alia infuſa diabolica reuelatione, quæ poteſt ſubdiuidi in ſcientificam, diuinatoriam tranſmutatiuam. Sciẽtifica rurſus videtur vnica, niſi ſubdiuidatur ratione obiecti, ſeu ſubiecti. Diuinatoria verò eſt multiplex, & diuerſa, ſicut ſunt diuerſi modi diuinandi, hinc inuenta fuit Geomantia, piromantia, nomantia, Magia, & ſimil. Tranſmutatoria denique fit per incantationes, ſtrygia, & ſimil. Et cum huiuſmodi ſcientiæ, ſeu facultates, ſeu artes ſint prohibitæ, ex quo veniunt a dæmone, ideò ſit ſatis id tantum adnotaſſe. Alia verò reperitur in homine infuſa diuina reuelatione, quæ communi vocabulo ſacra theologia nominatur, & hæc ita ſubdiuiditur, vt vna ſit ſcholaſtica, alia ſcripturalis. Conſiderando tamen modum dicendi. Item vna contemplatiua, alia verò practica, & moralis. Tertia denique prædictæ ſcientiæ ſpecies dicitur acquiſita, quæ ita ſubdiuiditur, vt vna ſit realis, alia rationalis, tertia notionalis. Realis rurſus alia contemplatiua, alia practica.

Con-

Contemplatiua iterum alia naturalis, & dicitur Phisica, alia mathematica, & alia supernaturalis, quæ nominatur metaphisica. Practica autem alia actiua, alia factiua. Actiua rursus alia communis, alia particularis, hinc datur Ethica, Politica, & Economica. Ex quibus postea ortum habet vtrumque ius ciuile videlicet, & canonicum. Factiua verò cõmuni vocabulo dicit̃ Ars, quę diuersimodè subdiuiditur, vt infra suis locis dicemus. Rationalis autem scientia cum versetur circa sermonem, ideo consideratur aut ratione congruentiæ, & dicitur Grammatica, aut ratione suasionis, & vocatur Rhethorica. Aut ratione probabilitatis, & probationis, & nominatur Dialectica. Aut denique ratione delectationis, & hinc habetur Poesia. Scientia deniq; notionalis, aut est cognitio rei veræ loci, personæ, vel temporis, & commu ni vocabulo dicitur Historia. Aut rei fictæ, & nominatur fabula. Ex quib⁹ omnibus debemus concludere, quod si scientia prædicta consideretur secundum propriam eius naturam modo quo supra, videtur diuidenda, & subdiuidenda. Secundo considerari potest eadem scientia ratione finis, & sic sicut illius finis est scire, agere, & facere; ita quoq; scientia una dicitur contemplatiua, altera actiua: tertia deniq; factiua. Prima cummuni vocabulo nominat̃ Philosophia Mathematica, & Metaphisica: secunda Philosophia moralis: tertia artes omnes. Quælibet autem earum subdiuiditur etiam ex parte finis. Siquidem sicut scire potest ordinari ad diuersum finem; ita etiam scientia contemplatiua eodem modo subdiuidi debet. Et propterea ex hoc capite diximus illam nominari prædictis nominibus, & sic esse triplicem. Quibus adde, quod sub Metaphisica comprehendi debet etiã Theologia. Hoc idem dicimus de sciẽtia morali, quæ sicut reperitur ordinata ad hominem in se; ad familiam &, ad Rempub. & propterea dicitur Ethica, Aeconomica, & Politica; ita ètiam ex parte finis subdiuitur. Artes autem omnes simili modo subdiuidũtur, cum quædam sint inuentæ ad necessitatem, vt Agricultura: quædam ad vtilitatem, vt ars ædificatoria: quædam ad ornatum, vt Pictura: quædam denique ad voluptatem, vt ars Coquinaria. Tertio potest considerari scientia ex parte causæ efficientis, quæ sicut triplex reperitur, videlicet Deus, natura, & homo; ita etiam triplex illa videtur constituenda. Vna enim communi vocabulo potest nominari diuina, altera naturalis, tertia humana. Et ratio est, quia vna habetur a Deo, vel ab Angelis eius. Altera a natura, & propterea primi philosophantes propter admirationem incæperunt Philosophari. Tertia deniq; ab ipso met homine, vt sunt artes omnes. Hinc habemus illam vulgarem propositionem, quòd ars imitatur *naturam*, quæ approbatur etiam a Iurisconsultis. §. minorẽ, instit. de adopt. quarto consideratur eadem scientia ex parte subiecti, & obiecti. Ad hoc autem clarius intelligẽdum debemus præsuponere secundum logicos quadruplex esse subiectum, videlicet in quo, de quo, ex quo, & circa quod. Subiectum in quo, licèt in communi

sit

sit anima nostrà, in qua omnis cognitio residet, in particulari tamen ita diuiditur, quòd eius potentia vna sit sensitiua, alia intellectiua. Rursus sensitiua alia dicitur appetitiua, alia verò cognitiua. Hinc nota, quòd quoad cognitionem attinet, vna reperitur, quæ notionalis dicitur. Quoad appetitiuam verò dantur virtutes morales, quibus appetitus moderatur, vt est continentia. Potentia autem intellectiua, sicut diuiditur in partem volẽtem, quæ dicitur voluntas, & in partem intelligentem, & vocatur intellectus: ita etiã quoad primam datur virtus iustitiæ; quoad secundam verò datur certa cognitio intellectiua, & propterea sicut intellectus diuiditur in intellectum contemplatiuum, practicum, & adeptum; ita etiam eodem modo diuiditur scientia. At considerando subiectum de quo, & ex quo inde non datur aliqua cognitio, cum vnum sit solum pars alicuius propositionis; alterũ verò sit id, ex quo aliquid componitur. Subiectum deniq; circa quod, vt clarius intelligatur est animaduertendum, quod consideratur materialiter, & formaliter. Primo modo vna, & eadem res potest considerari, & cõsideratur in diuersis sciẽtijs, & artibus, vt exempli gratia, homo materialiter acceptus, considera tur in Philosophia naturali, morali, supernaturali, & in nonnullis artib⁹: secus autem est dicendum si secunda ratione consideratus fuerit. Vnde in præsenti non materialiter, sed formaliter illud accipitur, & propterea alio nomine obiectum nominatur. Hoc præmisso dicimus, quòd tale subiectum aut est in intellectu, aut extra. Primo modo dicitur ens rationis, atque inde habentur scientiæ omnes rationales, quæ postea subdiuidũtur ad diuisionem illius, vt diximus supra, & breuitatis gratia hic aliter non repetam. At secundo respectu dicitur ens reale, & sic aut consideratur ratione qua est naturalis, & hinc datur Philosophia naturalis: aut ratione qua est supranaturalis, & datur Metaphisica. Aut ratione qua est quantum, hinc dantur scientiæ mathematicæ, aut ratione qua est agibile, & datur Philosophia moralis. Aut denique ratione qua est factibile, & dantur artes omnes Quæ quidem obiecta sicut diuersimodè subdiuidũtur; ita etiam ad diuisionem eorũ subdiuiduntur scientiæ, & artes prædictæ. Nimis enim longus esset discursus descendere ad species specialissimas cuiuslibet membri. Vnde vlteri⁹ procedendo quinto considerari põt eadem scientia ex parte modi, & sic non video quomodo scientia prædicta diuidi valeat, nisi dicamus vnam esse infusam, aliam verò industria acquisitam, de qua distinctione cum supra sit dictum quod erat animaduersione dignum iuxta finem propositũ, ideò non oportet hic aliud animaduertere. Non est tamen omittendum, quòd Philosophia moralis non solũ subdiuiditur modo, quo supra, verũ etiam per modum vniuersalem, & particularem. Hinc est, quòd homo ratione suarum operationum consideratur tã in Ethica, Economica, et Politica, quam etiam in iure ciuili, et Canonico. Vnde differentia solũ cõsistit in d. modo vniuersali, & particulari. Hinc est inferendum ius ciuile

esse subalternatum prædictæ Philosophiæ. Hæc omnia ideò erant, vt supra animaduertenda, quia sicut scientia in communi accepta diuiditur diuersimodè iuxta capita, vt supra relata; ita etiam ex eisdem medijs cognosci potest, An, & quæ scientia sit maior altera, & successiuè præcedere debeat, vt infra postea clarius dicemus.

An scientia vna sit nobilior altera, & quomodo. Art. 7.

ARist. primo de anima in principio & ibi D. Thomas, Themistius, & alij communiter, volentes demonstrare excellentiam scientiæ de anima, docent prius illam esse bonã, & honorabilem, vnde ad eorum imitationem in præsenti conuenit primo adnotare, quòd quãuis quælibet scientia sit bona ea ratione qua perficit hominem cum bonum nil aliud sit nisi id, secundum quod aliquid habet esse perfectum, & propterea Philosophus primo Ethicorum in principio adnotat, quòd bonum omnia appetunt, & Iurisconsultus in l. bonorum apposito. ff. de verb. signifi. docet beare esse prodesse. Nihilominus non sequitur quamlibet scientiã esse honorabilem. Sicut enim inter bona quædam sunt honorabilia, quædã verò laudabilia; ita etiam hoc idem affirmamus de scientijs omnibus. Honorabile enim est propter se, laudabile verò propter aliud, vt in d. 1. lib. de anima docent scribentes, & nos diximus supra q. 1. art. 3. Hinc est, quòd scientia contemplatiua est honorabilis propriè, & simpliciter, cũ sit propter se; scientia verò practica est propriè laudabilis, cũ sit propter aliud, nempè propter opus, impropriè verò, & secundum quid honorabilis. Contra prædictum vnum videtur admodum obstare, quòd cũ scientia detur etiam de malo, vt passim admittunt Philosophi, si doctrina, vt supra relata esset vera sequeretur scientiam de malo esse honorabilẽ, seu laudabilem, quod uidetur implicare contradictionem. Cui obiectioni puto posse responderi aliud esse scientiam, & aliud eius obiectum, quod licèt sit malum, non propterea sequitur etiam sciẽtiam esse malam, & ratio est, quia scientia est quidam habitus, & sic species qualitatis; vnde sicut habet rationem perficiendi intellectum, ita etiam sub hoc respectu uidetur bona: ac malum, ratione qua malum, opposito modo se habet. His accedit, quòd tenemur scire mala, vt illa euitemus; tenemur autem scire bona, vt ea faciamus. His præmissis dicimus nunc ad articulũ negatiuè esse respondendum. Siquidẽ sicut effectus cuiuslibet scientiæ videtur esse vt homo inde perficiatur, & sic est vnius; ita quoque vna, & eadem videtur esse eius dignitas, seu nobilitas, & propterea scientia vna non videtur maior altera. In contrarium est ponenda conclusio pro solutione articuli secundum communẽ doctrinam Philosophorum in d. principio libri de anima. Quæ quidem iuris conclusio demonstratur vera, primo per ea, quæ diximus supra in præmissis. Siquidem cum vna scientia sit honorabilis, altera verò laudabilis,

bilis,atq; honorabilis sit dignior,iuxta ea,quæ diximus supra,sequitur inde conclusionem esse de indubitabili. Secundo docet idem Philosophus ibidem, & ibi eius commentatores communiter vnam scientiam esse nobiliorem altera, aliquando ratione subiecti,quod est nobilius: aliquando ratione certitudinis, quia vna est magis certa,quàm altera. Potest etiã addi & aliquando ratione vtriusque. Vnde cum vna scientia habeat subiectum nobilius, vel sit certior altera; vt apparebit ex infra dicendis, ideò idem quod supra est de iure tenẽdũ. Qua de re cum a tali solutione nõ sit recedendum, dicimus ad obiectum illum non obstare,siquidem admittimus effectum scientiæ esse vnum in genere, sicut etiam ipsa dicitur vna, si eodem modo fuerit considerata. At si illius species,illarumq; naturã velimus inspicere, sub tali respectu conclusio prædicta videtur verificanda,cum non sit a ratione alienũ speciem vnam ipsius scientiæ esse maiorem, & altiorem altera ob prædictas rationes, vel alias,de quibus infra dicemus,& successiuè perficere hominem maiori, & nobiliori modo, & propterea sicut scientiæ in specie cõsideratæ non eodem modo,eademq; perfectione habent vim perficiendi; ita etiam in prædicto effectu modo prædicto omnino differunt.

An scientia contemplatiua sit nobilior practica. Art. 8.

ARticulus iste examinatur a D. Thoma 2.2.q.182.art.1.& ibi Caietan.omnino viden. Licet autem ad huiusmodi locum sit recurrendũ, in præsenti tamen conuenit aliquid breuiter adnotare tam pro solutione istius articuli,quàm etiam pro cognitione materiæ propositæ de præced. scientiarũ. Vnde disputatione omissa dicimus imprimis,quòd D.Thom. lo. cita. docet vitam contemplatiuã simpliciter meliorem esse practicã. Primo,quia conuenit homini secundum id,quod in eo est melius, nempe secundum intellectum,& rem intelligibilẽ,& sic videtur magis vnita. Secundo, quoniam maiorem continet delectationem, & propterea videtur sibi magis sufficiens. Tertio, quia est per se ipsam,& in quiete cõsistit, & sic videt magis diuina. Hinc est, quòd legimus in Euangelio Mariam optimam partem elegisse, cum illam elegerit, meritò, &c. Vita autẽ practica aliam nobilitatem non videtur habere, nisi quia in præsenti vita est omnino necessaria, & propterea merita vitæ contemplatiuæ videntur esse potiora,& ita doctrina prædicta videtur sequenda. August. de Anco. in suo tract. de potest. Eccles. q. 98. art. vlt. docet hoc idem,licèt non assignet tot rationes. Dicit tamen vlterius vitã actiuã esse contemplatiua gñatione priorẽ, administratione cõmuniorem,executione difficiliorem, & subuentione vtiliorem. In quæstione autem 109.art. 1. volens demonstrare an Medici sint honorandi vltra alios professores, docet vnam scientiam esse digniorem alia tripliciter. Primo ex parte rei consideratæ. Secundo ex parte modi considerandi. Tertio ex parte finis: applicando nũc ad casum quæstionis nostræ hanc do

ctrinam dicimus scientiam contemplatiuam esse digniorem practica. Sub primo respectu, quia res considerata in ea est necessaria inteligibilis, & vniuersalis, vel vt talis considerata. At secundo respectu idem est tenendum, quia modus considerandi res in tali scientia, est longè altior quam considerãdi res in practica, cũ primo modo homo tendat ad perfectionem intrinsecam, secundo verò ad operationem extrinsecam. Ex parte finis illud idem est dicendum, cũ homo per cõtemplationem vniatur magis Deo, & intelligẽtijs abstractis, & propterea secundum nonnullos Philosophos inde datur intellectus adeptus, & cum id non cõtingat per scientiam practicam, ideò non est recedendum a d. conclusione. Postquã vidimus quid alij nos doceant de re proposita, conuenit modo, vt breuiter videamus, quid meo iudicio sit tenendum. Vnde expedit prius animaduertere solutionẽ istius quæstionis ex duplici capite posse desumi, videlicet ex iure scripto, atque ex natura cuiuslibet professionis, aut ex consuetudine. Primo modo puto conclusionem, vt supra propositam ac etiã demonstratam esse omninò sequendam, cum stantibus argumentis, vt supra adductis non remaneat (ni fallor) dubitandi locus. Quibus addi potest quod nos docet Philosoph. lib. 1. de anima in præcedenti articulo relati, hinc est quod religiosi, qui sequuntur vitam contemplatiuam, reputantur a Theologis esse in perfectiori statu, quam alij. Melior autem ratio assignari nequit quia per huius modi statum magis vniuntur Deo.

At secundo respectu sæpè videmus oppositum, quòd videlicet scientia practica præferatur, & propterea de consuetudine in casu præcedentię inter doctores Philosophos, & Iuriscõsultos, aut præferuntur Iurisconsulti, aut saltem illi præcedunt, qui priores sunt tempore, quamuis scientia eorũ sit inferior, & propterea in practica attenditur illa vulgaris regula, qui prior in tempore &c. De qua est adnotandus tex. in c. 1. de maiorit. Hinc est, quòd in Vniuersitate Perusina prior Iuristarum præcedit priori Philosophorum, & Artistarum. Ad hoc facit etiam Bulla Greg. XIII. sub numero in ordine 86. De cuius quidem consuetudinis virtute, in casu præsertim præcedentiæ, est adnotãdus text. cum ibi adnotatis in c. cum olim de consuetudine, idque non est a ratione alienum, cum etiam leges scriptæ a consuetudine dependeant, iux. tex. in can. 3. §. leges, distinct. 4. vbi legimus leges instituuntur cum promulgantur. Confirmatur cum vsu vtentium approbantur. De qua confirmatione multa nos docet Feli. in cap. 2. vers. noua lex, de Tregu. & pa. & ita per hæc habemus quid erat dicendũ ad articulum propositum.

An scientia actiua sit nobilior factiua, & quomodo.
Art. 9.

Vtilitas istius articuli non indiget commendatione, cum per se pateat. Quotidie. n. videmus reuocari in dubium, an aliqua ars, exẽpli gratia medica, vel militaris sit nobilior facultate ciuili, & morali. Prono-

nobilitate igitur ſcientiæ factiuæ facit talis ratio, quod non ſolum perficit animum ſcienter operantis, verum etiam illius perfectio tranſit ad perficiendum aliquod opus extrinſecũ, cũ apud Philoſophos ſit clarũ ex arte remanere opus, at operatio ſciẽter agentis, cum perficiat ſolum ipſum agentem, ideò videtur minus nobiliſsimerito &c. Secundo ſi nobilitas ſit deſumenda ab effectu, & ſic ab vtilitate, ſcientiæ factiuæ videntur nobiliores, cum magis hominem perficiant. Ex quo perficiunt ipſum ſimpliciter: ſcientia verò actiua partẽ illius, ergò idẽ quod ſupra. Cõfirmatur, quia in homine tria conſiderãtur, videlicet anima, corpus, & vnio. Vnde illa profeſsio videtur maior, quæ conſeruat prædictam vnionem; Et cum id contingat per medicinã, & agriculturam, ergò iſtæ duæ artes debent præcedere. In contrarium imprimis facit communis hominũ obſeruantia, quæ tenet virtutes morales eſſe maiores artibus, & propterea videmus homines illis ornatos, vt eſt Iuriſta, & Philoſophus moralis magis honorari quolibet artifice. Confirmatur, quia ſicut homo habet tria genera bonorum videlicet fortunæ, corporis, & animi ad inuicem ſubordinata, ita quoque virtus, & ſcientia illa videtur nobilior, quæ reſpicit bonum nobilius. At quoniam bona animi ſunt ſuperiora, bona verò corporis, & fortunæ inferiora, ideò a prædicta concluſione non videtur eſſe recedendum. Pro ſolutione puto adnotandum, quod ſupra retulimus ad mentem Auguſtini de Ancona in d. ſuo tractatu q. 109. art. 2. quòd videlicet vna ſcientia ſit nobilior altera, aut ex parte rei conſideratæ, aut ex parte modi conſiderandi, aut ex parte finis. Rurſus eadem nobilitas poteſt conſiderari dupliciter, videlicet vt eſt ſubſtantialis, & vt accidẽtalis. Primo modo deſumi debet a quatuor generibus cauſarum. Secundo verò reſpectu ab ipſis accidentibus. Iterum ſcientia vna dicitur nobilior altera, primo ratione cauſæ efficientis, quam diximus ſupra artic. 6. eſſe Deum, naturam, & hominem, vnde ſicut cauſa vna de prædictis eſt nobilior altera, vt de ſe patet, ita etiã hoc idem eſt dicendum de ſcientia inde orta. Secundo idem affirmamus deſumendo nobilitatem a materia, ſiquidem, ſicut materia vnius ſcientiæ eſt nobilior altera, vt pro indubitato præſuponunt Philoſophi primo de anima; ita etiam hoc idem eſt dicendum de ſcientia. Tertio a modo conſiderandi idem eſt tenendum, cum in qualibet ſciẽtia, & profeſsione oportet abſtrahere ab hic, & nunc. Vnde ſicut vna abſtractio eſt maior altera; ita etiam vna ſcientia eſt nobilior altera. Atque hac de cauſa Metaphiſica eſt ſuprema, cum illius ſubiectum ſit abſtractum altiori modo. Quarto a fine idem affirmamus, cũ quælibet ſcientia, ars, & profeſsio tam in cõmuni, quam in particulari ſit ordinata ad certum, & determinatum finẽ. Et propterea ſicut finis vnus eſt nobilior altero; ita etiam hoc idem eſt dicendum de ſcientia. Hæc omnia applicando ad ſolutionem articuli dicimus ſcientiam actiuam eſſe nobiliorẽm factiua, quia in actiua cauſa efficiens eſt voluntas, cauſa materialis ipſum

ipſum agibile, cauſa formalis mod° regulandi actiones, cauſa denique finalis perfectio hominis intrinſeca. At prædictæ quatuor cauſæ in ſcientia factiua, cum ſint longè inferiores ideò de iure cedere debent. Cauſa enim efficiens eſt homo, ratione operationis corporalis. Cauſa materialis ſunt factibilia. Cauſa formalis eſt modus aliquid faciendi. Cauſa denique finalis eſt vt inde remaneat opus extrinſecum. Ex quibus omnibus habemus (ni fallor) quod conſiderando nobilitatem ſubſtantialem ſcientiarum, videtur de iure concludendum ſcientiam actiuam eſſe nobiliorem factiua. Hinc inferri poteſt ſcientiã legalem eſſe nobiliorem arte militari, atque Medicina. At ſi eadem nobilitas conſiderata fuerit vt eſt accidentalis, dicimus, quòd ſicut huiuſmodi accidentia poſſunt eſſe diuerſa, ita etiam hoc idem affirmamus de nobilitate ſcientiæ, vnde ſi per huiuſmodi accidens intelligamus operationem, ſequitur inde idem, quod ſupra cum operatio ſcientiæ actiuæ attribuatur animæ; factiuæ verò corpori, atque hac fortaſſe de cauſa diebus feſtiuis ſunt prohibitæ operationes ſeruiles, cum illæ ſint corporis, & nõ animi. Secundo ſi per accidens intelligamus effectum, idem puto dicendum, cum homo per ſcientiam actiuam mereatur, vel demereatur corã Deo, & hominibus, teſte Philoſopho lib. 1. Moral. ſecus per ſciẽtiam factiuam. Tertio ſi per accidens conſideretur locus, & tempus idem affirmamus, & aliquando omninò negamus, cum ob diuerſitatem locorum, & temporum potius ſcientia vna, quam altera honoratur. Atque hac de cauſa in nonnullis locis mercatores nobiles reputantur, vt infra ſuis locis dicemus. Quarto ſi per accidẽs accipiamus medium, quo talis ſcientia acquiritur, ſicut illud eſt diuerſũ; ita etiam inde oritur diuerſa iuris diſpoſitio, arg. l. vt reſponſa. C. de tranſact. Illud enim medium poteſt eſſe diuinum, humanum, & artificiale, naturale, atque diabolicum. Ex quibus omnibus videtur inferendum ſcientiam actiuam eſſe nobiliorem factiua, regulariter tamen. Quæ quidem regula videtur aliquando limitanda eiuſque limitationes, cum deſumi debeant ex prædictis, ideò non videtur neceſſarium illas ſpecialiter declarare. Hinc inferri poteſt, vt etiam ſupra tetigimus, ſolutio ad illam quæſtionem de præcedentia inter medicinam, & iuris ſcientiam. Quæ a diuerſis doctoribus copioſè, & doctè examinatur, vt nouiſsimè videri poteſt apud Caſſan. in d. ſuo Catal. glo. mun. part. 10. conſiderat. 25. & per plures paginas, ad quam me remitto. Non eſt tamen in præſenti omittendum quod licèt Medicina rõne qua eſt ars factiua ſit inferiòr, & cedere debeat iuris ſcientiæ, alio tamen reſpectu, nempe ratione qua continet partem contemplatiuam, poteſt dici, & defendi ſuperior. An autem eadem diſtinctione reſponderi valeat de arte militari in comparatione ad ius ciuile infra in proprio articulo dicemus. Vnde reliquum eſt modo reſpondere ad obiecta, ad quæ dicimus primo in communi illa poſſe verificari limitatiuè, ſecus aliter. Ad primũ autẽ reſpondetur quòd licèt ars perficiat

ficiat hominem, & opus extrinſecũ, nõ propterea tenet conſequentia illã eſſe nobiliorem, cum homo perficiatur ſcientia actiua nobiliori modo, nempe coram Deo, & hominib⁹, vt conſtat ex deductis. Hinc infertur etiam ſolutio ad alterum argumẽtum, ſiquidem artes non perficiunt hominem, niſi ratione corporis, ſcientia verò actiua perficit eundem ratione animi. Atque hac de cauſa Medicina verſatur circa corpus humanum ratione qua ſanabile; ſcientia verò actiua circa actiones hominis ratione qua ille dirigitur ad eius fœlicitatem. Ad hæc omnia accedit etiã, quòd omnis ars dupliciter conſiderari poteſt. Primo ratione Theoricę, et ſic perficit intellectum. Secundo ratione practicæ, & ſic aut perficit corpus, aut hominem ab extra iuxta finem eius. Ex qua diſtinctione habemus ſcientiam actiuã non differre a factiua reſpectu Theoricæ, ſed ſolum reſpectu practicæ, & ita inde habetur alia limitatio ad concluſionem propoſitam.

An ſcientia actiua ciuilis ſit nobilior Militari. Art. 10.

AD intelligentiam iſtius articuli debemus imprimis præmittere prudentiam inter eius diuiſiones ita etiam diuidi, vt vna ſit ciuilis, altera verò militaris D. Thom. 2.2. quæſt. 50. art. 1. 2. 4. Sicut enim per ciuilem gubernatur ciuitas, & reſpectiuè domus, ita etiam per militarem regitur exercitus, & milites, vt docet iſte doctor, & nonnulli Summiſtæ in verb. prudentia. Rurſus ſicut ius inter diuerſas eius diuiſiones, ita diuid[illegible] vt vnum ſit ciuile, quia reſpie[illegible]tatum pacis ipſius ciuitatiſ, & Reip. Aliud verò militare, quo regitur ſtatus belli, & diſcordiæ eiuſdẽ; ita etiam Iuriſprudentia definita a Vulpi. in l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iur. diuidi debet in ciuilem, & militarem, atque hac fortaſſe de cauſa in corpore vtriuſque iuris habentur diuerſæ leges, & canones ad vtranque prudentiam pertinentes. An autem ars militaris diſtinguatur a prudentia militari ſecundum aliquos meritò quidem poſſet in dubio reuocari. Cuius quidem dubij ſolutio, cum faciat ad intelligentiam iſtius articuli, ideò breuiter oportet videre quid ſit tenendũ. Licèt autem hanc difficultatẽ apud aliquem non viderim (vt ingenuè fatear) ſub prædicto tamen reſpectu, & propterea puto animaduertendũ, quòd in bellis, & caſtris poſſent conſiderari milites an ſint exempli gratia exponendi ſub aliquo periculo. Item an ſint collocandi in tali, vel tali loco ſub certa forma, & ſic (vt vno verbo dicam) qua via totus exercitus ſit ordinandus, & reſpectu certi ordinis gubernandus, tam reſpectu loci, quã ẽt rõne tẽporis, & armorũ. Quæ omnia videnẽ reſpicere pugnã offenſionẽ, vel defenſionẽ. Hæc autẽ & alia ſimilia, cum dependeant a certis præceptis exercitio corporali, atque poſtea relinquant opus extrinſecum, videtur propterea pertinere ad artem militarem. At ſi iiſdem milites cõſiderentur ratione qua delinquũt, vel inter eos oritur aliqua lis, & controuerſia diuerſa iura ad iudicẽ prætendentes hæc, & ſimilia, ſicut debẽt defi-

definiri a prudentia militari; ita etiã ars prædicta, & hæc prudentia vidē-tur inter se differre. Hinc videmus, quòd doctor iuris potest constitui, & de facto constituitur iudex exercitus, sed non Dux militum. Ratio autem illa potest esse, quia ars militaris maximè videtur differre a prudentia militari, cum illa acquirat experiētia, & nullo ferè studio, et beneficio librorum. Prudentia verò prædicta, & studio, atq; experientia comparatur. Rursus ars militaris habet diuersas inferiores artes sibi deseruientes, prædicta verò prudentia solum cum iure ciuili est coniuncta. Hinc videmus quamplurimos profiteri militiam, quoad prædictam verò prudentiam esse ignorantes: quosdã verò prudentia militari prudētes, prædicta verò arte imperitos. Quibus addi potest quosdam in vtraq; penitus ignaros, solam arrogantiam præseferentes, cum gladijs sint accincti potius, quam è contra. Qui præcedentiam prætendentes maximã possunt illius assignare causam, nempe ignorantiam, & imprudentiam: vnde eorum militia nil aliud videtur esse nisi indiscreta, & effera operatio. Ex quibus omnibus videtur concludendum artem militarem distingui a prudentia militari, quia vigore artis miles aliquid facit, eiusq; operatio transit in opus extrinsecum, iuxta proprietatē artis, de qua diximus supra. At vigore d. prudentiæ operatio remanet in eodemmet milite, iuxta naturam scientiæ actiuæ, ut supra explicatam. Hinc est; quòd datur etiã iustitia militaris, vt docet Iulius Ferrett. in suo tract. de re milit. in proprio titulo. Ex quibus omnibus inferri pōt dari aliam prudentiam, quæ architettonica debet nominari, iux. doctrinam etiam D. Thom. in d. art. 1. His præmissis deueniendo nunc ad solutionem articuli dicimus imprimis duplicem esse illius intelligentiam. Primo an prudentia ciuilis sit nobilior militari. Secundo an eadem prudētia ciuilis sit nobilior arte militari. Primo respectu istæ duæ prudentiæ videntur æquales ob illam Poetæ authoritatem. Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri. Cōfirmatur, quia Ferrett. in dicto suo tract. in prohem. nu. 9. & in rub. seu tit. de legal. milit. nu. 39. docet milites, & doctores æquiparari. Sicut enim istæ duæ prudentiæ species cōueniunt in genere prudentiæ, vt constat ex deductis; ita quoque videntur æquales, cum utraque sit recta ratio agibilium. His accedit, quod cum prudentia sit genus, vt diximus, videtur potius vniuocum, quàm æquiuocũ, vel analogum, iuxta definitionē de vniuoco datam ab Arist. in lib. de prædicam. in prima parte illius. Et propterea, cum æqualiter nomen, & definitio prudentiæ prædictis conueniat, ideo idem quod supra est dicendum. In contrarium facit illa præsertim ratio, quod sicut bellum ex propria eius natura dicitur ordinatum ad pacem, ut dicit tex. in ca. noli. §. pacē, 23. q. 1. cum ibi adnot. ita etiam prudentia militaris videtur ordinata ad prudentiam ciuilem. Pro solutione puto adnotandum non esse absurdũ, vt etiam supra sæpe diximus rē unã in comparatione ad aliam esse inferiorem, æqualem, atque superiorem,

diuersa

diuerſa tamen ratione, ac reſpectu, vnde prudentia ciuilis videtur maior militari ob rationem aſsignatam. Sicut enim cauſa finalis eſt maior quali bet alia, & propterea dicitur cauſa cauſarum; ita etiam hoc idẽ affirmari poteſt de d. prudentia ciuili, cum bellum, & pertinentia ad illud ſint ordinata ad vitam ciuilem, illiuſue quietem. Secundo eadem prudentia ciuilis videtur inferior, quia ratione qualitatis regiminis notoriè conſtat per eam gubernari homines ciuiles, & ſine armis, per militarem verò milites, atque armatos. Vnde ſicut arma reddunt homines audaciores ad faciendum quod ſibi magis placet; ita etiã ad eos regẽdos requiritur maior prudentia. Et propterea videtur concludendum prudentiam militarem eſſe maiorem. Applicando autem vtrãq; prudentiam ad hominem, maior for taſſe eſt difficultas cognoſcẽdi quid iuris de articulo propoſito, cum talis homo poſsit eſſe prudens aliquando vna, aliquando altera, & aliquando vtraque prudentia. Rurſus prudentia militaris poteſt eſſe coniuncta aliquando cum arte militari iux. declarationem, vt ſupra datam. Hæc autẽ vnio neceſſariò reperiri debet in generali Duce exercitus tam terreſtris, quam maritimi. In qua quidem difficultate articulus propoſitus videtur ſoluendus ſecundum regulas, & doctrinas, vt ſupra citatas de perſonis, in quibus concurrunt plures cauſæ præcedendi. Vnde vlterius dicimus tertio loco prædictas prudentias eſſe æquales ob rationem ſupra adductam. Atque hæc ſunt, quæ erãt animaduertẽda circa primũ caput iſtius articuli. Nunc quoad ſecundum attinet imprimis obſeruare debemus, an ars militaris ſit reducenda ad ſcientiam factiuam, vel actiuã. In qua difficultate diſputatione omiſsa, puto reſpondendũ eam reduci ad factiuã, cum iuxta illius naturam relinquatur opus poſt eius operationem, vt ſupra declarauimus. Et propterea in hoc differt a prudentia militari, vt cõſtat, quia ars iſta conſiſtit in perficiendo aliquod opus militare, vt exempli gratia, ordinare exercitum, vel partes eius: prædicta verò prudentia conſiſtit in regimine militum illis ius militare dicendo, eoſque in caſu tranſgreſsionis puniendo. Vnde hoc præmiſso dicimus ad quæſtionem artem militarem ſeiunctam a prædicta prudentia militari, ſaltem formaliter eſſe inferiorem prudentia ciuili, iuriſque ciuilis cognitione. Ratio autem præcipua illa videtur eſse, quia ſupra demonſtrauimus ſcientiam actiuam, eſse nobiliorem factiua. Et cum ars militaris ſub prædicta conſideratione ſit factiua, ideò hæc concluſio videtur vndique vera. At ſi eadem ars conſideretur, vt eſt coniuncta cum prudentia militari, tunc oppoſitũ videtur de iure dicendum, cum in caſu præcedentiæ ex hac parte concurrãt duæ cauſæ, & propterea verificatur communis doctrina, de qua in l. cum quid, ff. ſi cert. pet. in rubr. de maiori. & obed. vbi Feli. & in ca. Clerici, de iudic. Hæc autem coniunctio non datur in abſtracto ſecundum Philoſophos, cum formalitas artis militaris diſtinguatur a formalitate prudentiæ militaris. Atque formæ non permiſceantur ad inuicẽ, ſed ſolum in con

creto, nempe in homine. Ex quo sæpè reperitur aliquis Dux exercitus, qui est prudens prædicta prudentia, peritus quoque in d. arte. Hinc intelligi potest quanta debeat esse perfectio Ducis generalis exercitus terrestris, & maritimi. Hæc omnia volui adnotare non quòd putem me tenue doctrina posse aliquid adducere ad multa, quæ doctè a diuersis explicantur in materia de re militari, & præcipue de quæstione proposita inter milites, & doctores, sed solũ, vt breuiter quid meo iudicio possit vlteri' obseruari ad maiorem illius cognitionem. Si enim tanquam iuris doctor voluissem propriam professionem defendere, semper dixissem iuris doctorem esse præferendum, non dicã alicui militi, qui in militia videtur esse tanquam scholaris in scholis, sed alicui simplici Duci, qui vulgò dicitur, vn semplice Capitano; præsupposito tamen, quòd talis doctor sit doctor doctrina vera, & nõ præsumpta. Et ratio est, quia huiusmodi doctor habet vtramque prudentiam; talis verò Dux nil aliud præsuponit habere nisi prudentiam, & artem militarem. Vnde sicut doctor prædictus vigore vtriusque prudentiæ videt̃ nobilior per deducta, ita etiam debet præcedere: Verum quia penes me semper præualuit illud Arist. dictũ, Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas, ideò conuenientibus indicaui cum distinctione, vt supra adnotata talem controuersiam definire, licèt autem per hæc omnia articulus propositus sit solutus, non puto tamen omittendum iuris doctorem esse vtilem tempore pacis, & belli Imperator in prohem. instit. militem verò, eiusque ducem tempore belli tantùm. Et cum de iure nemo possit esse iudex in causa propria. l. 1. C. vt nemo ius sibi dicat, ideò fit satis ista adnotasse, atque aliorum iudicio me libenter submitto.

An scientia Medicinæ sit contemplatiua, seu actiua, vel factiua, et successiue præcedere debeat.
Art. 11.

Sicut apud Theologos, vt videri potest in prohem. libri sententiarum; sacra Theologia est scientia mixta, cum partim constet ex contẽplatione, quæ versatur circa Deum, eiusque attributa; partim verò ex actione, quæ docet modum regulandi actiones hominis; ita etiã hoc idẽ affirmari potest a simili de Medicina cuius pars vna versatur circa cognitionem causarum rerum naturaliũ, & propterea videtur cõtemplatiua; altera verò practica, cum verset̃ circa modum conseruandi, vel recuperandi in homine sanitatem. In contrarium tamen videtur dicendum illã esse scientiam contemplatiuam, cum Philosophus primo Poster. & primo Physi. in princ. dicat scire esse rem per causam cognoscere, atque in medicina inuestigentur causæ rerum, & propterea potius cõtemplatiua, quã aliter videtur reputanda. Cæterùm nec etiam hæc conclusio vndiq; satisfacit cum illa potius practica sit iudicanda, ea præsertim ratione, quia si consideretur illius subiectum, illud dicitur corpus humanum sanabile, vt docet Alex. Achillin. in sua quæst.

de

de subiecto Medicinæ,& cum ad sanitatem prædictam requiratur operatio,vt de se patet,ideò medicina videtur practica.At si consideretur modus cõtemplandi,illud idem affirmamus, cum omnis medicinalis contẽplatio sit ordinata ad prædictam sanitatem conseruandam, vel recuperãdam,& propterea non esse recedendum a tali cõclusione Hæc quæstio, cum copiosè sit ab alijs examinata, ad quos supra me retuli, ideò non videtur expediens singula aliorum dicta hic recensere,sed solùm quædam animaduertere,ne tractat⁹ iste in hac parte sit diminutus.Vnde pro solutione articuli solùm adnotare intendo, quod meo iudicio est magis probabile.Medicina igitur in quæstione proposita considerari potest, primo secundum illius rationem formalem. Secundo quatenus habet annexã Philosophiam naturalem. Primo modo videtur potius factiua, quàm aliter ob rationes supra assignatas, nisi de ea dicamus illud idem,quod nonnulli nos docent de Logica, quòd scilicet Medicina etiam formaliter considerata,sit duplex, videlicet docens, & vtens: vnde Medicina docẽs põt dici,atq; defendi contemplatiua: sicut nos hoc idem diximus de scientia Legali in nostro tractatu de præmissis ad vniuersam iuris scientiam in propria quæstione. At si Medicina accipiatur, vt est vtens,tunc sine controuersia est practica factiua. Causa autem istius distinctionis illa est,quia etiam in Medicina sub d.ratione formali reperitur theorica,& practica: Vnde in quæstione de præcedentia ratione theoricæ, & ratione qua est docens,deberet præcedere, & ratio est, quia cognitio causarum per eam acquisita videtur nobilior quauis alia cognitione, quæ in scientia practica considerari posset At ratione practicæ deberet omnino cedere scientiæ legali, vt de ea loquamur; Cum practica legalis videatur longè nobilior practica Medicinæ. At si Medicina consideretur prædicto secundo respectu placet id, quod in principio dicebamus, quod videlicet sit sciẽtia mixta,cum participet de extremis, vt constat,nempe de contemplatiua, atque de practica formaliter considératis. Vnde in casu præcedentiæ potest sub hoc respectu illud affirmari, quod sicut doctor pluribus dignitatibus ornatus debet præcedere ei, qui altera est præditus; ita etiã hoc idem potest affirmari de Medicina, cum in ea reperiatur contemplatio, & operatio. Ex quibus omnibus habemus(ni fallor) solutionem ad articulum quomodo conciliari valeant, quæ supra in contrarium sunt adducta, & denique in casu præcedentiæ quid sit dicendum, iuxtã institutum mihi propositum. Si quis autẽ plura videre cupiat, recurrat ad loca, vt supra relata.

An actus vnius scientiæ sit nobilior altero alterius.

Art. 12.

AD intelligentiam istius articuli oportet prius adnotare qui,et quales sint huiusmodi actus. Et cum nõ conueniat in præsenti illos in particulari de qualibet scientia recensere,ideò satis esse duxi illos considera-

re solum in communi, atque quoad scientiam contemplatiuam, actiuam & factiuam. Vnde actus scientiæ contemplatiuæ, est cótemplari, interpretari, & libros componere. Scientiæ verò actiuæ, & sic scientiæ legalis, (vt de ea specialiter loquamur) est consulere, patrocinari, interpretari, vt in publicis gymnasijs cótingit, iudicare, & libros componere. Actus denique scientiæ factiuæ est facere aliquod opus ultra alios actus. vt supra de alijs scientijs relatos. De quibus omnibus cum dubitari nequeat, ideò vlterius est animaduertendum quod istorum actuum quidam sunt communes, vt est exempli gratia, docere publicè, vel priuatim viua voce aut per compositionem librorum.

Quidam verò sunt proprij, vt est agere, & post operationem relinquere certum opus. Ex quibus omnibus infertur, quòd intelligentia articuli propositi talis videtur esse, vt videamus an actus communis vnius sciétiæ sit nobilior actu communi alterius. Secundo an actus proprius vnius facultatis sit nobilior actu proprio alterius. Tertio an actus communis vnius professionis sit nobilior actu proprio alterius, vel e contra. Vtilitas autem istius articuli videtur maxima, cum homo possit præcedere aliquando ratione professionis, & aliquando ratione exercitij tantum. Sicut.n. in qualibet professione consideratur Theorica, & practica; ita etiã potest dari ista duplex præcedentia. Rursus ratione exercitij, & practicæ prædictæ adhuc est adnotandum, quòd illa potest exerceri aliquando cum grauitate, & dignitate, aliquando verò cũ dedecore, & vt exemplo rem cognoscamus, videmus quosdam Aduocatos exercere eorum professiones modo nobili, quosdam verò modo ignobili, cum nil aliud quærant, nisi luchrum, non attendétes modum illud acquirendi sed solum student luchrari, patrocinando indifferenter in qualibet causa, non attendentes an sit iusta, vel iniusta. Vnde a simili hoc idẽ puto dicendum de exercitio, & practica cuiusuis alterius professionis.

Quibus omnibus sic præmissis dicemus ad articulum pro parte negatiua quòd si exercitum vnius professionis esset nobilius exercitio alterius, sequeretur eum, qui ornatus sit inferiori scientia, debere præcedere ei, qui esset prædictus maiori professione, ex quo præsuponitur illam exercere nobiliori modo, quod videtur inconueniens, cum præsuponatur talem scientiam esse longè inferioré, meritò &c. In contrarium facit talis ratio, quòd qualitas actus, de quo agimus, sicut dependet a qualitate suæ causæ, quæ est ipsa scientia; ita et ab eadem debet consequi præcedétiam & nobilitatem. Vnde sicut vna scientia est nobilior altera, vt diximus supra in alijs articulis; ita etiam actus inde productus eiusdem debet iudicari qualitatis. Pro solutione puto animaduertendum, quòd si articulus sit soluendus quoad actus, & exercitia communia omnium professionũ, tunc a qualitate exercitij est desumẽda illius nobilitas, atque præcedétia. Et propterea ille, qui exercet huiusmodi actus si id faciat meliori, atq; nobiliori modo, sine dubio, sicut apparet maior, & nobilior, ita debet

præ-

præcedere. Et ratio est, quia scientiæ omnes in huiusmodi actibus non videntur inter se differre. Siquidem, sicut Philosophus docet, audire volentes suam professionem, ita etiam hoc idem facit Medicus, Iurista, & reliqui similes. At si secundo loco considerẽtur prædicti actus, & exercitia, vt sũt propria tunc, sicut vna scientia est maior altera, vt diximus; ita etiam actus, vt exercitium illius proprium eiusdem erit naturæ. Quæ quidẽ cõclusio posset limitari ratione modi exercendi iuxta distinctionem, vt supra declaratam. Hinc est, quod non est a ratione alienũ aliquem inferioris professionis aliquãdo debere præcedere ei, qui sit ornatus maiori sciẽtiã. Vltimo loco si prædicti actus considerentur ratione, qua vnus est proprius, alter verò communis, tunc penes me est dubium quid sit dicendũ: probabiliter tamẽ dicerem illũ actũ esse præferendum a quo oritur maior vtilitas, cuius virtus est tanta, vt multa permittantur, quæ alias prohibentur, argumento tex. in c. in causis, cum ibi adnot. de re iudi. Simpliciter autem puto ita concludendũ, vt nobilitas, primo tribuatur actui scientiæ contemplatiuæ: secundo actui scientiæ actiuæ. Tertio actui scientiæ factiuæ.

An inter artes factiuas vna reperiatur maior altera, & quomodo.

Art. 13.

ARticulus iste videtur vnum præsuponere quod indiget probatione. Admisso enim artem vnam esse nobiliorem altera, sequeretur inde, quòd omnes essent nobiles, cum comparatiuum præsuponat positiuum. De quo quidem præsuposito quoniam in sequenti articulo sumus dicturi, ideò in præsenti dicimus, quòd iste terminus maioritatis non semper denotat nobilitatem propriè acceptam, sed solum largo modo sumptam, iuxta doctrinam Archid. in c. 1. de consuet. in 6. Siquidem non est a ratione alienum eum, qui est alio maior, & superior esse aliquo modo nobilem. Adnotandũ est vlterius, quòd solutio istius articuli est admodum vtilis, cum aliquando etiam inter artifices mechanicos, eorumque collegia, & artes oriantur cõtrouersiæ de præcedentia, vt vidimus hic Perusiæ. Vnde cum expediat animaduertere quid iuris, ideò pro parte negatiua imprimis facit talis ratio, quòd si daretur ista maioritas, daretur etiam aliquis gradus nobilitatis. At quoniam hoc videtur esse contra tex. in l. nobiliores, & ibi Bald. Salic. & alij. C. de commerc. & mercator. meritò &c. Secundo docet Tiraq. in suo tract. de nobilitate, cap. 27. quòd artifices exercentes huiusmodi artes derogant nobilitati, ergo ars vna non debet reputari maior altera. Tertio dicebam in præcedenti articulo artes ratione exercitij non habere præcedentiam, nisi secundum qualitatem illius, ergo idem, quod supra. In contrarium puto esse omnino respondẽdum. Primo, quia quotidie videm⁹ artifices contendere inter se de præcedentia, vnde præsuponitur artem vnam esse maiorem altera, alioquin talis prætensio notoriè esset irrationabilis. Secundo comparando artes

ad

ad inuicem oportet illas ordinẽ habere: & quoniã vbi est ordo, ibi est etiam maioritas, & præcedentia, vt diximus supra q. 2. ideò idem quod supra. Tertio sine dubio in qualibet arte considerantur. Quarto genera causarum, iuxta tradita supra in proprio articulo. Vnde sicut causa vnius artis ex propria natura est maior altera; ita etiam hoc idem est dicendũ de ipsamet arte. Qua de re cum ab hac conclusione nõ videatur esse recedendum, ideo antequam veniamus ad eius declarationem, conuenit respondere ad obiecta. Vnde ad primũ dicimus non obstare d.l. nobiliores, quia tex. ille videtur intelligendus de nobilitate propriè accepta, & nos in præsenti loquimur de maioritate, & sic de nobilitate impropriè considerata. Ad secundum verò respondet doctrinam Tiraq. eodem modo considerari; siquidem licèt exercitiũ multarum artium deroget nobilitati, non propterea derogat & maioritati, & sic non repugnat, artẽ vnã esse maiorem altera. Et cum ex his habeamus (ni fallor) responsum etiam ad tertiũ ideo conuenit modo, vt videamus quomodo conclusio ista sit intelligẽda, & de qua arte sit verificanda. Ne autem sim coactus singulas artes hic recensere, satis esse duxi eas reducere ad certa capita, vt inde inferri valeat, quænam ars, & quonam modo maioritatem habeat. Primo igitur puto adnotandum omnes artes sub vno respectu habere ad inuicem ordinem, ita quòd vna sit ordinata ad aliam, sicut scientiæ ipsæ, vt ars fabrilis est ordinata ad agriculturam. Vnde ars illa erit maior, ad quam altera est ordinata ad similitudinem scientiæ subalternantis, & subalternatæ. Quæ conclusio videtur vera, iuxta ea quæ nos docent Philosophi de subalternatione scientiarum. Secundo artes omnes possunt adhuc considerari ratione finis, vel alterius causæ. Vnde sicut finis, vel materia efficiẽs, seu modus considerandi vnius artis est altior, & maior fine, materia efficiente, seu modo considerandi alterius, vt constat ex his, quæ diximus supra suo loco; ita quoque talis ars est maior, & altior altera. Tertio artes considerantur adhuc ratione effectus. Vnde ars illa maior est reputanda, ex qua maior oritur vtilitas. Atq; hac fortasse de causa Cassan. in dicto suo tract. glor. Mundi, part. 11. considerat. 39. docet artem librariorum, & impressorum cæteris esse præferẽdã; vnde ad prædicta tria capita specificè cognoscenda opus nunc esset adnotare cuiuslibet artis ordinem in respectu ad aliam. Item causas, & effectus. Et cum id sit trãsire terminos instituti propositi, ideò ad prædicta satis erit addere, quòd cum omnes artes reduci valeant ad res, & ad sermonem; rursus quæ res respiciunt, quædam sunt inuentæ ratione necessitatis, vt est agricultura: quædam ratione vtilitatis, vt est ars ædificandi: quædam ratione voluptatis, vt est ars coquinaria: quædã ratione ornatus, vt est pictura. Ex quo sequitur, quòd sicut finis vnus de prædictis est maior altero, ita etiam hoc idem affirmari debet de ipsis artibus. Quæ aũt respiciunt sermonem, quædam sunt inuentæ ad illius congruitatem, vt est Grammatica, quædam ad suasionem,

vt est Rethorica, quædam ad probandum, vt est Dialectica, quædam ad delectationem, vt est Poetica. De quibus illud idem puto dicendum, quod dixi de artibus circa res versantibus. His præmissis quæritur primo an artes reales præcedant artibus rationalibus. Secundo quænam ars realis de prædictis præcedere debeat. Tertio quænam ars rationalis sit maior. Quoad primum dicit tex. in c. intelligentia, de verb. significat. quod non res sermoni, sed sermo rei est subiectus. Ex quo sequitur artes reales debere præcedere rationalibus. Confirmatur, quia vtilitas artium realium sicut est longè maior vtilitate artium rationalium; ita etiam artes ipsæ reales sunt præferendæ. Illarum enim vtilitas est notorie, vt non indigeat commendatione arg. l. 1. ff. de restitu. in integ. Vnde vlterius procedendo ad secundum difficilè est dare responsum, siquidem artes necessariæ ratione necessitatis non videntur habere maioritatem, cum nec legem admittant. c. quod non est licitum, & ibi glo. de regu. iu. nisi tamen dicamus illas regulari lege naturali, secundum quam, sicut habet aliquẽ ordinem; ita etiam potest defendi habere aliquam præheminentiam. Definitio enim legis data a D. Thom. 1.2. q.90. verificatur de qualibet lege. & sic etiam de lege naturali. Artes autem ad vtilitatẽ ordinatæ placet vt præferantur artibus ad voluptatem, & ornatum institutis, cum vtilitas magis sit sequenda, quam ornatus. In contrarium verò facit imprimis qualitas cognitionis, cum cognitio artis Agriculturæ, & Medicinæ, quæ videntur necessariæ, accedit magis ad Philosophiam naturalem, quam cognitio cuiuslibet alterius artis. Sculptura aũt & pictura debẽt præcedere cuilibet, alię argu. §. siquis in aliena tabula insti. de rer. diuis. meritò &c. Cæterum Architectura omnibus videtur præferenda, cum diuersis artificibus det regulam, & formam operandi, quid igitur dicendum. Pro solutione puto animaduertendum, quod omnes artes reales quoad præsentem articulũ attinet diuersimodè possent considerari, videlicet ratione cognitionis, itẽ ratione operationis vltra alios respectus, de quibus supra. Primo modo ars illa dicitur maior, quæ magis accedit ad cognitionem scientificã, methodicam, & Philosophicam, & ratio est, quia talis cognitio dicitur magis certa, & distincta, & sic verificatur doctrina Philosophi primo de anima, supra etiam relata. Vnde sub hoc respectu Agricultura, & Medicina videntur artes nobiliores, & maiores; cum nemo posit esse bon' Agricola, seu Medicus, nisi habeat cognitionem distinctã rerum naturalium. Hoc idem puto dicendum de nonnullis alijs artibus, vt est ars nauigatoria. At secũdo modo, & sic ratione exercitij, & operationis non oportet hic aliud adnotare, cum de qualitate operationis actuũ diximus supra in proprio articulo, vnde remanet solum, vt videamus quid iuris de prædictis quatuor finibus prædictarum artiũ. Ad id autem cognoscendum debemus præsuponere, quòd præcedentia reperitur in omnibus rebus, etiam necessarijs ob ea, quæ diximus supra q.2. vbi enim est ordo, ibi sine controuersia

trouerſia eſt præcedentia, vt ibidem demonſtrauimus articulo vltimo, & propterea finis neceſsitatis videtur præcedere, cum ſine neceſſarijs res non habeāt exiſtentiam. Finis verò vtilitatis dicitur maior fine voluptatis,ea præſertim ratione, quia homines potius vni,quam alteri dant operam. Finis denique voluptatis ea ratione videt̃ maior fine ornatus, quia voluptas excitat hominem ad agendum,magis quam ornatus. Hæc omnia poſſent confirmari, quia ſicut bonum ſecundum Philoſophos eſt triplex, videlicet naturale,vtile, & voluptuoſum;ita etiam videntur ſubordinata, & ſucceſsiuè ad ſubordinationem huiuſmodi bonorum. Hoc idem poſſumus affirmare de artibus prædicta bona reſpicientibus. Hinc inferri poteſt iuxta Philoſophū lib. 1. Ethic. in princ. hominem tendere ad bonū ſimpliciter neceſſariū. Ad tale verò bonum liberè. Et cum per hęc habeamus(ni fallor)quomodo obiecta; vt ſupra relata, ad inuicem conciliari valeant, ideo non videtur neceſſariū ad illa ſpecialiter reſpondere. Nec obſtat ſi ex hac parte inferatur artem picturæ tenere vltimum locum, quia reſpondetur quòd admiſſo hanc illationem eſſe veram, non propterea eſt inconueniens hanc artem ſub tali reſpectu eſſe inferiorem, cum alia ratione ſit longè ſuperior, vt conſtat ex deductis, atq; eo præſertim, quia huiuſmodi artes magis accedunt ad naturam, & Philoſophiam, quàm quælibet alia, & propterea legimus apud Hiſtoricos per picturam fuiſſe aliquando decepta non ſolùm animalia bruta, verùm etiam ipſoſmet homines. Ad tertium, & vltimum, omiſſa diſputatione puto dicendum, quòd prædictæ artes rationales diuerſa ratione ita reputari poſsūt, vt vna ſit maior altera, per ea, quæ ſupra diuerſis in locis diximus: ſimpliciter autem placet Dialecticam iudicare maiorem qualibet alia: & ratio eſt, quia homines in communi magis ſtudent ſuam intentionem probare, quàm aliter illam explicare. Licèt autem non videatur ſatis probare etiam concludenter, niſi id quod probetur, etiam ſuadeatur, nihilominus, quoniā talis ſuaſio efficacius ſit per modum probandi, & ſic per Dialecticam, quàm per alia media, & ſic per colores Rethoricos, ideò non videtur eſſe recedendum a dicta concluſione.

An ſciētiæ, profeſſiones, & habitus, de quibus ſupra admittant magis, & minus. Art. 14.

NOn videtur neceſſarium examinare præſentem articulum cū ſatis copioſè diſcutiatur & declaretur a D. Tho. q. 52. per tot. eoq; minus, quo eius doctrina communiter approbatur. Cæterùm ne intactus relinquatur dicimus imprimis artes, & ſcientias omnes non recipere magis, & minus, ex quo non admittunt augumentum, & ratio eſt, quia aut tendunt ad cognitionem, aut ad operationem. Si primùm habita cognitione ceſſat omnis motus, ſi ſecundum illud idem. Et ratio eſt, quia dicit Philoſophus habitibus præſentib' ceſſat motus. Vnde ſicut non poteſt dari augumentum, ita etiam nec magis, & minus. In contrarium eſt tex. in Lin-

ter

ter artifices, & ibi doct.ff.de ſolutio. vbi ad litteram legimus dari augumẽtum in artibus, & ſic magis, & min⁹. Atque hac de cauſa docet Abb. in c. cum in cunctis, in princ. numero. 4. de elect.ſcientiam aliam eſſe emiuentem, aliam ſufficientem, & aliam mediochrem, & I. C. in l.apud Iulianũ. ff. de fideicommiſ.liberta.dicit ſi alterum pedem in tumulo haberem, adhuc addiſcere vellem. Pro ſolutione articuli debemus animaduertere, quòd quamuis circa rem propoſitam diuerſæ reperiantur doct.opiniones, vt refert D.Thom.in d.q.articulo 1. in præſenti ſatis eſſe puto adnotare quid ſit dicendum. Ad mentem igitur eiuſdem Angelici doctoris dicimus quamlibet artem, & ſcientiã dupliciter eſſe conſiderandam. Primo ſecundum propriam eius naturam, et ſic nulla ars admittit augumentum, nec magis, aut minus, quia, cum conſideretur formaliter, atque formæ ſit proprium dare eſſe, vt dicunt Philoſophi, & probat tex.in l. Iulianus. ff. ad exibẽdum; ſequitur inde, quod ſicut eſſe nõ admittit magis, & min⁹, ita quoque nec forma. Et cum ſcientiæ, & artes omnes ſub hoc reſpectu ſint quædam formæ, ideò de tali concluſione non videtur eſſe dubitandũ. Secundo conſiderantur prædictæ artes ratione participationis, & ſic totum oppoſitum eſt omnino tenendũ. Sicut .n. vnus homo magis participat de aliqua ſcientia, ſeu arte, quàm alius, ita etiam ratione huiuſmodi participationis datᷓ in eis prædictũ augumentum, atque magis, & minus. Hinc intelligimus quomodo argumenta ſupra ad vtramque partem adducta ad inuicem conciliari valeãt, & propterea non indigent ſpeciali declaratione. Ex qua diſtinctione habemus quoque ſolutionem, & intelligentiam ad illam quæſtionem de qua ſit mentio in glo. ſuper. §.quod ſi eligentium, in verb.de authoritate inſtitu.canon. de elect. In qua legimus quendam Cardinalem dixiſſe alteri; Tu non es Cardinalior me. Hoc idem poteſt affirmari de doctore, cum vnus non ſit magis doctor altero. Siquidem omnes Cardinales, vt Cardinales rõne Cardinalatus, & ſic dignitatis ſunt æquales, ſicut omnes doctores ratione doctoratus ſunt eiuſdem æqualitatis. At ratione alicuius qualitatis non eſt inconueniens Cardinalem vnum eſſe maiorem altero, & ſic eo Cardinalior apparet eſſe, ſicut vnus doctor ratione doctrinæ dicitur doctior, & maior altero. Hinc videmus, quòd ſi Cardinalis vnus fuerit natiuitate Illuſtriſsimus alter verò plebeius, ratione talis qualitatis poteſt dici Cardinalior altero. Rurſus articulus iſte poteſt adhuc dupliciter intelligi primo reſpectu vnius, & eiuſdem artis, atque ſub hoc reſpectu ſunt intelligenda quæ ſupra adnotauimus. Si quid autem vlterius ſub hac ratione deſiderari valeat ex his, quæ infra ſumus dicturi, deſumi poſſet. vnde ſecũdo loco eſt intelligẽdus idẽ articulus rõne vnius artis in comparatione ad aliam. Et quoniã ſub hoc reſpectu de eo diximus ſupra in alijs articulis de maioritate vnius habit⁹, artis, & ſciẽtiæ in comparatione ad aliam, ideò non oportet, nec conuenit illa hic repetere. Et ita per hæc abſolutus ſit articulus iſte.

An prædictæ omnes professiones producere valeant nobilitatẽ.
Art. 15.

INtelligẽtia istius articuli nil aliud videtur denotare, nisi an arte aliqua possit acquiri nobilitas, siquidẽ hoc cognito cognitum etiã erit quænam ars sit illa: & cum omnes artes inter earum diuisiones diuidantur in liberales, & mecanicas, vt cæteris omissis docet idem Cassan. in dicto suo tract. glo. Mun. par. 10. consid. 9. & Patritius in suo tract. de Rep. libr. 4. tit. 6. Atque de artibus liberalibus nemo dubitet eos producere nobilitatem, vt satis clarè constat per deducta supra in alijs articulis, ideò dubium remanet de mechanicis, de quibus ponderando vocem earum, iuxta l. si idem, C. de codicillis, oportet asserere nullas posse nobilitatem causare, cum denotent potius ignobilitatẽ quàm aliter. Confirmatur, quia si aliqua earum reduci posset ad nobilitatem, implicaret contradictionem; siquidem esset, & non esset mechanica, atq; differret, & non differret ab arte liberali, quod non est dicendũ. In contrarium facit illa potissima ratio, quòd sicut in quibusdam artibus requiretur maximum ingenij acumẽ, vt contingit in pictura, sculptura, & architectura, ita etiam artifex per eas inter omnes alios euadit superior, & successiuè nobilis. Pro solutione puto animaduertendum imprimis qua via cognosci valeat ars mechanica, vilis, & ignobilis. Alciat. in l. mercis appellatione nu. 21. ff. de verb. signif. docet artem vilem, & sordidam cognosci a consuetudine loci. Hoc idẽ legimus apud Tiraqu. in d. suo tract. de nobilitate, c. 10. num. 1. & c. 34. in prin. Hinc est, quòd ars aliqua in vno loco reputatur vilis, & sordida, secus in alio. Videmus tamen ciuitates, in quibus artes viles non reputantur, florescere, & in dies augeri quoad honores, & dignitates. Reliquæ verò cũ earum dedecore in dies decrescere, & diminui, & cum modestiæ gratia non conueniat illas hic recensere, ideò satis sit inde inferre consuetudinem maximam vim habere circa nobilitatem, vt docet Tiraq. in dicto c. 10. per tot. Vlterius autem procedendo, cum aliud sit aliquid definire secundum opinionem hominum, & aliud secundum naturam illius. Primo .n. modo in dubio est tale quid definiendum, iuxta l. Barbatius. ff. de off. Prætor. cum ibi adnota. At secundo respectu veritas ipsa attendi debet iuxta can. veritate distin. 8. Vnde vt nunc videamus qua via prædictas artes cognosci posse, vt ex propria earum natura nobilitatem producere valeant, puto dicendum, quòd in quibusdam magis ingenium, quàm corpus operatur, in quibusdam verò è contra, in quibusdam æqualiter, & in aliquibus dubitatur. Sub primo respectu artes liberales videntur cõstituendæ, & successiuè causare nobilitatem, secus reliquæ. Ratio autem illa videtur esse, quia sicut in eis potẽtiæ animæ magis operantur; ita etiam huiusmodi artes videntur digniores, & sic nobiles: si hæc contemplatio non placeat, oportet (ni fallor) recurrere ad ea, quæ diximus supra in alijs articulis, quod videlicet in prædictis artibus considerentur aut earum causæ,

ſæ, aut ratione theoricæ, & practicæ. Primo enim modo, ſicut cauſa vna eſt maior altera, & ſic nobilitatẽ producit; ita etiam hoc idem affirmari poteſt de prædictis artibus. De qua re cum copioſè pertractet Tiraquel. in d. ſuo tract. de nobilitate per plura capita, & præcipuè in c. 34. per tot. ideo non conuenit vlterius procedere, atq; ad eum me remitto. At ſub ſecundo reſpectu ſi cõſideretur theorica tantum poſſent nobilitatem producere, cum quælibet ars ſub tali ratione ſapiat ſcientiam, perficiatque intellectum; & ſucceſsiuè nobilitatẽ producere valeat. Ratione autẽ practicæ dicimus, quòd ſicut artes ſunt diuerſæ, ita etiam diuerſam habent practicam, & propterea quædã earũ potius derogant nobilitati, quàm aliquid tribuant. Vnde leges ſub titulo Codicis, de excuſ. artifi. lib. 10. & de commerc. & mercat. videntur intelligendæ de artificibus reſpectu practicæ illarum artium, quarum exercitiũ ſapit potius ignobilitatem, quàm aliter. Et ratio eſt, quia continuò operã dare luchro in acquirendis diuitijs quouis medio, & ſic exercitio vili, nobilitati repugnat. Hinc puto inferendum, quod ſicut qui exercet artẽ per alium, & non per ſe ipſum, non dicitur luchri cupidus, & propterea poteſt artibus liberalibus incumbere; ita etiam dando operam theoricæ alicuius artis mechanicæ non dicitur nobilitati derogare, ſed potius aliquid addere. Et ad hoc facit diſtinct. 88. per tot. Atque hac de cauſa clericus de iure non poteſt, nec debet negociari, & ſic luchro operam dare, quia per huiuſmodi exercitium æuo catur ab operibus pietatis, & nobilitatis Chriſtianæ. Vnde habemus rubricam ad mentem D. Pauli, ne cler. vel mona. ſe immiſc. nego. ſecul.

Quid iuris ſi de aliqua profeſsione dubitetur an ſit ſciẽtia, uel ars.
Art. 16.

PRo intelligentia iſtius articuli, debemus præmittere in facto, quod inter Philoſophos, & Logicos fuit aliquando dubitatum an aliqua ars ſit propriè ars, vel ſcientia. Quæ quidem difficultas aut eſt nulla, aut facilis ſolutionis, conſiderando fines principales ipſarum profeſsionum, cum omnis facultas, vt ſupra quoque diximus, conſiſtat in contemplando tantum, aut in agendo ſolùm, aut denique in faciendo. Vnde ſicut quilibet artifex cõmuniter acceptus, aut contemplatur, aut agit, aut denique aliquid facit, ita quoque de qualibet profeſsione, & habitu videtur clarũ, quid ſit dicendum. Cæterum in contrarium, ſicut de nonnullis fuit aliqñ dubitatum; ita etiam caſus quæſtionis propoſitæ eſt eiuſdem qualitatis, Theologi enim quærunt an Theologia ſit practica, vel contemplatiua; vt videri poteſt apud eos ſuper lib. 1. ſententiarum in princ. & D. Tho. in prima par. ſuæ ſumm. q. 1. ſimiliter Logici dubitant an Logica ſit ſcientia, uel ars, ut cæteris omiſsis uideri poteſt apud Balduinum in propria quæſtione, & nos hoc idem obſeruauimus de facultate legali in noſtro tract. de præmiſsis ad vniuerſam iuris ſciẽtiam. Ad hæc accedit, quòd artifex, & profeſſor cuiuſuis profeſ-

Z 2 ſionis

sionis potest per eam consulere, illā interpretari viua uoce, componendo libros, atque similes actus exercēdo, & propterea quælibet uidetur practica. Pro solutione puto animaduertēdum, quòd Theologi dum de Theologia loquuntur dicunt illam participare de contemplatiua, & practica, & sic esse mixtam, licèt diuersimodè id affirment, vt uideri potest apud D. Thomam .in dicta q. artic. 4. apud Durand. in prohemio sententiarum, & ibidem alij. Logici autem de Logica disputātes diuersimodè loquūt, atque hac de causa Francisc. Tolet. in suis qq. prohem. ad logicam. q. 2. quærens an logica sit scientia, cōcludit modum sciendi non esse scientiam, sed logicam docentem. At in q. 4. quærens an logica sit practica, tenet eam absolutè loquendo, non esse propriè practicam, nec artem, sed sapere de practica, simpliciter autē esse potius speculatiuā, vt latius apud eum uideri potest, cum referat etiam aliorum opiniones. Applicando autem hæc dicta ad quæstionem nostrā ex quo nos loquimur de professionibus, & habitibus in communi, & non in particulari, dicimus imprimis quamlibet professionem ratione cognitionis per illius causas acquisitæ esse scientiam, siquidem cum scientia sit cognitio rerum per suas causas, vt docet Philosophus lib. 1. post. in princ. & in prohem. Physi. atque cognitio cuiuslibet professionis habeatur per suas causas sequitur illā esse scientiam. De qua conclusione cum dubitari nequeat ideò vlterius procedendo dubiū remanet an quælibet professio sit, vel dici valeat practica. Pro solutione placet imprimis distinctio logicorum, quod videlicet, quælibet professio posset considerari vt docens, & vt vtens. Primo modo dicitur contemplatiua ex quo tendit solum adhunc finem sciendi. At secundo respectu dicitur practica, cum ad finem agendi, vel faciendi sit ordinata. Hæc autem practica, sicut subdiuiditur, vt diximus, ex quo artificum operationes aliquando remanent in eodē met artifice, aliquando verò transeunt in externam materiam, ita etiam aliquando talis ars dicitur actiua, & aliquando factiua. Hæc omnia confirmari possunt, quia homo dando operā huiusmodi professionibus, quæcunque illæ sint, id facit, aut quia intendit scire, per suas causas, quæ ad illas pertinent, & sub tali respectu illius professio dicitur scientia contemplatiua aut quia solū vult moraliter viuere, & in tali casu erit scientia actiua. Nec obstat si quis dicat non posse operam dare alicui arti, exempli gratia picturę ad effectū moraliter viuendi, cum similis ars nō deseruiat ad vitam moralem. Ad hoc enim respondetur, quòd practica huiusmodi artium, licèt non deseruiat ad talem finem, cognitio tamen earū videtur summopere conferre ad illū, cum actio moralis inde melius cognoscatur, & in esse producat. Hinc est, quod licèt artes proprium habeāt finem, illarum tamen cognitio facit etiam ad moralitatem. Sicut enim in iure cognitio rerum deseruit cognitioni morali, & propterea legimus ius versari circa personas, res, & actiones, seu iudicia. §. fi. insti. de iu. na tu. §. fi. insti. canon. de ecclesf. constitu.

tu. Ita etiam hoc idem affirmari potest de artibus & earum cognitione. Aut denique quis dat operam alicui professioni ad effectum, vt aliquid faciat, & sic illius cognitio dicitur ars, atque scientia practica factiua. Ex quibus omnibus puto concludēdum quòd debeamus considerare finē ad hoc, vt intelligamus solutionem ad quæstionem propositam. Qua de re cum non tantum articulus sit solutus, & declaratus, verùm etiam quæ ad vtramque partem sunt adducta, ad invicem concilientur, ideò non oportet vlterius procedere.

Ex quo capite, seu via cognosci possit nobilitas prædictarum professionum.

Art. 17.

Solutio istius articuli nil aliud videtur esse, nisi quædam conclusio, quæ infertur ex præcedentibus. Diximus enim supra quasdam artes derogare nobilitati, & illam per eas acquiri non posse. Quasdam verò eādem producere, & in certo casu augere. Quando autem disputatum fuit quomodo, & qua via ars vna, seu habitus sit maior, & nobilior altero, diximus etiam id contingere aliquando ex parte causarum, aliquando verò ex parte effectuum eorundem, sicut enim causa vna eiusdē tamen generis est maior, & nobilior altera, vt diximus supra; ita etiā hoc est dicē dū de arte, seu habitu, qui ab illa oritur. Rursus sicut effectus vnus est vtilior, & maior altero, ita quoque hoc idem est tenendum de arte, & habitu a quo ille producitur. Vnde videtur concludendum quod caput, & via cognoscendi prædictam nobilitatē, nil aliud sit, nisi causa, & effectus prædictarum professionum, & artium. Hoc idem confirmari potest arg. doctrinæ ipsius Philosophi lib. 1. poster. Sicut enim demonstratio, qua aliquid cognoscit, est duplex, videlicet quia, & propter quid, & sic ab effectu, & a causa, vt ipse docet; ita etiam hoc videtur dicendum in quæstione de qua agimus. Ad hæc accedit, quòd in iure legimus. Sicut enim præcipua via aliquid in tali facultate cognoscēdi est causa, atque præfatio l. fi. ff. de hæred. institu. Surd. in sua decis. 288. numero 30. & seq. Menoch. in suo tract. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 2. Gabriel in cons. 155. numero 1. vol. 2. & probat tex. in c. intelligentia de verbo. signif. ita etiam hoc idē est dicendum de proposito articulo. Quæ omnia licèt sint omnino vera, non videntur tamen vndique satisfacere, cum tam apud logicos, quam etiam apud Iuristas dētur diuersi modi aliquid probandi, & cognoscēdi, vt vnicuique in prædictis artibus perito est omnino notum. Pro solutione puto animaduertendum, quòd via aliquid probandi, & cognoscendi apud logicos triplex reperitur. Vna enim dicitur demonstratiua, altera probabilis, tertia sophistica. Et apud Philosophum prima habetur lib. Poster. secunda in lib. topicorum, tertia in libro Elencorum. Hæc autem tertia cum sit inuenta potius ad decipiēdum, quam aliter, atque expediat illā scire ad euitandas deceptiones, remanet solum quoad rem propositam attinet, via demonstratiua, & probabilis.

lis. Vnde quoad viam demonstratiuã sunt adnotanda, quæ supra diximus ob prædictam duplicem demonstrationem. Quoad viam autem probabilem, quæ a sedibus argumentorum desumitur est adnotandus Arist. in d. lib. Topic. & apud iurist. Euerard. in sua centu. de sedib. argume. Ad quos puto esse recurrendum, cum non cõueniat in præsenti descendere ad specialem declarationem huiusmodi locorum, & sedium argumentandi. Per hæc omnia, licèt habeamus solutionẽ ad articulum, si tamen illa vndiq; non satisfaciat, oportet animaduertere in quo consistat huiusmodi nobilitas ob illam Philosophi propositionem, quòd res sicut se habent ad esse; ita se habent ad cognitionem, de qua, quoniam supra sæpè, & multa diximus; ideò non conuenit hic illa repetere, & propterea pro solutione istius articuli sint ista satis.

Præsuposito actus cuiuslibet professionis esse plures, at diuersos, an vnus sit dignior altero.

Art. 18.

OBseruo actus omnium prædictorum professionum, & artium non esse eiusdem qualitatis, siquidẽ quidam sunt communes, quidã verò proprij. Cõmunes sunt actus docẽdi, consulendi, & similes. Propriè autem sunt actus patrocinandi in aliquo tribunali, medendi, militandi, ædificandi, & similes. Artifex enim cuiuslibet professionis potest eam alios docere, potest etiam circa pertinentia ad eam consulere, & quod proprium est exercere. Vnde articulus iste dupliciter intelligi potest. Primo respectu vnius, & eiusdẽ professionis, vt exẽpli gratia iurista potest ius interpretari uiua uoce, & per scipturam. Secundo de iure concludendo respondere. Itẽ patrocinari, & denique ius dicere. Qua de re dubitatur quis nam de prædictis actib' sit nobilior. Secundo respectu diuersarum professionum, ut exempli gratia, an actus legendi, atque publicè iura interpretandi sit nobilior actu legendi, & Philosophiam similiter publicè explicandi. Atque a simili hoc idem de alijs facultatibus articulus iste debet considerari, & solui. His præmissis dicimus, quòd nobilitas huiusmodi actuum aut est desumenda ab intrinseca eorũ natura, & tunc actus interpretandi videtur nobilior, tum quia magis accedit ad contemplationem, & sic uerificantur quæ diximus supra de scientia contemplatiua, tum etiam quoniam alios docere est illis dare bene esse, vnde talis professor in hoc imitatur Deũ, eiusq; operationem, cuius est propriũ communicare suum esse, & sic suam bonitatem. Vnde dicebat Philosophus communicatum est esse his quidem clari', his verò obscurius. Et dicebat Poeta Dãtes in primo cãtu Paradisi,

La gloria di colui, che tutto muoue,
Per l'uniuerso penetra, e risplende
In vna parte più, e men'altroue.

Hinc adnotant scribentes nos esse obligatos parentibus, & præceptoribus, a parentibus recepimus esse, a præceptoribus verò bene esse, merito, &c. Aut desumi debet ab vtilitate, & tunc licèt sub iudice causa existat, placet tamen aduocare,

re, & patrocinari esse actum maioré. Videmus enim excellens Aduocatos luchratos fuisse notabilem pecuniarũ summam. Cum hæc vtilitas magis ex hoc actu habeatur, quàm ex quolibet alio. Hoc tamen non verificatur, nisi in professione legali, ex quo in ea actus consulendi, & patrocinandi est magis frequens. Aut denique prædicta nobilitas desumitur ab opinione hominum, atque in hoc non potest dari certa regula ad illam cognoscendam, iuxta ea, quæ diximus supra ad mentem Tiraquelli in d. suo tract. de nobilitate, c. 10. Hæc omnia videntur vera de actibus vnius, & eiusdé professionis. De actibus autẽ vnius professionis in comparatione ad actum alterius prædicta non videntur vndique uera: de quibus licet multa dicta sint supra art. 12. non erit tamen inutile quædam vlterius hic addere. Vnde dicimus, quòd licet actus communes non videantur habere præcedentiã ratione qua sunt communes, & propterea æquales, vnus tamẽ est reputandus maior altero si non aliter saltem ratione alicuius accidentis, vt exempli gratia, actus interpretandi Philosophiam, seu Medicinam, pōt dici maior ratione maioris methodi in docendo. Hinc videmus veram docendi methodum haberi a Philosophis potius quàm ab alijs artificib⁹, & professoribus, ut uideri pōt apud Zimaram in sua tabula apud Card. Bessarion. in sua Apologia pro Platone, & nouissime apud Hieronym. Caputuaccæ in suo aureo libello de differentijs doctrinarum. De actibus autem proprijs earundem professionum, ut de eis nunc agamus, est animaduertendum, quòd si considerentur secundum propriam eorũ nãm, dicuntur nobilitatem recipere a qualitate scientiæ, & professionis, a qua oriuntur, de qua diximus supra, ideò non conuenit illam hic repetere. Si verò nobilitas prædictorum actuum desumatur ab aliquo accidẽte, tunc non repugnat rationi, vt vn⁹ alicuius professionis inferioris sit maior altero alterius professionis superioris, cum modus operandi, sicut reperitur diuersus, ita etiam potest derogare, seu causare nobilitatem. Hinc videmus quasdam professorum, & artificũ operationes ab hominibus reputati nobiles, quasdam verò viles, & abiectas, vnde pro solutione puto animaduertendum, quòd cuiusuis artificis operationis nobilitas desumi debeat aut a qualitate, & excellentia professionis, & artis, aut a modo operandi, aut denique ab opinione hominum, quorum terminorum cognitio, cum satis clarè habeatur ex deductis, ideò non oportet vlterius procedere, cum per huiusmodi doctrinam habeamus (ni fallor) quid sit dicendũ ad articulum, et quomodo casus cōtingentes definiri debeant.

An habitus, & professiones nobilitatem producentes, earũq; nobilitas sit maior quauis alia nobilitate, & dignitate. Art. 19.

ARticulus iste præsuponit vnum, quòd videlicet nobilitas acquiratur ex multiplici capite. Quod quidem præsupositum, cum sit vndique verum per ea, quæ diximus supra in alijs quæstionibus ad mentem Tiraquell.

quell. in d. suo tract. de nobilita. sequitur inde intelligentiam præsentis esse talem, vt cognoscamus an nobilitas causata ab aliquo habitu prædictarũ professionum, & artium sit maior, & dignior, non tantũ quauis alia nobilitate, verum etiam dignitate. Quo ad dignitatem attinet videntur æquales per c. de multa, in fi. de prebend. vbi legimus sublimes, & literatas personas æquiparari in receptione beneficiorum ecclesiasticorum. Quoad dignitatem verò prædictæ professiones dicuntur tenere secundum locũ iuxta tex. in distin. 20. in princ. Abb. in cap. 1. de donation. videtur sentire nobilitatem generis æquiparari cum nobilitate virtutis, licèt expressè id non dicat. Secundum vero opinionem Cyni, vt idẽ Abb. refert nobilis moribus præfertur nobili genere. In contrarium facit talis ratio, quòd videlicet id præferri debeat, quod ex propria virtute competit. At quoniã nobilitas aliqua prædictarum professionum, & artium producta ex propria virtute præcedere debet, cum causa proxima sit efficacior remota, meritò &c. Pro solutione puto animaduertendum, quod sicut ad regimen vniuersi requiritur scientia, & potestas, vt dicit text. in d. distinct. 20. in princ. & ibi doct. ita quoq; dubium est an scientia sit præferenda d. potestati, vel potius debeant æquales reputari. Ad mentem Io. de Turrecre. in d. tex. q. 1, decimus, quòd in causis decidendis potestas, & persona eam exercens est præferenda doctrinæ, & doctori, at in interpretationibus faciendis totum oppositum est tenendum. Et ratio est quia in decidendo plus operatur potestas, quam scientia iuxta l. penult. ff. de iusti. In interpretando verò è contra. Hæc doctrina licèt sit sequenda, non videtur tamen vndiq; clara, & propterea meo iudicio duo in præsenti sunt definiẽda. Primum de scientijs in respectu ad potestatem. Secundum de eisdem scientijs in comparatione ad nobilitatem. Sub primo respectu, licèt multa possint adnotari, placet tamen breuitatis gratia doctrina adducta. Atq; vltra rationem assignatam potest id confirmari, quia sicut per dignitatem quis imperat, atque alijs est superior ita etiam debet præcedere. Quã conclusionem puto limitandam quando iudex teneretur iudicare iudicio peritorum iuxta l. 1. ff. de ventre inspici. c. vltimo & penult. de frigi. & malefi. cum copiosè congestis a Mascar. in suo tractat. de probation. conclus. 1169. per tot. posset etiam limitari secundum gradum vtriusq; iuxta ea, quæ diximus supra in alijs quæstionibus & articulis. Quoad secundum placet nobilitatem prædictarum professionum debere præcedere cuilibet alteri nobilitati, tum ob rationem, vt supra assignatam, & authoritatem adductam; tum etiam quoniã inter causas, quibus nobilitas acquiritur, scientiarum professio videtur altior, cum scientia perficiat hominem, vt diximus, tum etiam quoniam sine ea mũdus regi minimè potest. Quæ quidẽ conclusio, sine controuersia aliquando limitatur iuxta tex. in d. c. de multa, ac etiam secundum qualitatẽ exercitij, atque altitudinem gradus eiusdem, siquidem si aliter esset præferendus cuilibet nobili, quod repugnat iuri, &

ri, &

ri, et rationi. Et ita per hæc omnia nõ solum habemus solutionem ad articulum verum etiam quomodo obiecta ad vtramque partem adducta ad inuicem conciliari valeant.

Quænam sit differentia inter professionem, & professorem in præcedendo. Art. 20.

NOn semel diximus supra in casu præcedentiæ non tantum considerari ipsam dignitatem, nobilitatem, & habitum prædictarum professionum, verum etiam exercitium, earundem. Ex quo sequitur differentiam esse, & non minimam inter professionem, & professorem cũ exercitium, eiusque nobilitas sæpè maximè differant a nobilitate suæ causæ, hinc est, quòd si præcedentia esset alicui concedenda ratione alicuius professionis, esset aliquando deneganda ratione exercitij. Vnde disputatione omissa dicimus solutionem istius articuli esse desumendam tam ex parte professionis, quam etiã ex parte professoris. Primo modo duo sunt animaduertenda, videlicet qualitas professionis, cum habitus, de quibus supra sint inter se inæquales, vt constat ex deductis in præcedentibus. Et ptopterea secundum professionem vnã deberet quis præcedere, secus secundum aliam iuxta tex. in ca. statuimus, cum ibi adnot. de maiorita. Gigas in consl. 3. per tot. vltra adducta supra in alijs articulis. Alter verò gradus eiusdem professionis, qui dupliciter debet considerari, primo respectu vnius, & eiusdem professionis, & artis, & sic de eis verificatur d. tex. in c. 1. de maiorit. & ibi doct. Secundo respectu vnius professionis in comparatione ad aliam, & sic cũ huiusmodi gradus sint aliquando æquales, & aliquando inæquales, ideò præcedentia eorum desumi, & cognosci debet ex his, quæ diximus supra de gradibus dignitatum, & nobilitatum in proprijs quæstionibus, & articulis. Sicut enim debet aliquando attendi causa præcedẽtiæ generica, aliquando verò specifica in prædictis dignitatibus, et nobilitatib⁹ vt in dictis locis adnotauimus; ita etiã hoc, idẽ est dicendũ de gradibus dictarũ professionum, & professorũ. Quòd autem huiusmodi gradus dentur etiã in prædictis professionibus, vt diximus supra, & probat etiam Abb. in c. cum in cunctis de elect. Vnde tota difficultas remanet circa modum illos cognoscendi. In hoc autem nunquam hactenus obseruare potui certam regulam, & propterea puto relinquendum arbitrio Iudicis, arg. ex aminis, quod fit de illis, qui volũt promoueri ad aliquem ordinem, seu beneficium. Licèt enim canones, & cõcilium Trident. communi consensu definiant neminem esse promouendum ad aliquod officium, seu dignitatem, nisi idoneum. Hæc tamen idoneitas a nemine definitur, vt hacten⁹ videre mihi licuit. Ideò remanet in arbitrio iudicantis, quamuis aliqua via probetur aliquãdo quis idoneus, vt docet Mascard. in d. suo tract. de proba. conclus. 887. per tot. Aliquando verò quis præsumitur talis, idem author ibidem conclus. 878 Ex parte verò professoris hæc videtur animaduertenda. Primo quatenus talis professor sit simpliciter talis, tunc.

non videtur posse præcedentiã prætendere, nisi ex aliquo capite de prædictis. Secundo quatenus eam exercet, & sic de eo sumus dicturi in seq articulo. Tertio quaten⁹ exercet sub tali, vel tali forma, seu modo, qui cũ possit esse diuersus, vt diximus etiã supra in quæstione de dignitate, & nobilitate, ideò præcedentia in tali casu est aliquando concedenda, aliquando verò deneganda, Repugnat enim iuri, & rationi vt præcedentia ei exhibeatur, qui abiectè, & modo vili suam professionem exercet, vt diximus etiam supra. Quarto deniq; esset etiam qualitas huiusmodi grad⁹ consideranda, cum non cuilibet præcedentia concedi debeat, ne inde oriatur illud absurdum, quod concedat etiam doctorellis, cum de iure sit omnino clarum solum gradum scientiæ sufficientem, & eminentem haberi in consideratione iuxta tradita in d.c. cum in cunctis.

An professoribus prædictarũ professionum, & artium competat præcedentia, si professionẽ non exerceant. *Art.* 21.

PRo intelligentia illius articuli debemus præsuponere, quòd professores prædictarum professionum, & artium habent de iure diuersa priuilegia, atque immunitates, vt vnicuique iu iure perito puto notum. Et ad hoc facit totus titulus de excusat. artific. C. lib. 10. Qua de re dubitãt docto. an priuilegia, & immunitates huiusmodi cõpetant professoribus simpliciter, vel potius ratione qua suam professionem exercent. In qua difficultate secundum vnam opinionem videtur de iure dicendum prædicta priuilegia competere professoribus simpliciter, & non ratione exercitij. Si enim aliter esset frustra darentur priuilegia scolaribus doctoratũ seu licentiaturam in publicis gymnasijs recipientibus. Quod cum non sit dicendũ merito &c. Confirmatur quia si talis professor ad finem prædictum debeat suam professionem exercere, ad id, aut est obligatus ob propriam vtilitatem; aut ob publicam, aut ob alienam Non primum quia repugnat rationi, doctorem priuari suis priuilegijs. Si proprio commodo per suam professionem non dat operam, cum illi possit renunciare, l. pen. C. de pact. cum vulga. Non secundum, quoniam satis videtur esse ipsum esse paratum si requisitus fuerit prædictam professionem ad vtilitatem publicam applicare, ideò aliud non videtur necessarium, iuxta tradita per doctores in l. acceptam, C. de vsur. Non denique tertium quia nullibi reperitur cautum aliquem professorẽ esse obligatum suam professionem applicare ad vtilitatem alicuius tertij nisi in certis casibus, vt docent Canonistæ in c. 1. de offi. iudi. & proptetea hæc opinio videtur sequẽda, eoque magis, quo si priuilegia conceduntur scholaribus iux. tot. tit. de priuileg. scholariũ. C. lib. 12. non debẽt denegari prædictis doctoribus &c. In cõtrariũ est opinio negatiua quòd videlicet null⁹ artifex, & sic doctor gaudere valeat suis priuilegijs, nisi actu suam professionem exerceat. Primo quia multi doctores ita sentiunt, Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. casu

casu 379, numero 12. & seq. Ioseph Ludouicus in sua decis. Luca. 6. Rol. a Vall. in cons. 66. numero 40. 41. vol. 1. Rip. in suis respons. tit. de muner. & honor. respons. 1. numero 9. Guid. Pa. in sua decis. 88. cum additionibus ad eum. Vbi adnotatur etiam oppositum. Et facit etiam text. quem ad hoc allegant docto. in l. Medicos C. de professoribus lib. 10. Ratio autem illa videtur esse, quia doctor simpliciter consideratus videtur inutilis, cum suam professioné non exerceat, oppositum apparet de doctore illam exercente. Vnde remanet dubium, vt videamus, quæ nam opinio sit magis vera. Et propterea secundo loco hæc negatiua opinio confirmatur quia secundum Philosophos perfectio consistit potius in actu, quam in habitu, cum ratione habitus dicatur esse in potentia. Rursus quamuis habens artem habitu possit esse vtilis Reipub. vtilior tamen est qui eam actu exercet, & propterea idé quòd supra. Præterea si scholaribus conceduntur priuilegia, alia ratione id nõ contingit, nisi ad excitandos alios ad studia, & postquam artem, vel scientiam acquisiuerint, illam exerceant ad vtilitatem publicam arg. tex. in §. fi. in prohem. institut. cum ibi adnota. Cæterum hic occurrit dubium. An videlicet ille doctor debeat huiusmodi priuilegijs gaudere qui non solum indignè gradum doctoratus assumpsit, verũ etiam indignè vlterius illum exercet, atque per huiusmodi exercitium ignorantiam suam demõstrat, vt de nonnullis experientia docet. Ad hoc respondetur, quòd huiusmodi doctores, cũ nil aliud habeant, nisi arrogantiam, & multa prætendant, atque nihil habeant præter priuilegium pecorinum non solum nõ debent gaudere prædictis immunitatibus, verum etiam de iure sunt priuandi gradu doctoratus. Abb. in c. 1. in fi. de Magistr. probat tex. in l. Grãmaticus, C. eod. de professor. & ibi doct. Qua de re huiusmodi doctores aut sunt, vt dicit Tho. Triuis. in præfatione suarum decis. doctorelli, aut sunt illis deteriores. Quæ omnia vñt extendenda etiã ad alios artifices, & præsertim ad certos milites, atq; militũ duces, qui nil aliud de eorũ professione profitentur, nisi deferre ensé, & in reliquis penit⁹ sunt imperiti. Postquam vidimus quid meo iudicio sit tenendum pro solutione istius articuli, reliquum est modo respondere ad obiecta. Vnde ad primũ vidimus negandam esse consequentiam, siquidem scholaribus dantur priuilegia in eorum etiam promotione ad doctoratum, seu licentiaturam, ad hoc, vt professionem debito tempore ad bonum publicum exerceant. Quam si exercere nolint, vel quia sunt ignorãtes, vel quoniam exercitium nõ placet, sed solùm gaudent nudo nomine doctoratus, reddunt propterea se indignos. Vnde conuenit iuri, & rõni, vt prædictis priuilegijs similiter priuentur. Hoc tamen posset limitari si promoueretur ad aliquod officium, in quo nequeant exercere suam professionem, vt sæpè videmus de diuersis doctoribus promotib⁹ ad aliquod beneficium ecclesiasticum, & sic argumentum non videtur obstare. Ad id autem, quòd in confirmatione adducebatur, respondetur quòd sub

vtroque respectu, idest publico, & priuato debet professor suam professionem exercere, siquidem interest Reip. vt quilibet artifex exerceat artem suam, atq; hac de causa videtur statutũ, quòd certi artifices nequeant impediri, ne artem suam exerceant, iuxta totum titulum Cod. de commerc. & merca. Per exercitium.n. prædictarum professionum de Rep. tollitur otium, quod est causa, & origo omnium malorum, ciuium bona augentur, & Respub. quotidie magis perficitur. Vnde debemus concludere magis veram esse illam opinionẽ, quòd prædicti professores debeant suis priuilegijs gaudere ratione exercitij, & sic in casu præcedentiæ dicimus illam deberi non professoribus, sed professionem exercentibus, iuxta tradita in d.l. cum quid. ff. si cert. pet. cum vulg.

QVÆSTIO X.

De præcedẽtia hominis ratione ciuilitatis.

Artic. 10.

INTER causas præcedentiæ obseruo reperiri, & connumerari ipsam ciuilitatem, & propterea inter ciues tam vnius, & eiusdem ciuitatis, quàm etiam inter ciuitates diuersas videmus sępè oriri aliquã controuersiam de ea, ea præsertim rõne, quia ciuitates, & etiam ciues sunt inter se inæquales, imò loca quædam, quæ castra, & terræ solent nominari in aliquo casu præcedentiam prætendunt. Hinc est, quòd post causas, de quibus supra in alijs quæstionibus explicatas expediens esse iudicaui de re propsita in præsenti nonnulla adnotare, de qua videndũ est, videlicet,

1 Quid sit ciuilitas.
2 An inter ciues detur præcedẽtia.
3 Quotuplex sit ciuilitas, & ciuis.
4 An ciuilitas admittat magis, & minus.
5 Quomodo detur præcedentia inter ciues diuersarum specierum.
6 Quomodo detur inter ciues eiusdem speciei.
7 Quomodo illa detur inter ciues diuersorum locorum, & ciuitatum.
8 Qua via ciuilitates, & ciues cognoscantur.
9 Quid iuris si de aliqua ciuilitate ciui, & ciuitate dubitetur.
10 An sit facienda differentia inter ciuilitatem, ciuem, & locum.

Quid sit ciuilitas.
Art. 1.

DOcet D. Tho. 1.2. q. 90. artic. 2. ad mentem Philosophi primo Politic. quòd ciuitas est perfecta cõmunitas. Hæc descriptio licet sit a doctissimis viris tradita, non videtur tamen vndique satisfacere, cũ dubiũ remaneat circa eius intelligentiam. Scimus enim perfectũ id esse, quod constat ex tota causa, iuxta l. 1. ff. de orig. iur. Et propterea ad illam, eiusque cognitionem possit aliquid desiderari. Vnde describitur ab alijs, quòd ciuitas nil aliud sit, nisi hominũ multitudo societatis vinculo coadunata

adunata, vel, quòd sit communitas quædam ex pluribus constituta vicis habens per se terminum omnis sufficientiæ ad vitam. Quas definitiones refert Card. Zabarell. in clemen. dudum, vers. seu. §. extra ciuitates, nu. 4. de sepult. ad mentem S. Isidori, & Philosophi. Geminia. ad c. si ciuitas, de senten. excommu. in 6. Ad primã definitionem a Zabarel. relatam addit. partic. ad simul iure viuendum: & propterea non saxa ipsa, & ædificia, sed habitatores ita viuentes dicuntur ciuitates. Rursus referendo alias definitiones dicit, quòd secundum aliquos ciuitas sit collectio multorum hominum Episcopatum habens, & follatis vallata. Secundum alios verò est multorum hominum honesta conuentio in loco certo ædificia vicina, construentium ad simul iure viuendum: vel est collatio ædificiorum facta per multitudinẽ hominum simul habitare volentiũ. Alterã ex istis definitionibus refert ẽt Albe. in suo diction. in verb. ciuitas. Quid autẽ intelligere debeamus per huiusmodi terminum vltra doct. in d. c. si ciuitas, videndus est Castren. in l. ex hoc iure, nu. 26. ff. de iusti. & iur. Felin. in c. Rodulphus per plures numeros de rescrip. Gozad. in consil. 5. nu. præsertim 4. & Hierony. de Monte in suo tract. de finibus c. 5. Et cum ciuitas quoad substantiam eius attinet longè melius declaretur a Philosophis Politicis, quam ab alijs, ideò ad mentem eorũ, & præcipuè Christophori Canapitij in suis Epitom. ad lib. Politic. Arist. 3. tract. 1. dicim⁹ quòd ciuis accipitur dupliciter, videlicet largè, atque strictè. Largè etiam serui, & aduenæ dicuntur ciues secundum quandam similitudinem. Item etiam illi, qui subijciuntur iurisdictioni ipsius ciuitatis. Item pueri, & similes. Strictè autem illi sunt ciues, qui participant de regimine ciuitatis, & propterea ciuis propriè dictus dicitur ille, qui est habilis, & idone⁹ ad regimen ciuitatis in consulendo, iudicando, vel alium actum ad bonũ illius exercendo. Ex quo infertur, quòd ciuitas sit multitudo, siue congregatio huiusmodi ciuium, idest hominum, quibus inest habilitas potentiæ publicæ consiliatiuæ, & iudiciariæ, vt sufficienter, & simpliciter viuere possint. Hinc notã vlterius idẽ esse ciuem, & virum bonum, licèt vir bonus aliquando distinguatur a ciue. Idque contingit secundum significatum illius vocis boni, & applicationis eiusdem, vt exẽpli gratia, qui est vir bonus ad regimen nauis, non videtur propterea ciuis bonus, ob diuersitatem bonitatis. Vnde vno respectu sunt idem, aliã ratione differunt. Et propterea ciuis debet esse virtuosus, & prudens, vt sit idoneus ad prædictum regimen. An autem omnes possint esse participes de regimine ciuitatis fuit aliquando dubitatum, atque cũ distinctione diuersæ politiæ fuit huiusmodi dubium solutum. Hæc omnia obseruaui ad mentem aliorũ, nunc meo iudicio puto animaduertendum, quod ad intelligentiã istius articuli tres termini debent considerari, videlicet ciuitatis, ciuis, & ciuilitatis. Quoad ciuitatem attinet satis est adnotare vnam de prædictis definitionibus, vt supra relatis, cum altera earum deseruiat ad finem propositum.

tum. Quoad ciuem verò puto illum dupliciter esse considerandum. Primo simpliciter, & sic, vt est vnus de illa multitudine hominum, in ciuitate, vt supra definita contentorum. Secundo, vt est vnus de eadem multitudine, sub ea tamen ratione, qua debet esse particeps commodi, & incommodi, munerum, & honorũ prædictæ ciuitatis. Vnde in proposita materia sub vtroq; respectu accipi debet, vt ex infra dicendis apparebit. Tertio quoad ciuilitatẽ attinet, quãuis apud aliquem adhuc non viderim quo modo illa definiri debeat, posset tamen meo indicio ita describi, vt sit ius quoddam consequendi honores; substinendiq; onera illius ciuitatis, cuius quis dicitur ciuis. Sicut n. scientia est quidam habitus, quo quis est sciens; ita etiam ciuilitas est ius quoddam, quo quis est ciuis alicuius ciuitatis, & particeps munerum, & honorum eiusdem. Et cum per hæc habeamus (ni fallor) quid erat animaduertendum pro solutione articuli: ideò non oportet vlterius procedere.

An inter ciues detur præcedẽtia.

Art. 2.

AD ostendendum inter ciues nõ dari præcedentiam melior ratio fortasse assignari nequit, nisi quòd inter eos vtilius est conseruari æqualitatem, cum ita conueniat secundũ rationem regiminis Reipub. vt diximus etiam supra. Confirmatur, quia sicut de iure inter filios in diuisione hæreditatis paternæ ab intestato conuenit seruare æqualitatem. l. vt liberis, cum ibi adnot. C. de collation. §. si plures, institut. de legit. agnato. succeß. §. si plures, instit. de hæred. insti. Et propterea in dubio interpretatio videtur facienda pro æqualitate iuribus vulg. Hoc idem probat text. in l. cum pater. §. pater cum plures. ff. de lega. 2. Hinc est, quòd plures ob rationem æqualitatis reducũtur ad vnũ clem. 2. de iur. patro. Dec. in consil. 122. nume. 5. Vnde non oportet pro hac parte vlterius procedere, cũ ius nil aliud sit nisi ars boni, & æqui. l. 1. ff. de iusti. & iur. Cæterum in contrarium est ipsamet veritas, cum in qualibet ciuitate uideamus ciuium quosdam maiores, quosdam verò minores ob paupertatem, uel diuitias, ob exercitium alicuius artis liberalis, vel mechanicæ, atque ob alias diuersas qualitates, & accidentia naturalia, uel artificialia: & propterea quidam sunt optimis naturæ dotibus orнati, & successiuè a natura ad regendum apti, vt docet Arist. primo Politic. quidam verò secus. Quæ omnia confirmantur vera per ea, quæ diximus supra præsertim in præcedenti articulo. Ad hæc accedit, quod ciuitas, ut sit perfecta debet esse bene ordinata, & in suis partibus disposita, cum clari sit iuris, quòd ubi reperitũ ordo reperiatur perfectio, & per oppositum imperfectio detur vbi ordo non inspicitur. Et cum ubi est ordo, ibi detur etiam præcedentia, ut diximus supra q. 2. ideò non est recedendum a prædictis: cum nos præsupponamus ciuitatem esse ordinatam, & in suis partibus bene dispositã. Quare cum ab hac conclusione non sit recedendum, eoq; minus, quo si homines

mines simpliciter sũt inæquales, hoc idem est affirmandum de ciuibus. Reliquum est propterea, ut respondeamus ad obiecta; ad quæ dicimus in communi, quòd æqualitas duplici ter considerari potest, primo secundum proportionem, atque sub hoc respectu dando unicuique quod sibi debetur secundum debitum iustitiæ, datur æqualitas, & ita est intelligenda definitio illius virtutis, tradita à iurecõsul.in l.iustitia.ff.de iust.& iur. & declarata à D. Tho. cæteris omissis.2.2.q.58.art.11. Secundo consideratur eadem æqualitas ad pondus, atque sub hac ratione solùm in certis & specialibus casibus illa omnino seruatur. Vnde obiecta limitatiuè intelligi possunt,& successiuè oppositum regulariter est tenẽdum, nũc specialiter respondendo dicimus æqualitatem in Repub.esse seruandam ratione modi regendi,ita uidelicet, ut quilibet ciuis promoueri possit ad primum gradum honoris illius regiminis, unde damnatur regimen illius ciuitatis,in qua talis æqualitas nõ seruatur sicut laudatur,atque summopere augetur ciuitas illa, in qua prædicta æqualitas custoditur, ut nõ semel obseruaui in Rebuspub.bene ordinatis. In ciuibus autem priuatis, & ut tales consideratis, sicut hæc æqualitas non reperitur per deducta, ita et obiecta non subsistunt. Ad id autem, quod in confirmationem adducebat dicimus, quòd sicut successio, & distributio bonorum prouenit aliquando a lege,& aliquando ab homine; ita etiam aliquando est æqualis, & uniformis,qualis est ipsamet lex;aliquando verò inæqualis,& difformis. vt est voluntas hominis,cum sit ambulatoria vsque ad mortem.l. 1. cum ibi adnot.C.de sacrosan. eccles. Minus etiam obstat definitio iuris, cum illa sit intelligenda iuxta declarationem vt supra relatam ad æqualitatem iustitiæ.Quá de re, vt concludamus, cum prædicta æqualitas non tollat præcedentiam,sed solùm illam diminuat non simpliciter,sed incerto tan tum casu,vt cõstat ex deductis, ideò vera remanet solutio ad articulum; quòd videlicet inter ciues detur præcedentia.

Quotuplex sit ciuilitas,& ciuis. Art. 3.

Obseruo distinctionem magis cõmunem de ciuilitate,& ciui illã esse,quòd sicut acquiritur origine,domicilio,& priuilegio; ita quoq; triplicem reperiri, & propterea ciuis vnus dicitur originarius;alius domicilij,& incola;& tertius priuilegiatus. Quæ distinctio quamuis a doctorib' approbetur, vt tamen plenam cognitionem de re proposita habeamus; puto animaduertendum ciuilitatem acquiri,& ciuem creari, aut dispositione iuris,aut facto hominis.Dispositione iuris contingit concurrente natiuitate,& sic origine,& aliquando domicilio,& sic habitatione a lege definita.Quoad originem est tex. in l.ciues.C.de incolis,lib.10. Quo ad habitationem verò est tex. in l.2. C.eod. De vtroque autem est adnotandus tex.in c.3.de tempor.ordin.in 6. Facto hominis idem habemus manumissione,adoptione, electione.d. l.ciues,ac etiam priuilegio.l.priuilegio.

gio. C. eod. De quibus quidem modis, quamuis iura prædicta sint clara, doct. tamen adnotát alios modos ciuilitatem acquirendi, & successiuè quot sint ciues. Vnde Lucas de Penna in d.l.ciues docet aliquem esse ciuem propria, & aliquando paterna origine. Item manumissione ité adoptione, item electione. Atque vlterius secundum aliquos regeneratione, & sic per baptismum, de quo videnda est Bulla Pauli III. qua clarius hoc definitur. Denique legitimatione. Hæc doctrina approbatur etiam per Barto. in l. 1. ff. ad municipal. siquidem numero 2. docet ciuilitatem acquiri origine, vt supra atque addendo dicit, quod si quis natus fuerit in castro alicuius ciuitatis, nihilominus dicitur ciuis illius, iuxt. l. qui ex vico. ff. eod. Hinc nota, quod comitatẽsis dicitur vtique ciuis; sed non ita propriè, vt clarius apud eundem Bart. ibidem habetur numero 3. 4. 5. Docet iterum idem author sub numero 7. 8. 9. idem quod supra de manumissione, baptismo, & adoptione. Sub numero autem 10. 11. 12. & 13. demonstrat, quòd: si quis fiat Monacus, exempli gratia S. Petri, efficitur similiter ciuis, cum Monacatus constituat personam in meliori statu. Dicit vlterius sub numero 16. ciuilitatem acquiri etiam receptione. Denique ad mentẽ eiusdem authoris in l. fi. §. item rescripserunt, numero 3. ff. eod. ciuilitas acquiritur etiam matrimonio. Hactenus vidimus de articulo proposito quid erat adnotandum ad mentem aliorũ, nunc meo iudicio animaduertẽdum est tria esse genera hominum, quantũ tamen facit ad rem propositam, quidam enim sunt ciues, quidam comitatenses, & quidã forenses. Ciues propriè dicti sunt illi, qui reperiuntur nati in tali ciuitate, cuius sint ciues iuribus adductis. Comitatenses, licèt dicantur ciues iux. d. l. qui ex vico, impropriè tamen sunt tales, & propterea Bart. in d. l. 1. nu. 4. docet Comitatenses ad maiora munera teneri, quàm ciues. Forenses verò sunt illi, qui nil commune habent cum ciuitate, de cuius ciuilitate agitur. Ex hoc inferri potest, quòd ciuis propriè dictus sit originarius tantum ratione propriæ, vel paternæ originis, iuxta tradita à Bar. in l. assumptio. ff. eod. & Luc. de Penna in l. filios. C. de municip. & origi. lib. 10. Impropriè verò etiam comitatensis est ciuis, forensis autem nullo modo. Rursus ciuitates, quamuis habeant aliquid commune, in multis tamen inter se differunt. Hinc obseruo ciuitatem vnam esse maioris, alteram verò minoris populi, iux. tex. cum ibi adnotatis in c. 1. de priuileg. Quasdam habere Episcopatum, & Episcopum; quasdam verò secus; iterum quasdam gaudere maioribus priuilegijs; quasdam verò minoribus; & denique quasdam viuere maiori politia, quasdam verò minori. Ex quibus omnibus puto inferendum diuisionem ciuilitatis esse desumendam aut ex parte ciuitatis, aut ex parte modi illam acquirendi. aut ex parte temporis. Primo modo sicut ciuitas non est vnica, sed multiplex, vt diximus; ita etiam hoc idem est dicendum de ipsa ciuilitate. Qualitas autem, & multiplicitas ciuitatũ cognoscitur tam ex deductis, quàm etiam ex omnibus causis, ex quibus

conſtat ipſamet ciuitas, de quibus, quantum facit ad inſtitutum noſtrū, infra dicemus, & eſt adnotandus etiā Hieronymus de Monte in ſuo tract. de fin. regen. cap. præſertim quinto. At ſecundo reſpectu dicimus, quòd ſicut modi acquirendi ciuilitatē ſunt plures, & diuerſi, vt ſupra relati; ita quoque multiplex eſt ipſa ciuilitas. Sed contra hoc occurrit dubiū, quod ſi quis, poſtquam factus fuerit ciuis debeat gaudere honoribus, & ſubſtinere munera reliquorum ciuium, vnica videtur propterea ciuilitatis ſpecies, cum omnes ciues ſint in prædictis oneribus, & muneribus æquales. Cui obiectioni puto reſpondendum illam verificari quoad huiuſmodi effectum recipiendi honores, & ſubſtinendi munera prædicta. Alia verò ratione, ac reſpectu ſecus eſt dicendum, & propterea non eſt a ratione alienum, quòd inter ciues vno reſpectu concedatur præcedentia, alio verò illa denegetur. Vnde in hac parte illud etiam addi poteſt, quòd ciuilitas acquiratur aliquando etiam titulo oneroſo, cum omnia ſint facta venalia, & ſic inde oritur alia ſpecies ciuilitatis, quod videlicet ſit ciuilitas oneroſa. Tertio denique modo ciuilitas ita diuidi poteſt, vt vna ſit tranſmiſsibilis ad ſuos deſcendentes, ſecus verò altera, iux. tradita per Barto. in l. aſſumptio. nu. 3. ff. eod. ad municip. Ex quibus omnibus cum habeamus (ni fallor) quotuplex ſit ciuilitas, ſucceſsiuè habemus ſolutionem ad articulum; ſi quid autem vlterius deſideretur, tam ex ſupra, quàm etiam ex infra dicendis cognoſci poterit, & propterea nō oportet aliud adno-

An ciuilitas, atq; ciuis admittant magis, & minus, & quomodo. *Art.* 4.

Ciuilitatem non admittere magis, & minus probatur illa ratione ſupra artic. 2. relata. Siquidem ſi poſt quam duo facti ſint ciues alicuius ciuitatis, ſequatur ipſos eſſe æquales quoad honores, & munera, non videtur propterea inter eos dari magis, & minus. Confirmatur, quia ſi aliter eſſet, aut alter eorum non eſſet propriè ciuis, aut prædicti honores, & munera non competerent eiſdē eodem iure ciuilitatis. Secundo admiſſo ciuilitatem, & ciuem eſſe multiplicem, vt diximus, tunc aut conſiderantur ratione qua differunt ſpecie, aut ratione qua differunt numero. Primo modo non datur magis, & minus, quia dicunt Philoſophi, quòd quæ differunt ſpecie, non differunt ſecundum magis, & minus, vt refert nouiſsimè Zimara omnino viden. in ſuis theor. theor. 54. in prin. & theor. 78. meritò, &c. In contrarium facit imprimis doctrina eiuſdem Zimaræ in d. theor. 54. col. 2. vbi legimus vltimas differentias accidentales admittere magis, & minus. Confirmatur quia ſicut in naturalib⁹ videmus omnes particulares non eſſe inter ſe æquales, & propterea adnotauimus ſupra ad mentem Ariſt. hominū quoſdam eſſe aptos ad regendum, quoſdā verò ad ſeruiendum, ita etiam hoc idem eſt dicendum in accidētalibus, & ſic de ciuilitate, de qua agimus. Ad hæc omnia accedit etiam, quòd ciuilitas eſt quædam qualitas, vt omnes videntur admittere, iux. ea, quæ

diximus supra. At quoniam suscipere magis, & minus est proprium istius prædicamenti, vt clarè habemus apud Philosophum lib. prædicamen. c. de qualitate, ideò idem, quod supra. Pro solutione puto animaduertendum hunc articulum duplicẽ habere intellectum, videlicet quoad ciuilitates differentes inter se specie, & quoad ciuilitates differentes numero: sequitur inde solutionem esse dandam aut respectu specierum, aut respectu indiuiduorum. Vnde cum conueniat solutionem dare sub vtroque respectu, ideò distinctè procedẽdo quoad species attinet, dicimus illas admittere magis, & minus, & successiuè ciuilitatem vnam esse maiorem, alteram verò minorem. Primo, quia sicut ciuitas vna est maior altera, vt diximus supra, ita etiam hoc idem est dicendum de ciuilitate. Secundo sicut modi acquirendi differũt inter se, & propterea vnus est efficacior altero, atque hac de causa legimus in l. origine. C. de municip. & origin. lib. 10. neminem posse priuari ciuilitate originis; ita quoque videtur de iure affirmandum ciuilitatem vnam differre ab altera, non tantum specie, sed etiam secundum magis, & minus, nunc quoad indiuidua pertinet idem puto dicendum, idque ea ratione, quia quamuis plures ciues, exempli gratia originis, conueniãt in hoc, quòd sint tales eadem specie ciuilitatis ad similitudinem iuris doctorum, qui quoad doctoratum attinet, in nihilo inter se differunt, inæqualiter tamen participant de prædicta ciuilitate, atq; hac de causa videmus quosdam frequentius promoueri ad honores, quosdam verò rarius. Hoc idem contingit de muneribus, & ita ex his constat prædicta indiuidua admittere magis, & minus. His accedit, quòd omnes de populo alicuius ciuitatis sunt ciues illius, & propterea ius, quo talis populus vtitur, dicitur ius ciuile. §. ius autem ciuile, cum §. seq. inst. de iur. natu. l. omnes populi. ff. de iust. vnde sicut talis populus diuiditur in plebeios, & patritios §. plebs autem eo. ita etiã ciues eiusdem ciuilitatis dicuntur inæquales, & admittunt magis, & minus. Confirmatur, quia ciuium quidam dant operam non tantum artibus mechanicis, verum etiam abiectis, & sic nõnulli sunt alijs longè inferiores, atq; successiuè non est recedendum a conclusione. Non obstant modò ea, quæ in contrarium supra sunt adducta, quia ad primum respondetur, quod quoad effectum ratione tamen potentiæ omnes ciues vidẽtur æquales, ex quo omnes possunt promoueri ad quemlibet honoris gradum. Ratione autem actus, & executionis secus est dicendum, vt constat ex deductis. Vel dicas secundo loco, quod potest denegari omnes ciues quoad honores, & munera esse æquales, cum non omnes à natura, vel a fortuna sint ad prædicta eodem modo habiles, sed potius secundum magis, & minus, & propterea de iure honores secundum aptitudinem personæ sunt concedendi, sicut munera secundum qualitatem eiusdem sunt imponẽda. Ad secundum autem non oportet specialiter respondere, cum per deducta supra clarè constet an, & quomodo ciuilitates tã ratione specifi-

ca,

ea, quàm etiã ratione indiuiduali admittant magis, & minus. & ſucceſsiuè argumentum non concludere.

Quo modo detur præcedentia inter ciues diuerſarum ſpecierum. Art. 5.

PRæcedentia dari inter ciues diuerſarum ſpecierum ſatis clarè infertur ex his, quæ diximus in præcedenti articulo ſicut enim inter eos datur magis, & minus, ita etiam vnus ciuis vnius ſpeciei videtur maior altero alterius, & conſequẽter inter eoſdem datur præcedentia. Rurſus ſicut in naturalibus vna ſpecies eſt maior altera ratione perfectionis, vel alteri' accidentis, & propterea homo tanquam ſpecies nobiliſsima dominatur omnibus alijs, vt legimus in geneſi. c. 1. ita quoque hoc idem eſt dicendum in materia propoſita. In contrarium verò facit comparatio facta a Philoſophis de ſpecie ad numerum dum dicunt ſpecies aſsimilari numeris. Vnde ſicut numeri non admittũt magis, & min', & propterea ſpecies vna numeri non eſt maior altera, ita etiam hoc idem videtur dicendum de ſpeciebus ipſius ciuilitatis. Pro ſolutione tenenda eſt concluſio, quod ſpecies ciuilitatis ita ſe habent ad inuicem, vt vna ſit maior altera, & ſucceſsiuè inter eas detur præcedentia ob rationem ſupra aſsignatam. Nec debet obſtare, quòd in contrariũ adduximus, quia reſpondetur, quod licèt ſpecies aſsimilentur numeris, nõ propterea aſsimilantur in omnibus, & per omnia. Sicut enim numeri cõueniunt in ſubſtantia numerali ita ciuilitates conueniunt in ſubſtantia ciuili. Differunt autem quia docet Lucas de Penna in d. l. ciues ante finem d. tit. C. de incol. lib. 11. quòd ciuilitas cõtracta ratione baptiſmi eſt maior quauis alia propter fidem, eiuſq; reuerentiam, atque fauorem. Secundo præferenda eſt ciuilitas manumiſſionis, quia manumiſsus de nihilo factus eſt aliquid. Tertio præferenda eſt ciuilitas adoptionis, cum adoptio mutet originem. Vltimò eſt præferẽda ciuilitas electionis, & aſſumptionis. Hæc doctrina, licèt ſit notanda, tamen non videtur vndique ſatisfacere, & propterea meo iudicio pro ſolutione iſtius articuli debemus animaduertere, quæ nam ciuilitatis cauſa ſit potentior, cum a potentiori medio ſit deſumenda præcedẽtia, vt notoriè conſtat ex his, quæ diximus ſupra in alijs quæſtionibus. Vnde obſeruo in iure, & apud doct. vt etiam diximus ſupra ciuilitatem acquiri in eadem ciuitate origine, domicilio a lege definito, priuilegio, manumiſsione, adoptione, matrimonio, baptiſmo, legitimatione, aſſumptione, monacatu, clericatu, emptione, & aliquãdo ſumus in dubio. De quibus quidẽ cauſis videndi ſunt docto. in d. l. 1. l. aſſumptio. ff. ad municip. in d. l. ciues. De caſu autem dubio eſt videndus Luc. de Penna in d. l. ciues, & Bart. in d. l. 1. numero 21. Hoc præmiſſo duo nunc breuiter ſunt conſiderãda. Primum qua via altera de prædictis cauſis cognoſcatur maior. Secundũ quid iuris ſi plures cauſæ de prædictis in vna, & eadem perſona concurrant. Quoad Primum adhuc non obſeruaui meliorem regulam ad id

cognoſcendum, niſi dicamus prædictarum cauſarum quaſdam dependere a diſpoſitione legis, alias a legitimo ſuperiore ad id iuriſdictionem habente, nonnullas a priuata poteſtate, atq; quaſdam alias a prædictis ſimul iunctis. Vnde ſicut cauſa dependẽs a legitimo ſuperiore videtur maior quauis alia, argumento eorũ, quæ nos docent doct. de iudice delegato in rub. de off. eius, & de poteſtat. iudi. deleg. Ita etiam hoc idem videtur dicendum de iſta ciuilitate. Rurſus ſicut authoritas publica eſt maior priuata, l. 3. C. pe iuriſd. om. iudi. cum ibi adnot. ita etiam ciuilitas inde orta videtur eſſe eiuſdem naturæ, & ita de reliquis puto dicendum. Quibus addi poteſt præcedentiam iſtam deſumi, & cognoſci aliqñ etiã ab effectu. Ex quo enim ciuis vnius ciuilitatis poteſt facilius conſequi maiorem vtilitatem, quàm alter alterius, & propterea erit maior altero, ideò etiam ex hoc capite, idem quod ſupra affirmamus. Quoad ſecundum verò non videtur poſſe dubitari, ſiquidem ſi ſæpè ab vna cauſa deſumitur, & cognoſcitur præcedentia, illud idẽ immò multò magis, eſt dicendum quando plures concurrunt, & propterea remanet ſolum, vt videamus quid ſit tenendum in caſu dubio, de quo vltra doct. lo. cita. dicimus eſſe recurrẽdum ad debitas rerum coniecturas iuxta vulgarem. l. continuus, & ibi gloſ. & doct. ff. de verb. oblig. & ita ſecundum illas iudicare quid ſit de iure tenendum. Et propterea pro ſolutione iſtius articuli non occurrit aliud adnotare.

Quomodo detur præcedentia inter ciues eiuſdem ſpeciei ciuilitatis. Art. 6.

SIcut vnus doctor non eſt magis doctor altero argu. glo. ſuper. §. quod ſi eligentium, in verb. authoritate, inſti. cano. de elect. ita etiam vnus ciuis non videtur magis ciuis altero. Secundo ſi inter ciues daretur præcedentia, id contingeret, aut ex parte ciuilitatis, & hoc non eſt dicendum, vt diximus in primo argumento, aut ex parte effectus, & tunc ſimiliter vnus ciuis, non erit maior altero. Siquidem ſtatim quo duo facti ſunt ciues per priuilegium æqualiter, ſtatim videntur participes ipſius ciuilitatis, ergò idem quod ſupra. In contrarium verius eſt de iure reſpondendũ illa præſertim ratione, quia ciuilitas cum ſit quædam qualitas, & conſequenter admittat magis, & minus, ſucceſsiuè dicitur inter ciues producere præcedentiam, prout etiam in practica quotidie videmus. Pro ſolutione debemus præmittere, quod ciues eiuſdem ſpeciei, vt exempli gratia originis, vel domicilij ad hoc, vt inter eos cognoſcatur præcedentia, de qua agimus, oportet illam conſiderari aut ex parte perſonæ ipſorũ, aut ex parte ipſius met ciuilitatis, aut ex parte finis, ad quem huiuſmodi ciues dirigunt ſuam operationem: aut ex parte temporis, aut ex parte loci, aut ex parte modi, aut ex parte medij, aut denique ex parte effectus. Clara enim, & vulgaris eſt concluſio in materia morali attendendas eſſe omnes circumſtantias ad cognoſcendum quid iuris de aliqua quæ-

ſtione

stione, can. non satis, distin. 86. distin. 29. per tot. cap. sicut de homicid. cũ vulg. Quæ quidem iuris coucluſ. est adeò vera, vt quoad vtramque iustitiam, commutatiuam videlicet, & distributiuam locum habeat. l. vt facta ff. de pæn. can. ius militare distinc. 1. Vnde sub primo respectu ea ratione inter prædictos ciues datur præcedẽtia, quia eorum quidam sunt plebei, quidam artifices, quidam nullius exercitij, quidam prudentes, quidam verò imprudentes, & denique quidam vnius, quidam verò alterius qualitatis. Vnde sicut reperiuntur inæquales, ita quoque necessariò vnus est maior altero, quamuis conueniant in eadẽ specie ciuilitatis. At sub secundo respectu non videtur possibile inter eosdem dari præcedentiam, nisi dicamus, quod exempli gratia ciuilitas originis licèt sit vna species, potest tamen contingere quod origo vna sit antiquior, & sic maior. Sub tertio respectu ille ciuis debet de iure præcedere, qui operationes suas dirigit ad bonum publicum, quod priuato semper est præferendum, c. bonæ memoriæ, de postul. prælat. il primo & ibi glo. Videmus enim quosdam ciues, non tamen in omnibus ciuitatibus esse adeò studiosos iuris publici, vt negligant priuatum, quosdam verò è contra. Sub quarto autem respectu idem est dicendum ob rationem supra adductam, hinc videmus quosdam acquisiuisse ciuilitatem maiori, & longiori, quosdam verò minori præscriptione. Temporis enim longitudo, & antiquitas quantæ sit vtilitatis copiosè habetur apud Crauet. in in suo tract. de antiquit. tẽp. Sub. 5. respectu, idem quod supra, in facto, & in iure obseruamus, siquidẽ sicut ciues eiusdem met ciuitatis ita se habent ad inuicem, vt quidam habitent in nobiliori parte illius, quidam verò è contra; ita quoque ciues eiusdem non videntur ex hoc capite æquales. Sexto respectu difficile videtur adnotare quid iuris, nisi dicamus, vltra ea, quæ supra sunt deducta q. 3. artic. 11. quòd videlicet posset considerari modus habitandi, atque viuendi, qui sicut potest esse diuersus; ita etiã inter prædictos ciues potest dari inæqualitas, & sic præcedentia. Sub septimo autem respectu dicimus prædictam præcedentiam aliquando dari, aliquando autem denegari. Et ratio est, quia exempli gratia duo possent obtinere ciuilitatem per priuilegium, medijs tamen diuersis. Quæ sicut possũt esse licita, & illicita, itẽ ex gratia, & ad petitionem, & sic differre secundum magis, & minus; ita etiam hoc idem est dicendũ de prædictis ciuibus, eorumque præcedentia. Denique ex parte effectus debemus animaduertere illum considerari actiuè, & passiuè. Vnde sicut ciuis vnus potest esse in Republica vtilior altero, item potest participare de honoribus magis altero; ita quoque ex hoc capite potest esse maior, & sic alteri præcedere. Nunc reliquum esset respondere ad obiecta, verum quia satis clarè constat quid ad illa dici debeat: ideò non oportet vlterius procedere.

Quo-

Quomodo detur præcedentia inter ciues diuersorum locorum.
Art. 7.

ARticulus iste ex professo examinatur a Cassan. in suo Catal. glor. mun. par. 2. consider. 14. & par. 12. consid. 60. 61. Cæterum vt nos de eo aliquid adnotemus conuenit prius recensere, breuiter tamen, quid alij nos doceant. Cassaneus igitur in d. consideratione 14. videtur idē sentire, quod Deci. in c. Clerici de iud. Ciuem videlicet supremæ ciuitatis esse præferendum primario alterius loci inferioris, in reliquis autem considerationibus potius versatur circa relationem diuersarum ciuitatum, & oppidorum, quàm doceat quid iuris de re proposita. Apud alios aliud adhuc non obseruaui nisi quòd sicut datur duplex nobilitas, videlicet localis, & personalis, vt docet Osorius in suo tract. de nobilitate; ita etiam hoc idem affirmari potest de præcedentia. Vnde vt modo referam quid meo iudicio sit dicendum placet cognitionem, atque solutionem istius articuli esse desumendam aut ex parte ciuitatum, & locorum, aut ex parte ipsarum met personarum. Primo modo cum ex text. in l. si duas ff. de excus. tut habeamus ciuitates quasdā esse minores, quasdam maiores, & quasdam maximas, quibus addi potest quasdam minimas, & quasdam æquales sequitur inde, quod ciuis ciuitatis maioris sine dubio ex hoc capite præcedere debeat ciui ciuitatis inferioris, secus autem est tenendum si huiusmodi ciuitates essent inter se æquales. Vnde hoc habito respectu dubium remanet solum, vt videamus qua via cognosci valeat ciuitas minor, maior, maxima, minima, vel æqualis. De qua difficultate, quantum facit ad propositum institutum, quoniam satis fortasse diximus supra q. 7. art. 12. ideo non videtur necessariū illa hic repetere, & propterea ad ea me remitto. Sub secundo respectu dicimus præcedentiam esse ita desumendam, quòd videlicet ciues diuersarum ciuitatum possunt considerari tripliciter, videlicet, vt ciuis vnius ciuitatis sit in supremo gradu, alter verò alterius in inferiori, et terti⁹ in medio. Vnde in primo casu si ciues fuerint eiusdē gradus ad hoc, vt cognoscat quid iuris de eorū præcedētia, debet considerari qualitas ciuitatis, cum vna sit maior altera, siquidē in tali casu ciuis ille deberet præcedere, cuius ciuitas esset maior. Verùm dato huiusmodi ciuitates esse æquales, tunc ex hoc capite non daretur aliter inter eos præcedētia, sed aut esset locus gratificationis per deducta supra in alijs quæstionibus, aut oporteret considerare, & attendere alia præcedentia capita: At si prædicti ciues essent in tali gradu, vt unus sit in altiori, alter verò in inferiori, tunc oportet ulterius distinguere: siquidem, si ille, qui est in altiori gradu esset etiam altioris ciuitatis, tunc casus uidetur indubitabilis, cum ad istius fauorem faciat non tantum ratio specificæ præcedentiæ, & sic personæ, uerūetiam genericæ, uel quasi, & sic illius ciuitatis. Si uerò talis ciuis altioris gradus fuerit inferioris ciuitatis, & loci, alter autem ciuis fuerit in altiori gradu, sed inferioris loci,

ci,

ei, tunc quæstio est, an præcedentia loci, uel personæ sit attendenda, ut uideri potest apud Osorium lo. cita. In qua quid sit tenendum ob opinionem doctorum adhuc sub iudice lis uidetur esse. Placet tamen in ista difficultate potius præcedentiam personæ esse sequendam, quam præcedentiam loci. Et ratio est, quia præcedentia, quæ debetur propria uirtute uidetur efficacior reputanda, quàm præcedentia, quæ debetur aliunde. Saluo tamen, &c.

Qua via ciuilitates & ciues cognoscantur. Art. 8.

LVcas de Penna in l. ciues, ante fi. C. de incol. lib. 10. declarat quid iuris quando dubitatur de ciuilitate alicuius cum in facto sæpè contingat aliquem esse ciuem vnius loci, quia ibi est natus, alterius verò, quoniam in eo natus est eius pater. Rursus dicitur ciuis vnius loci ratione habitationis, & domicilij, alterius verò ratione priuilegij, & propterea dicitur, & est ciuis diuersarum ciuitatũ, & locorum, ita tamen, quòd de prædictis aliquando clarè constet, aliquando verò dubitatur, & cum ista quæstio examinetur præcipuè quoad munera substinenda, vt uideri potest etiã apud Barto. in l. 1. nu. 21. & seq. ff. ad municipalem, sub hoc respectu non pertinet ad rem propositam. Vnde ulterius procedendo dicimus imprimis, quòd solutio articuli desumi posset a doctrina Philosophi docentis omnem nostram cognitionem haberi aut a suis causis, aut ab effectu. Primo modo constat ex supra dictis in alijs articulis, ciuilitatem acquiri origine, domicilio, priuilegio, & alijs medijs supra relatis. Vnde sicut illa acquiritur medijs prædictis, ita etiã per eadem media cognoscitur, cum res sicut se habent ad esse, ita ad eañ cognitionem. Quibus addi potest, quòd sicut per causas in materia morali possumus etiam intelligere ipsas circumstantias; ita etiam per easdẽ ciuilitas, atque ciuis erit similiter cognoscendus. Ab effectu autem illud idem puto dicendum, siquidem cum uideamus aliquem in aliqua ciuitate haberi pro ciue, substinere onera ciuitatis, promoueri etiã ad honores, sine dubio pro ciue sit reputandus. Et ad hoc facit l. Barbarius, & ibi doctor. communiter. ff. de offic. Præt. vt modo referam, quid meo iudicio sit tenendum, placet propterea ita distinguere, quod cognitio ciuilitatis, & ciuis sub duplici respectu considerari potest; primo vt cognoscamus, an quis sit ciuis ad effectum, ut ciuilitatis priuilegijs gaudere valeat, & tunc videtur sequẽda doctrina, ut supra relata. Secũdo vt intelligamus, an ciuis vnus debeat præcedere alteri, & qua de causa. Et cum hæc præcedentia ex diuerso capite desumatur, vt clarè constat ex deductis in præcedentibus articulis; hinc est, quòd prædicta capita in theorica, & practica ad ciuilitatis, & ciuis cognitionem sunt inspicienda. Sub hoc enim respectu præsupponitur talem esse ciuem, sed solùm in dubium reuocat, an præcedere debeat, & qua de causa, siquidem sicut dubium de præcedentia potest esse inter ciues eiusdẽ speciei, vel unius, & alterius, rursus unius, & eiusdem ciuitatis, seu diuersorum

forum locorum, ita etiam diuersa capita sunt animaduertenda, vt inde cognoscatur quid iuris de re proposita. Quæ cum ex præcedentibus habeantur, non videtur propterea conueniens illa hic repetere. Ad hæc omnia vnum est addendum, quòd videlicet dubium de ciuilitate respectu præcedentiæ reduci valeat ad duo capita, quorum vnum dicitur quid iuris, alterum vero quid facti. Quoad primum cum eius solutio in practica dependeat a solutione secundi, iuxta dictum Imperatoris in l. vt responsum, C. de transact. ideò partes, inter quas orta esset talis controuersia, aut debet præsuponere factum, aut illud iuxta formam iuris probare. Quo sic deducto inde postea definitur primũ iuxta dispositionem iuris, atq; secundum ea, quæ supra hic, & in alijs articulis sunt deducta.

Quid iuris si de ciuilitate, & ciui dubitetur.

Art. 9.

SIcut diuersimodè potest dubitari de re proposita, ita etiam diuersa requiritur solutio, sed vt prius in cõmuni adnotemus, quid sit dicendũ, ideò dubium, quod oriri posset de ciuilitate, ac ciue, videtur considerandum aut respectu personæ ciuilitatẽ prætendentis simpliciter, aut respectu talis personæ in comparatione ad aliam. Primo modo, sicut ciuis tenetur ad munera suæ ciuitatis, & debet etiam honeribus eiusdem gaudere; ita quoque solutio ad huiusmodi dubium danda, potius fauorabilis, quam aliter est iudicanda. Quoad honores enim nemini videtur dubium quoad munera verò, licet res non sit vndiq; clara, placet tamen ob interesse publicum idem affirmare, & sic verificatur text. in c. odia in altera eius parte cum ibi adnotatis de reg. iu. in 6. Atque ad hoc facit doctrina Boer. omnino adnotanda in decis. 260. per tot. At secundo modo dubium, quod circa prædicta occurreret, strictè esset intelligendum, atque soluendum cum passim nos doceant doct. in l. beneficium ff. de constit. & in c. olim de verb. signif. quodcunque beneficiũ strictè esse intelligendũ quoad interesse tertij, ne ille in iure suo lædatur. Ex qua quidem communi doctrina, licèt habeamus (ni fallor) methodum soluendi dubia occurrentia circa d. ciuilitatem, & ciuem, nihilominus, vt aliquid in specie vlterius adnotemus, conuenit prius animaduertere qualia sint illa, cum ob qualitatem dubij diuersa sit danda solutio, arg. l. vt responsum C. de transactionibus. Obseruo igitur in practica, quòd de ciuilitate aliquando dubitatur an illa alicui competat. Vnde pro solutione tam distinctionem, vt supra datam, quã etiam ea, quæ in præcedenti articulo docuimus debent præsertim obseruari. Secundo dubitari pôtest, an tali, vel tali ciui competat præcedentia. Pro cuius quæsiti solutione, recurrendum esse puto ad ea, quæ diximus supra in alijs articulis sicut enim personæ contendentes de præcedentia possunt esse diuersæ, vt constat ex deductis; ita etiam diuersa sunt animaduertenda pro solutione similium controuersiarum. Tertio adhuc posset de rebus prædictis dubi-

dubitari aliquando simpliciter, & aliquando vt vocant ad hominem. Primo modo idē placet affirmare, quod supra diximus in alijs articulis. At secundo respectu sicut homo dubitans potest esse diuersus, ita etiam diuersimodè solutio esset danda. Ob diuersitatem enim hominum indubitando non videtur possibile dari certam regulam pro eorum dubijs soluendis. Illud tamen non est omittendum, quòd solutio aut dari debet per viā processus, & sic de eo dicemus infra in propria quæstione, aut extra illū, & sic aut per uiam compromissi, & tunc idem puto dicendum iux. l. 1. ff de arbitr. cum ibi adnot. aut iudicio priuato, & per viam compositionis, & transactionis. Atq; sub hoc respectu recurrendum esse existimo ad rerum circumstantias per ea, quæ diximus supra præsertim art. 6.

An sit facienda differentia inter ciuem, ciuilitatem, & locum.

Art. 10.

QVæ diximus supra q. 8. art. 12. faciunt etiam ad intelligentiam istius præsentis. Sicut enim est faciēda differentia inter personam nobilem, & nobilitatem, ita etiam inter ciuem, ciuitatem, & ciuilitatem. Siquidem ciuis non solum est ciuis; verum etiam talem, vel talem vitam ducit. Vnde sicut vnus viuit vita magis ciuili altero; ita etiam vnus est maior altero. Ciuitas autem ex eo differt a ciue, quo aliquando recipit, & aliquando dat dignitatem. Hinc videmus quasdam ciuitates esse famosas, & gloriosas ob excellentiam earum ciuium; quosdam verò ciues esse honore dignos ob nobilitatem ciuitatis. Atque hac de causa diximus supra dari nobilitatem loci, & personæ. Ciuilitas denique plura potest denotare, videlicet modum viuendi, ius recipiendi honores, ac etiam ius subtinendi munera. Ex quibus concludi potest, quòd sicut isti termini diuersa significant, argumento l. si idem. C. de codicill. ita quoque maximè differunt inter se. Hæc omnia sunt obseruata simpliciter, & secundum propriam naturam istorum terminorum. Cæterum cum in præsenti considerentur in respectu ad præcedentiam, ideò oportet vlterius animaduertere, quòd præcedentia potest cōsiderari aliquando inter ciuem, & ciuem, aliquando inter ciuilitatem, & ciuilitatem, & denique inter locum, & locum, & propterea ad intelligendum quid iuris in huiusmodi casibus erat omnino necessaria intelligentia prædictorum terminorum. Vnde in primo casu potest vnus ciuis præcedentiam prætendere aliquando ratione propriæ personæ, quæ sicut reperitur diuersa, ita etiam diuersum debet dari iuris responsum, vt exempli gratia si esset orta differentia inter duos ciues, quorum vnus habitat intra mænia ciuitatis, alius verò extra, tunc qualitas personę potest esse causa, vt de iure potius ad fauorē vnius, quam alterius responderi debeat, & successiuè aliquando pro vno, & aliquando pro altero. Rursus idem ciuis potest præcedentiam prætendere ratione ciuitatis, & aliquando ratione ciuilitatis. Vnde secundum qualitatem prædictam definiri debet quid

iuris. In secundo autem casu quando videlicet differentia de præcedentia esset inter ciuilitatem, et ciuilitatem, quæreret aliquis an causa illius assignari possit, cui quæsito nonnulli ita respondent, quòd sicut duo doct. vt doctores minimè inter se differunt, ita etiam duæ ciuilitates. In contrarium tamen verius est de iure affirmandum per ea, quæ diximus supra in alijs articulis. Quæ quidem solutio, vt clarius intelligatur, puto animaduertendum, quòd duæ ciuilitates possunt differre inter se numero, ac etiam specie. Rursus vnius, & eiusdē ciuitatis, atque diuersorum locorum, si differant numero, daretur inter eas præcedentia, si non aliter saltē quia vna esset antiquior altera. Si vero differant specie illud idem puto dicendum, cum species vna sit nobilior altera, vt supra demonstrauimus. Si denique essent diuersorum locorum, illud idem puto dicendum. In tertio autem, & vltimo casu non videtur necessarium hic specialiter aliud adnotare, cum solutio eius satis clara habeatur (ni fallor) ex deductis supra tam in præsenti, quam etiam in alijs articulis. Et propterea, vt concludamus ex his omnibus habemus inter prædictos terminos dari differentiā, & quo modo illa applicari debeat ad casum præcedentiæ quando inter illos de ea oriatur controuersia. Si quid autem in hac parte vlterius desiderari posset, quoniam habetur, vt puto ex supra dictis in alijs articulis, ideò non oportet hic aliud animaduertere.

QVÆSTIO XI.

De præcedentia ratione potentiæ. Art. 10.

INter capita, quibus vnus homo posset prætendere velle alteri præcedere, sine controuersia potentia est connumeranda, imò videtur præcipua causa præcedendi, qua de re, postquam in præcedētibus vidimus, quid meo iudicio erat animaduersione dignum, tam de præcedentia in communi, quam etiam ratione diuersarum eius specierum, iudicaui expediens esse de eadem præcedentia ratione potentiæ in præsenti nonnulla obseruare. Qua de re videndum est, videlicet.

1 Quid sit potentia in proposita materia.
2 Vnde habeatur hæc potentia.
3 Quotuplex illa sit.
4 An habeat gradus, & quomodo cognoscantur.
5 An admittat magis, & minus, & sic præcedentiam.
6 An Principes differant inter se ratione potentiæ, & quomodo.
7 An diuites sint potentes.
8 An, & quo modo inter potentes detur præcedentia.
9 An inter Prælatos detur præcedentia ratione potentiæ.
10 Qua via cognosci, & definiri debeant dubia, quæ circa præcedentiam ratione potentiæ oriri possunt.

Quid

Quid sit potentia in proposita materia. Art. 1.

POtentia apud Philosophos denotat qualitatem, & propterea Arist. in prædicamento qualitatis docet eam esse istius prædicamenti speciem, vnde sicut significat facultatem aliquid faciendi, vel recipiendi ita etiam duplex reperitur. Vna enim dicitur actiua, altera verò passiua. Qua de re in proposita materia potest accipi sub vtroque respectu. Primo enim potest denotare facultatem actiuam, qua vnus homo prætendat præcedere alteri, & sic aliquo modo agere. Hinc est, quòd habere dignitatem, seu nobilitatem, scientiam, seu ciuilitatem aut aliquid simile significat facultatem aliquid faciendi, & sic præcedendi, vt constat ex deductis in præcedentibus quæstionibus, vnde hæc quæstio non videtur differre a prædictis, quod si esset verũ hoc caput præcedentiæ redderetur superfluum. Id autem non est dicendum, cum sæpè videamus aliquem habere vnam qualitatem de prædictis, et non habere potentiam. Confirmatur, quia si hæc quæstio esset eadem cum præcedentibus, vel altera earum, id contingeret ratione dignitatis iux. l. potestatis. ff. de verb. signif. cum supra sit deductum dignitatem reduci ad speciem qualitatis, quæ dicitur potentia, & impotentia, & ad hoc facit etiam tex. in l. imperium. ff. de iurisd. omn. iud. atque definitio iurisdictionis data a Barto. in l. 1. ff. eod. Reliquæ autem qualitates, vt supra relatæ reducuntur ad alias species eiusdem prædicamenti. Pro solutione puto animaduertendum quod per potentiã actiuam in præsenti intelligere debeam id, quod ex propria natura est potens ad aliquid faciendum, & propterea connumerari debet in d. specie qualitatis, quæ dicitur potẽtia, & impotentia, exempli gratia Rex dicitur potens, quia habet exercitum ad debellandum hostes, ideò exercitus dicitur potentia eius. Atque sub hoc respectu potentia videtur hic accipienda, atque definienda iuxta descriptionem datam. Per quam quidem intelligentiam non solum habemus solutionem ad articulum, verum etiã ad obiectum. Siquidem potentia materialiter accepta denotat id, quod est potens ad aliquid faciẽdum. Hinc est, quòd copia amicorum, seu parentum, seu diuitiarum, & similium, dicitur potentia ad aliquid agendum. Atque sub hoc significato de ea in hac quæstione est tractandum. Secundo quatenus potentia accipiatur formaliter, tunc aut accipitur secundũ propriã eius naturam, & sic dignitas dicitur potẽtia, atq; cõnumeratur in d. specie qualitatis, & de ea diximus supra in propria quæstione. Reliquæ autem qualitates, vt supra relatæ nequeunt propriè dici potentiæ, sed solum ex accidenti, & propterea obiectio, vt supra opposita est soluta, & non videtur obstare. Nunc de potentia passiua satis est illud adnotare, quod simpliciter non potest quis per eam prætendere præcedentiam, sed solum esse magis dignum, atque propinquum ad illam consequendam. Et propterea ad hoc facit promotio alicuius ad dignitatem ciuilem, vel ecclesiasticam, ad quam de iure sem-

per promoueri debet magis idoneus, c.constitutis, de appell. D. Thomas 2.2.q.185.art. 3. Vasch. quæstionũ Illustr. c.28. nu.1.& seq. & nouissimè Concilium Tridentinum sess.24. cap.18.de reforma. Quæ quidem decisio, licèt sit vera de iure, in facto tamen sæpe limitatur, cum multi indigni,& ignorantes reperiãtur promoti ad diuersa officia, & dignitates.

Vnde habeatur hæc potentia. Art. 2.

PRæmissa intelligentia istius potẽtiæ, iuxta ea, de quibus in præcedenti articulo facilis videtur solutio ad hunc præsentem. Siquidem cũ illa reducatur ad bona fortunæ, iuxta eius significatum, oportet propterea animaduertere ex quo capite sit desumenda. Vnde quoad personas priuatas attinet, desumi debet, vt obseruare potui, a copia diuitiarum, amicorum, consanguineorum, & attinẽtium. Hinc videmus nonnullos esse, & dici potentes, quia multas possident diuitias, licèt earum potentia priuentur ob maximam eorum auaritiam. Nonnulli autem sicut multa possident bona, ita etiam illis vtendo, meritò quidem dominantur, atq; cũ effectu potentes existunt. Quidam verò, licèt diuitijs non sint potentes, habent tamen copiam amicorũ, seu consanguineorum, & attinentium, ideò nihilominus potentes existunt. De quibus videtur intelligenda doctrina, qua causetur pro defensione rerum suarum licitum esse conuocare amicos, & vicinos, vt videri põt apud doctores in l.vt vim. ff. de iust. & iur. vbi Bart. nu.6. Notorium est enim, quòd possessores multarum pecuniarum, & aliorum bonorum multa faciunt, & operãtur, quæ si fuerint virtuosa, efficiuntur gloriosi, quod aliter non succederet. At si eadem potentia consideretur quoad personas publicas imprimis illud idẽ puto dicendum, cum quotidiè videamus ẽt personas in aliqua dignitate constitutas multas similiter possidere diuitias, atq; habere copiam amicorum, consanguineorum, & attinentiũ. Vnde in hac parte homo publicus, & priuatus differunt secundum magis, & minus, secundum maiorem, & minorem copiam prædictorum. Vlterius eadem persona publica habet prædictam potentiam ratione dignitatis, quæ adhuc dupliciter considerari potest. Primo secundum propriam, & formalem eius naturam, atque sub hoc respectu de ea diximus supra q.7. per tot. Secundo ratione qua est vnita cum tali, vel tali, vt vocant statu, vt exempli gratia, dignitas suprema cum imperio, dignitas regia cum regno, dignitas ducalis cum ducatu, dignitas marchionatus cũ marchionatu, & ita de reliquis alijs. Vnde sicut status vnus est potẽtior altero; ita etiam dominus huiusmodi status erit potentior. Qua de re potentia personæ publicæ, quantum tamẽ facit ad quæstionem propositam, est desumenda a potentia status. Hinc inferri potest, quòd quæstio de præcedẽtia inter duos Principes sub hoc respectu potentiæ considerata, notoriè definiri debet secundum maioritatem status eorum, & propterea sæpè videmus Principem inferiorem

ratione

ratione dignitatis esse superiorẽ rõne status. An autem status, vel dignitas sit præferenda, infra suo loco dicemus.

Quotuplex sit potentia. *Art. 3.*

VT primo videamus more solito quid apud alios de re proposita habeamus, obseruo apud Lancell. Corra.prædictam potentiam, si temporalis fuerit, esse Imperium, Regnũ, Principatum, Ducatum, Marchionatum, Comitatum. Si verò fuerit ecclesiastica, Pontificatum, Cardinalatum, Patriarchatum, Archiepiscopatum, abbatiam, archidiaconatum, archipresbiteratum. Hoc idem obseruo apud Cassan.in d.suo tract.catal.glo. mundi, par.4. & 5. Vlterius si essent considerandi diuersi officiales ipsius Principis secularis, de quibus multi, ac varij habentur tituli lib.1. Digestorum, ac etiam lib.1.C. adhuc diuersæ aliæ possent assignari potẽtiæ, seu illius gradus, & species. Qua de re ponderando aliorum doctrinam, non habemus (ni fallor) certam regulam, seu methodũ, qua cognosci valeat clarè, ac distinctè quid iuris de proposito articulo. Vnde vt in ista varietate referam quid sit meo iudicio dicendum, propterea ponderando l.potestatis.ff.de verb.signific.dicimus potentiam vnam esse priuatã, alteram verò publicam. De priuata licèt ex deductis supra cognosci possit quotuplex illa sit, adhuc tamẽ puto distinguendum illam esse triplicẽ, videlicet realem, corporalem, & spiritualem. Et ratio est, quia prima desumitur a bonis fortunæ: secunda a bonis corporis: tertia a bonis animi. Quoad publicam verò attinet in primis duplex illa videtur esse videlicet temporalis, & spiritualis, argt.tex.in ca.duo, distinct96. Temporalis autẽ vltra distinctionem relatam supra ad mentem Lancell.Corrad. adhuc põt ita diuidi, vt vna sit maxima, vt est Imperium, altera maior, magna, parua, minor, & minima. Et rõ est, quia aliquando quis habet imperium, aliquando prouinciã, aliquando ciuitates, aliquando terras, aliquando castra, & aliquando fortilitia. Hoc idẽ puto dicendum de potentia spirituali, quæ a simili procedendo eodem modo potest diuidi, vt diuisa fuit potentia temporalis. Hinc videmus dari Pontificatum, Patriarchatum. Archiepiscopatum, Episcopatum, Archidiaconatum, & Archipresbiteratum. Qui quidem modus, seu methodus soluendi articulum propositum si vndiq; vnicuiq; non satisfaciat, vt̃ tamen omninò adnotandus, cũ inde detur occasio veritatem istam melius inuestigandi, atq; cognoscendi.

An potẽtia habeat gradus, qui sint, & quomodo cognoscantur. *Art. 4.*

POtentiã habere plures, ac diuersos gradus nemini debet esse dubium, vt notoriè infertur ex his, quæ diximus supra in præcedenti articulo, & propterea in hac parte non oportet aliud adnotare. Qui autem sint huiusmodi gradus, & quomodo cognoscantur, non est fortasse vnicuiq; notum. Et quoniam hæc quæstio

ſtio a nemine examinatur, vt hacten' videre mihi licuit, ideò conuenit mo do obſeruare quid me iudicio ſit di cendum. Quoniam igitur in iſta po-tentia duo poſſunt conſiderari, videlicet dignitas, & locus, cui illa eſſent vnita, hac de cauſa prædicti gradus, eorumq; cognitio ex vtroq; capite deſumi poteſt. Vnde ex parte dignitatis, qui, & quales illi ſint, ſatis clarè habetur ex his, quæ diximus ſupra q.7. in pluribus articulis, in quorum explicatione obſeruauimus quid iuris de gradibus poteſtatis, tam ordinis, quàm etiam cuiuſuis iuriſdictionis, & propterea ad ea in hac parte me remitto. Quoad alterum verò caput nempe de qualitate locorũ, licèt multa ſint adnotata in d. quæſtione in proprijs articulis, et præcipuè artic. 13. In præſenti tamen eſt vlterius animaduertendum, quòd locus iſte adhuc poteſt dupliciter conſiderari. Primo quatenus eſt vnitus cum iuriſdictione, & ſic conſiderando vniuerſum orbem puto illum eſſe reducendum ad illa ſex capita, de quibus diximus ſupra in præcedenti articulo. Quæ adhuc poſſent conſiderari aliquando ratione ſubordinationis, & tunc in caſu præcedentiæ illud eſſet præferendum, quod eſſet ſuperius. Hoc autem aliquando debet limitationem recipere per ea, quæ infra ſumus dicturi: aliquando verò conſiderari debent ratione propriæ naturæ cuiuſlibet capitis. Atque hac de cauſa ſæpè contingit in facto locum vnum de prædictis eſſe maiorem altero. Secundo conſideratur idem locus, vt ſeparatus a prædicta iuriſdictione, atq; ſolùm ea ratione, qua ex eo percipiuntur diuerſi prouentus; qui ſicut ſunt diuerſarum quantitatũ; ita etiam diuerſam denotat potentiam, quæ ex hoc capite uidet priuata reputanda, vnde vt concludamus ex his omnibus habemus potentiam habere gradus, qui nam illi ſint, & quomodo cognoſcantur.

An potentia admittat magis, & minus, & ſic præcedentiam. Art. 5.

Ex deductis ſupra in alijs articulis neceſſariò infertur potentiã recipere magis, & minus, & ſucceſſiuè admittere præcedentiam, ſiquidem ſi illa conſideretur ex parte dignitatis, quæſtio dicitur eſſe de indubitabili per ea, quæ diximus ſupra in d.q.7. in pluribus articulis. Si verò conſideretur ex parte loci illud idẽ ſine controuerſia eſt tenendum. Et ratio eſt, quia ſi locus iſte fuerit publicus, experientia docet ſtatũ vnius Principis eſſe maiorẽ altero alterius, & ſucceſſiuè ſicut in huiuſmodi ſtatibus datur magis, & minus; ita etiã datur præcedentia, atq; ex hoc capite ſæpè contingit ſtatum vnius Principis inferioris eſſe longè maiorem ſtatu alterius Principis ſuperioris, vnde ſi inter huiuſmodi Principes orietur controuerſia de præcedentia Princeps ſuperior ratione dignitatis deberet præcedere, ratione autẽ ſtatus teneretur cedere. An autem poti' vna, quàm altera cauſa ſit in hac quæſtione ſequenda, placet adnotare regulam ſupra ſuo loco obſeruatam q. videlicet tertia, quòd illa cauſa ſit attendenda, quæ eſt potentior. At ſi locus

tus prædictus consideretur, vt priuatus, & sic solùm ea ratione, qua ex eo percipiuntur diuersi fructus, & prouentus, tunc sicut huiusmodi prouentus reperiuntur maiores, & minores; ita etiam potentia prædicta ex hoc capite admittit magis, & minus, & successiuè præcedentiam, quæ ratione potentiæ solùm inter priuatos reperitur, cum inter personas publicas illa detur non tantum ex hoc capite, verum etiam ex alio, vt supra explicato.

An Principes differant inter se ratione potentiæ, & quomodo, Art. 6.

Licèt per Principem intelligere debeamus personam constitutã in altiori gradu dignitatis, & potestatis, iuxta glos. & doct. ad clemen. 1. de baptismo; in præsenti tamẽ per Principem debem⁹ intelligere quemlibet habentem gradum potentiæ, & status, iuxta ea, quæ diximus supra in præcedentibus articulis. Ex qua declaratione inferendum est pro solutione præsentis articuli, quòd Principes, sicut differunt inter se ratione dignitatis, ita etiam ratione status, & potentiæ. Nec obstat si ex aduerso quis dicat quemlibet Principem in statu suo habere supremam dignitatẽ & neminem in superiorem recognoscere. Ad hoc.n. respondeẽ primo id esse verũ de facto, secus de iure, arg. tex. in c. 1. de ordin. ab Epis. qui ren. Epis. Hinc est, quòd Imperator licèt sit Dominus totius orbis secundum vnam opinionem, id tamen verificaẽ de iure, non de facto. Item habitu, & non actu. Et propterea in casu quæstionis de præcedentia ratione iuris, & habitus deberet omnino præcedere, cum sit vndique maior. De facto autem, & ratione status tenetur omnino cedere, cum multi reperiantur Principes, qui longè maiorem statũ habent, quàm ipsemet possideat. Ex quibus omnibus inferendum est vlterius, quòd Principes sicut differunt inter se secundum maiorem, & minorem potentiam; ita etiam ex eodẽ capite debet ad inuicem præcedere. Quæ quidem potentia, vltra ea, quæ supra diximus in aliis articulis adhuc considerari debet dupliciter. Primo cõsiderando latitudinẽ status, atq; copiam pecuniarũ eiusdẽ. Secũdo multitudinẽ hominũ, & populi. Siquidẽ videmus statũ vnũ esse maiorẽ rõne latudinis, minorẽ verò ratione hominum, & ipsius populi, atque exemplum dari potest de statu Ducatus Sabaudiæ, & de Ducatu Mediolani, quibus licèt addi possint nonnulla, de quibus diximus supra in alijs quæstionibus in præsenti tamen satis esse duxi illa obseruare, quæ potentiam istã respiciunt, hæc autem, vt concludamus, sunt, vt dixi, latitudo status, multitudo populi, qualitas hominũ, quãlitas regionis, copia diuersarum rerum, præsertim ad militiam pertinentium, & similium. Ex quibus omnibus, sicut Princeps est magis, vel minus potens, ita etiam debet præcedere, vel cedere. Et sic habemus (ni fallor) solutionem ad articulum.

An

An diuites, sint potentes, & successiuè præcedere debeant.
Art. 7.

NOn sine causa iudicaui expediens præsentem articulũ examinare siquidem Arist. lib. 2. Retho. cap. 31. 32. & nouissimè Alexander Piccolom. in suo moral. Philoso. lib. 7. cap. 15. 16. constituunt differentiã inter diuites, & potentes, & propterea docent eorum mores esse diuersos. Quæ quidem doctrina quamuis sine controuersia sit vera, quoad mores attinet, quoad pręcedentiã tamen non videtur vndique satisfacere. Et ratio est, quia qui multas possidet diuitias illis mediãtibus, sine dubio potest facere multa, & consequenter diuites dicũtur potentes. Vnde pro solutione satis videtur esse, demonstrare qua via hęc difficultas tolli valeat. Puto igitur dicendum omnibus consideratis diuites, & potentes vno respectu idem esse, alia verò ratione inter se differre. Ratione enim qua ambo possident multas diuitias, dicuntur habere potentiam materialiter, iuxta ea, quæ diximus supra in præcedentibus. Alia autem ratione dicuntur differre, & sic respectu morum. Sed per potẽtes prædicti authores videntur intellexisse personas habentes aliquem statum cum dignitate vnitum, iuxta ea, quæ diximus supra in alijs articulis. Ex qua quidem intelligẽtia adhuc dubitari potest de proposito articulo cum per diuites intelligere debeamˀ personas priuatas. Et quoniam supra demonstrauimus potentiam aliam esse publicam, aliam priuatam, atq; istam haberi solùm ex diuitijs, ideò ex his habemus solutionem ad primam partem articuli. Vnde vlterius procedendo, sicut persona vna priuata possidet plures diuitias altera, vt in facto præsuponitur, ita etiam dicitur potentior, & consequenter ex hoc capite præcedere debet. Dubium modo remanet videre quanta copia diuitiarum requiratur ad hoc, vt quis sit potens, & præcedere valeat. Cui quæsito licèt responderi possit ex his quæ diximus supra in alijs articulis, in præsenti tamen illud est addẽdum, quòd diuitiæ exaltant possessorem. Abb. & Feli. in cap. super eo, de testib. Vnde quo quis est maior copia diuitiarum, eo magis est potens, & cum diuitiæ recipiant augumentum, vt notorium est in facto; ideò non potest dari certa regula ad prædictum dubium dissoluendum. Confirmatur, quia videmus quosdã homines pauperes, quosdam verò diuites, & istorum quosdam maiorem, quosdam verò minorem possidere copiam diuitiarum. Rursus quosdam in vno loco esse diuites, in alio verò pauperes reputati. Vnde de hac potentia potest illud idem affirmari a simili procedendo, quod diximus supra de nobilitate locali, & personali.

An, & quomodo inter potentes detur præcedentia: Art. 8.

PRo solutione istius articuli conuenit prius animaduertere præcedentiam istã posse desumi ex his, quæ diximus in præcedentibus, siquidem sicut personæ potentes quædã sunt publicæ, quædam priuatæ; ita etiam

etiam secundum respectum earsidem ad inuicem quæstio de præcedentia est definienda. Talis igitur controuersia potest oriri aliquando inter personam publicam, & priuatam, aliquando inter priuatam, & priuatam, & denique aliquando inter publicam, & publicã. Sub primo respectu semper persona publica ex hoc capite debet præcedere priuatæ, cum status præsuponatur maior ipsis diuitijs. Hoc tamen videtur verum in genere, & simpliciter. At si considerentur gradus vtriusque, tunc oportet distinguere iuxta ea, quæ diximus supra, præsertim in q. 7. & ratio est, quia huiusmodi gradus status, & diuitiarũ possint esse ad inuicem æquales, & tunc sine controuersia verificatur ista conclusio. Possunt etiam esse inæquales, & tunc si gradus status fuerit maior illud idem, immò multò magis est dicendum. Si verò gradus diuitiarum fuerit altior, licèt posfit dubitari ea ratione, quia gradus status inferior habet annexam dignitatem. Placet tamen præcedentiam dare gradui diuitiarum superiori, ex capite tamẽ pòtentiæ, licèt alia ratione oppositũ posfit, & aliquàndo debeat substineri. At sub secundo respectu quamuis regulariter persona priuata magis potẽs, præcedere debeat minus potẽti, melius est tamẽ ita distinguere, quòd istæ duæ personæ priuatæ aut sunt æquales, & tunc ex hoc capite esset locus præuentioni, arg. tex. in c. cum autem de iure patronatus cum ibi ad notatis. Si vero vna fuerit maior altera, tunc verificatur prædicta regula. Vnde autem hæc maior potentia cognosci debeat quando de ea dubitetur, partim habetur ex his, quæ diximus supra, partim verò ex his, quæ dicemus infra in proprio articulo eiusdem quæstionis. Vnde quoad tertiũ, & vltimum respectũ potest responderi eodem modo, quo fuit responsum ad secundum, siquidem si dictæ personæ publicæ habeãt status æquales tunc ex hoc capite inter eas non daretur prædicta præcedentia. Si verò prædicti status essent inæquales, tunc ille Princeps deberet præcedere, ratione tamen potentiæ, qui haberet statum potentiorem quamuis ipse esset inferior dignitate, quod est animaduersione dignum.

An inter Prælatos detur præcedentia ratione potentiæ. Art. 9.

SOlutio istius articuli cõmodè dari nequit, nisi prius videamus ex quo capite Prælati, & personæ ecclesiasticæ dici debeant potentes. Siquidem ponderando tex. in c. 1. de offi. ordinar. & ibi gl. præsertim in verb. publicum potius impotentes, quàm aliter videntur reputandi. Si enim verè potentes essent, non indigerẽt publico auxilio. prout ibi deciditur. In contrarium tamen facit imprimis distinctio ipsius potentiæ, de qua diximus supra articulo tertio. Secundo hoc idem confirmatur. quia prædicti Prælati sicut habent iurisdictionem, & potestatem. c. 9 de iude. & ibi doctor. communiter; ita etiam dicũtur habere potentiam. Qua de re cũ concludere debeamus ipsos habere potentiam per deducta. Non obstant modo obiecta, quia respondeĩ, quòd

quamuis ecclesia, & sic Prælati sæpè implorent auxilium seculare, id tamẽ faciunt: primo, quia potestates debent se adiuuare ad inuicem, vt diximus supra q. 7. Secundo quoniam nonnulli actus in executione prædictarum potestatum reperiuntur, qui fieri nequeũt per ipsosmet Prælatos, ideò oportet recurrere ad laicos.

Quæ quidem iuris conclusio declaratur nunc ita videlicet, quòd prædicta Prælatorũ potentia vno respectu sit spiritualis, & sic ratione dignitatis ecclesiasticæ: alio verò temporalis, & sic respectu bonorum temporalium ipsius ecclesiæ, arg. text. in c. si quis obiecerit 1. q. 3. Sicut enim beneficium ecclesiasticum constat ex iure spirituali, & temporali, vt ibi deciditur; ita etiam hoc idem est affirmandum de prædicta potentia. Hæc omnia, vt modo applicentur ad quæstiones de præcedentia, dicimus prædictos Prælatos, atque personas ecclesiasticas esse considerandas in respectu ad laicos, & Principes seculares, aliquando verò inter se ipsos. Primo modo aut talis præcedentia consideratur ratione dignitatis, & sic de eo diximus supra in d. q. 7. aut ratione beneficij, atque sub hoc respectu in contingentia facti oportet inspicere qualitatem beneficij ecclesiastici, atque status, seu bonorum illius laici, cum quo esset controuersia. Vnde ex capite potentiæ si beneficium esset maiorum prouentuum, quàm talis status, sine dubio talis persona ecclesiastica deberet præcedere, ob vulg. doctrinam supra sæpe sæpius repetitam, qua cauetur in casu præcedẽtiæ maiorem, & potentiorem causam esse attendendam. At sub secundo respectu, quamuis quæstio sit inter personas ecclesiasticas, adhuc tamen illa potest considerari dupliciter, videlicet ex parte dignitatis, & ex parte beneficij. Primo modo de ea quoque diximus supra in d. q. 7. in proprijs articulis, ex parte autem beneficij dicimus, quod sicut hæc beneficia sunt multa, atque diuersa, vt doctè, & distinctè ea nos docet Io. de Sylua in suo tract. de benefic. parte 1. q. 1. per tot. ita etiam hoc idem affirmamus de ipsa potentia, cũ omnia reducantur ad duas species, seu grad.[9] vt quædam sint maiora, quædam verò minora. Quibus addi potest quædã beneficia habere annexos armatos executores, quædam verò secus. Vnde in casu præcedentiæ persona illa ecclesiastica præcedere debet ex hoc capite, quæ habet beneficium pinguius, maius, atq; potentius. Et cum hæc omnia cõiungi debeãt cum his, quæ diximus supra in d. q. 7. ideò in præsenti hoc vnũ addi potest, quòd persona ecclesiastica posset præcedentiam prætendere, non tantum ratione suæ dignitatis, & beneficij, uerum etiam ratione patrimonij cõsanguineorum, attinentium, & amicorũ, siquidem sicut causæ potentiæ sunt plures, vt constat ex his, quæ dixim.[9] supra, ita etiam aliquando omnes, & aliquando pars earum in persona ecclesiastica verificari potest.

Qua

Qua via cognoſci, ac definiri debeāt dubia, quæ circa præcedētiam ratione iſtius potentiæ oriri poſſunt. Art. 10.

AD intelligentiam iſtius articuli oportet vnū præmittere, quòd hæc dubia per modum exempli poſſunt eſſe huiuſmodi, videlicet, an præcedentia ex hoc capite potentiæ poſſit aliunde dari, quàm ex ijs, de quibus diximus ſupra. Siquidem cognitio rei propoſitæ difficilior videtur in practica, quàm in theorica, cum quoad theoricam attinet, illa habeatur ex deductis, vt hactenus obſeruare potui. Quibus adde quod habetur apud Speculatorem in tit. de his, quæ vi met. cau. ſui Specul. Iaſ. in l. ſi ita quis. §. ea lege, col. 3. ff. de verborum obli. & doct. in l. 1. & 2. C. ne liceat potentior. & in l. 1. C. de his, qui poten. no. In practica verò res non videtur ita clara, & ratio eſt, quia ſicut potentia poteſt conſiderari ad diuerſum finem; ita quoq; videtur diuerſa, atque diuerſæ cognitionis. Et cū in præſenti conſideretur ratione præcedentiæ, ideo eius cognitio videtur difficilis, quia difficile eſt in practica cognoſcere gradum rei, ex qua deſumi debet. Cæterum cum omnis cognitio ſecundum Philoſophum lib. 1. Poſter. habeatur aut a cauſa, aut ab effectu. Hinc eſt, quòd illud idem affirmari poteſt de potentia, atque de dubijs circa eam occurrentibus. Et ratio eſt, quia cum potentia reſideat in aliqua re, conſequenter producit certos effectus, & dependet a ſuis cauſis. Vnde ab eiſdem medijs dubia prædicta videntur eſſe definienda. Quibus addi poteſt, quòd cum nos ſimus in materia morali, atq; illa dependeat etiam a circunſtantijs, vt ſæpè diximus, ideò ab eiſdem ſolutio prædictorum dubiorum eſt deſumenda. Hinc eſt, quòd perſona diues dicitur potens aliquando materialiter, quia diuitiæ dominantur eidem, & propterea ob illius maximam auaritiam, diuitiarumque cupiditatem potius pauper, quàm diues eſt reputandus, vt paſsim legimus apud diuerſos authores. Inter cauſas autē ipſius potentiæ finis præcipuè, ad quem eſſet ordinata conſiderari debet: vnde ſicut ille poteſt eſſe diuerſus, ita etiam diuerſum iudicium eſt faciendum de potentia, & ſucceſsiuè de ea habeē illa cognitio, quæ faceret ad quæſtionem propoſitam. Hæc doctrina licèt videatur reſpicere potius theoricā, quàm practicam, illam tamen adnotare iudicaui expediens in reſpectu ad practicam. Rurſus definire dubia prædicta adhuc dupliciter conſiderari poteſt: primo ordine iudiciario: ſecundo amicabili compoſitione. Primo modo cum id pertineat ad Iudicem, ideo dicemus infra in ult. q. huius tractatus. Ex quo coràm eo cōtendentes de præcedentia debēt ſua iura deducere, iuxta ea, quæ ibi dicemus. At ſecundo reſpectu nō poteſt dari certa regula ad id cognoſcendū, cum dependeat a libera voluntate ipſarum partium, & propterea non poteſt vlterius aliud circa hoc adnotari. Et ita hæc omnia ſunt, quæ veniebant animaduertenda pro ſolutione iſtius articuli. Saluo tamen, &c.

QVÆSTIO XII.

De practica praecedentia. Art. 5.

POstquam in præcedētibus adnotauimus, quæ erant præmittenda pro maiori cognitione proposita materiæ docuimus etiam ea omnia, quæ meo iudicio erant animaduertenda de præcedentia, tam in cōmuni, quā in specie, secundum tamen propositum institutum; reliquum erat adnotare practicam eiusdem, ac istius tractatus. Hinc est quòd in præsenti.

1 Quid intelligere debeamus per practicem, & theoricā in proposito tractatu.
2 An causæ ipsius præcedentiæ in præcedētibus quæstionibus explicatæ respiciant Theoricam, vel practicam.
3 An prædicta omnia, de quibus in præcedentibus quæstionibus resoluta applicari valeant ad personas, & quomodo.
4 An eadem applicari valeant ad res, & qua via.
5 An eadem applicari debeant ad res in comparatione ad personas, & quomodo.

Quid intelligere debeamus per Theoricam, & practicam in proposita materia. Art. 1.

QVoniam cognitio vniuersalis secundum Philosophum præcedere debet, eòque magis, quò etiam ab alijs professoribus legimus idem obseruari l. 1. ff. si cert. pet. cū vulga. Hinc est quod in proposita materia iudicaui expediens prius breuiter animaduertere quid sit theorica, quid practica, & quid de eis sit tenendum in re proposita. Iohan. Igitur Astainc. in suo lexicon. Theologi. in verbo, Theaoria, & in verb. praxis, docet terminos istos esse Græcos, vnde græcè praxis, latinè operatio dicitur. Rursus græcè theoria, latine contemplatio vocatur. Hoc idem obseruo apud Grammaticos. Ex qua significatione puto inferendū, quòd docere aliquid per modum theoriæ, nil aliud videtur denotare nisi docere ad finem sciendi, docere autē per modum praxis est docere ad finem operandi. Hinc est, quòd cognitio theorica debet ēē methodica, & per suas causas ordinata, quia dicit Philosophus primo. Poste. & primo Phis. scire esse rem per causam cognoscere. Ego autem semper fui illius opinionis, quòd scire nostrum nil aliud sit, nisi scire ordinem rerum. Hinc cognoscimus scientiam secundū ordinem doctrinæ esse tradendam, aliter enim non scientia, sed cognitio acquireretur de rebus propositis, & propterea multi iuris interpretes methodi docendi ignari putant se iuris scientiam docere, & solum docent illius cognitionem. Docere autem per modum praxis, est demonstrare, vt dixi, modum operandi. Hinc est, quòd in eodem iure, quidam doctores sunt theorici, quidam vero practici. Quidam denique in vtraq; periti. Theorici tantum in materia morali sunt

Phi-

Philoſophi morales, & qui ſolũ dant operam ſtudio interpretandi. Licèt nonnulli realiter ſint imperiti. Practici ſolum ſunt illi qui operantur, & ea agunt, quæ occurrunt in practica, atque vlterius nil aliud quærunt. Mixti denique ſunt publici paofeſſores, qui non ſolum profitentur iuris interpretationem, vt de eo loquamur, verum etiam in tribunalibus coram diuerſis iudicibus cauſas, & lites defendunt. De iuris interpretationibus videtur verificandus totus titulus de profeſſoribus. C. lib. 12. Cauſarũ autem defenſores, & patroni, eorumq; officium videtur explicati in tot. tit. C. vt quæ deſ. aduoc. & de error. aduoc. Mixti deniq; participant de prædictis modis interpretendi, videlicet atque patrocinandi. De quibus omnibus, quoniam diximus ſupra in propria quæſtione ideò in præſenti illud ſolum addi debet quòd per theoricam & practicam in propoſita materia nil aliud intelligere debeamus, niſi ſcire cauſas, circumſtantias, atq; niuerſa accidentia ipſius præcedentie, & modum, ſeu operationẽ prædictorum, vt clarius in ſequenti articulo dicemus.

An cauſæ præcedentiæ, & cetera, de quibus in præcedentibus quæſtionibus reſpiciant Theoricam, vel practicam. *Art.* 2.

SIcut tota hæc materia de præcedẽtia eſt practicabilis, ita quoq; ea omnia, quæ ſupra ſunt tradita eiuſdẽ qualitatis videtur reputanda, argumẽto l. Manumiſsiones ff. de iuſt. & iur. In contrarium facit talis ratio. Quòd ſi quis prætendat alteri præcedere ponderando, & applicando regelas, & doctrinas, vt ſupra traditas, inde percipi, & definiri poteſt quid iuris de tali prætenſione. Ex quo ſequitur (ni fallor) prædicta omnia eſſe tradita per modum theoriæ potius quam per modum praxis. Pro ſolutione pu to animaduertendum, quòd quæ continentur in aliquo tractatu, cuiuſuis ſubiecti moralis, poſſunt conſiderari. dupliciter. Primo reſpectu finis. Secũdo reſpectu modi. Sub primo reſpectu tractatus eſſet practicus, cum ad praxim ſit ordinatus. At ſecundo reſpectu theoricus videtur reputãdus, cum modus docendi a theoria deſumatur, licèt aliquando id recipiat limitationem iuxtà tractatum Papien. in ſua pract. Exemplum autem deſumi poteſt a ſpeculatore ſuo Specul. iudic. & a Marant. ſuo ſimili tractat. Qui ſine controuerſia ratione modi dicendi dicuntur theorici. Quoad finem verò practici. Vnde a ſimili hoc idem puto dicendum de præſenti tractatu de præcedentia. Siquidem ea, quæ ſupra docuimus in præcedentibus quæſtiònibus commode poſsũt, & debent in contingentia facti ad practicam applicari, vt infra demonſtrabimus. Hinc adnotari poteſt verũ eſſe quod dicebamus in præcedenti articulo, & propterea officium docto. Theorici eſt docere ordinatè, ac diſtinctè, & ſic methodicè. Practici verò eſt demonſtrare operationem eorum, quæ in theorica habentur exẽplo Papien. in ſua practica. Vnde excellentia doctoris profeſsionis practicæ in eo conſiſtere videtur, vt doceat operationem. Profeſſoris verò theo-

theoricæ, vt doceat rem sibi propositam per suas causas, & propterea inde intelligimus practicam dependere a Theorica tanquam a sua causa. Hinc intelligimus quoque in materia nostra peritorum quosdam esse theoricos tantum, quosdam practicos solum, quosdam mixtos.

An prædicta omnia, de quibus in præcedentibus resoluta applicari valeãt ad personas, & quomodo. Art. 3.

Est communis conclusio apud Iuristas, quòd in facultate legali tota virtus consistat in inductione, & applicatione ll. ad casus contingentes. Vnde in materia, de qua agimus, sicut duo genera hominum considerari possunt, videlicet Excellentium, & quasi peritorum. Quoad primos nec articulus iste, nec etiam totus tractatus videtur necessarius ob eorum excellentiam. Quoad alios verò, si nõ aliter, saltem aliqua ex parte posset reputari admodum vtilis, & propterea procedendo ad declarationem rei propositæ, puto præmittendum personam præcedentiam prætendentem posse illam prætendere, aut ex propria natura, & qualitate suæ personæ, aut ratione status, in quo reperitur, aut ratione dignitatis, seu officij, ad quod præsuponitur promot⁊, aut ratione nobilitatis, seu professionis, quia ornatur, & laudatur. Aut ratione ciuilitatis, seu potentiæ, vnde ex quocunque capita illam prætendat, semper oportet, vt doceat in eo se esse maiorem. sicuti clarè constat ex his, quæ diximus supra. Hæc autem maioritas cuiusuis capitis de prædictis ex diuerso medio desumitur, vt suo loco adnotauimus. Vnde proposita quæstione de præcedentia debet vlterius adnotari ex quo medio, seu medijs maioritas prædicta sit desumenda, atque cognoscenda, quoque modo illa sint probanda. Siquidem his omnibus sic in facto ita deductis, atque cognitis, ita etiam cognita fuerit dicta maioritas, & cõsequenter quid iuris de quæstione proposita de præcedentia. Vt autem id totum exemplo aliquo clarius intelligamus, dicimus, quod si exempli gratia quidam in dignitate Archidiaconatus constitutus. Si præcedentiam prætendat contra quendam Coadiutorem Archipresbiteratus, oportet prius considerare quæstionem istam esse inter personam, & personam, & non inter dignitatem, & dignitatem, nisi per accidens. Coadiutoria enim non videtur dignitas, ex quo nemo eam iudicat talem. Atq; hac de causa coadiutor connumeratur inter Vicarios Episcopi, vt videri potest lib. 1. insti. iur. cano. tit. de coadiuto. Obseruãdo tamen illius continuationem. Hoc autem posset limitari, vt in eo casu talis Coadiutor præcedere debeat, in quo representet Archipræsbiterum, vt cõtingit exempli gratia in choro, vnde remoto tali casu tenetur potius, cedere, quam aliter. Et ratio est quia coadiutoria circumscripta prædicta representatione, sicut non est propriè dignitas, vt diximus, ita etiam nõ potest præcedentiam prætendere, Confirmatur quia Coadiutor datur ad diuersum finem iuxta tot. tit. de cleri. ægrot. consequenter non semper representat

presentat personam, exempli gratia Archipresbiteri, in omnibus, & per omnia, & propterea non videtur esse recedendum a prædicta conclusione. At quoad propriam cuiuslibet personam oportet animaduertere quæ nam sint merita earum, vt inde cognosci valeat quid iuris de earundē præcedentia, ex quo supra sæpè adnotauimus, quòd aliquando quamuis persona vna sit in altiori dignitate, seu nobilitate, ratione tamen meritorum propriæ personæ potius, cedere quam præcedere debet. Vnde quemadmodum hoc videtur de iure dicendum de præcedentia inter Archidiaconum, & Coadiutorem, ita etiam a simili idem puto dicendum in quouis alio casu. Et sic habemus (ni fallor) quomodo applicari debeant contenta in præcedentibus quæstionibus ad personas iux. id, quod in articulo proponitur, vt exempli gratia, si esset orta quæstio de præcedentia inter Medicū, & Iuris doctorem. Siquidē etiam in tali casu consideranda esset aut qualitas professionis, eiusque maioritas, & gradus, aut merita cuiuslibet personæ iuxta deducta, cum inde quam facillimè cognosci valeat quis nam eorum sit maior, atque quo iure præcedere debeat. Et cum huiusmodi qualitates merita, ac etiam accidentia satis clarè habeantur, ex his quæ diximus supra in alijs quæstionibus, & articulis ideò non vr̄ necessarium aliud adnotare pro solutione istius.

An eadem applicari valeant ad res, & qua via. Art. 4.

SVperfluus posset reputari articulus iste cum in hoc tractatu habeatur sermo de præcedentia hominum, & non rerum. Accedit etiam, quod res naturales nunquam contendunt de earum maioritate, cum semper eodem modo se habeant. In contrarium verius est respondendum siquidem cum homo dominetur, & præsit piscibus maris, volatilibus cæli, bestijs, vniuersæque terræ, vt legimus in genesi c. 1. atque res omnes comparatiuè hoc habent a natura, quòd vna sit maior altera, sequitur inde, & merito quidem maioritatem dari, & considerari in rebus naturalibus, ēt in respectu ad hominem, illiusque vtilitatem, & commodum, Vnde pertractare de nobilitate maioritate, & præcedentia rerum dupliciter contingit, & fieri potest. Primo vt cognoscamus naturam, & excellentiam earum. Secundo quomodo homo inde recipere valeat, aliquam perfectionem, & propterea in præsenti debemus considerare quomodo ad res applicari possint ea omnia, quæ hactenus sunt deducta de re proposita, & sic obiectum remanet solutum. Vnde veniendo nunc ad declarationem articuli dicimus. quòd septem capita generica, vt supra considerata de maioritate, & præcedentia, videlicet, Natura hominis, Status eiusdem, Dignitas, Nobilitas, Professio, ciuilitas, & potentia, & quodlibet ipsorum fuit diuisum in species, species autē in indiuidua, & gradus, vt clare constat ex his, quæ diximus supra in prædictorum explicatione. Ex quibus puto inferendum, quod circumscripto homine arg. doctrinæ Arist. lib. 1. de anima, quæri potest, quod nā caput de prædictis sit mai'.

Sicut

Sicut enim Aristo. lo.cita.quærit, an ſcientia animæ ſit nobilior alijs; ita etiam in præſenti quæritur, an res ali qua naturalis, & ſic caput vnum de prædictis ſit maius altero. Vnde hoc præmiſſo, quòd in re propoſita ſit fa ctum ſimile quæſitum, ſolutio eius deſumi debet ex doctrina, vt ſupra in præcedentibus quæſtionibus tra dita. Sicut enim præcedentia debetur rebus, vel hominibus ratione alicu ius maioritatis, vt ſæpè diximus; ita etiam hæc maioritas, eiuſque cogni tio habetur ex ſuis, cauſis, circumſtã tijs, effectibus, & alijs accidentibus, ac medijs, vt ſupra conſideratis, atq; iuxta propoſitum inſtitutum explica tis, vnde a ſimili procedendo quan do volumus cognoſcere maioritatẽ & ſic præcedentiam alicuius rei, vel hominis ſemper debemus recurrere ad illius cauſas, circumſtantias, effe ctus, accideucia, & media. Ratio autẽ illa aſsignari poteſt, quia quãuis quæ libet res quæcunque ſit illa in ſuo ge nere ſeu ſpecie ſit a natura perfecta, & propterea dicunt Philoſophi Mu ſcam eſſe adeò perfectam in ſua ſpe cie, ſicut eſt equus in ſua, comparati uè tamen negari nequit vnam eſſe perfectiorem altera. Hæc autem ma ior perfectio, & ſic maioritas, & præ cedẽtia ſicut a prædictis medijs pro ducitur ineſſe; ita etiam ab eiſdẽ co gnoſcitur, & ad caſum contigentem applicatur, et propterea debemus cõ cludere, quòd quemadmodum ex de ductis conſtat, quavia hæc media ap plicari valeant ad aliquod quæſitum propoſitũ de præcedentia hominis quoad hominẽ, vt in præcedẽti arti culo diximus; ita ẽt in præſenti habe mus, qua via eadem media applicari debeant in quæſtione de præcedẽtia alicuius rei ad aliam iuxta id, quod inpræſenti articulo fuit propoſitum.

An, & quomodo prædicta omnia applicari valeant ad res in comparatione ad hominem.

Art. 5.

Solutio iſtius articuli habetur (ni fallor) ex præcedentibus, ex quo diximus ſupra præcedentias conſide rari in reſpectu ad hominem: cæte rũ, vt ſpecialiter aliquid adnotemus, dicimus præſentem articulum eſſe examinandum atq; declarandum, in cognitionem præſertim illius cõmu nis obſeruantiæ, qua in publicis feſti uitatibus ſolent diuerſis in locis po ni, & conſtitui inſignia, quæ arma cõ muni vocabulo dicuntur in ſignum, & honorem alicuius perſonæ, aut fa miliæ. Hæc enim inſignia ſunt aliquã do alicuius dignitatis, ſeu officij, ali quando alicuius familiæ; aliquando alicuius rei; aliquando alicuius exer citij, & aliquãdo alicuius ſocietatis, vt docet Bart. in ſuo tract. de Inſign. & arm. & Caſſa. in d. ſuo Catal. glo. mun. p. 1. cõſid. 38. cum plur. ſeq. Li cèt autem cognitio iſtius materiæ ſit in practica admodum vtilis, & iucun da, & de ea plenè habeatur quid iuris in lo. cita. in præſenti tamen ſatis eſſe videtur illud adnotare, quod facit ad propoſitum inſtitutum, & propterea hæc inſignia ſub triplici reſpectu de bent cõſiderari, primo ratione hono ris, hinc videmus nonnullos retinere inſignia alicuius perſonæ nobiliſsi mæ in aliqua parte ſuæ domus, intus,

vel

vel extra,ad denotandum, quòd ipse tanquam familiaris profitetur se viuere sub protectione illius, & quòd ille sit vir nobilis, & potens,seu nobilissimus,& potentissimus,aut ad aliũ similem finem,cum aliud sit finis hominis,& aliud finis rei,vt communiter nos docent Philosophi,& nouissimè Nauarrus in sua releċt. de fini. human. aċt.post princ. Secundo ratione alicuius significati, vt exempli gratia ad significandum talem esse talis familiæ, aut talis exercitij,aut talis societatis, seu alterius similis rei. Hinc videmus Mercatores deferre insignia in diuersis locis, & rebus in signum suæ Artis.Hoc idem obseruant Notarij, qui nunquam dant copiam alicuius scripturæ authen.nisi cũ eorum speciali signo. Hoc idem sæpè obseruant Aduocati in subscriptione suorum iuris responsorum.Hoc idem videmus obseruari a Collegijs, tam pijs,quam secularibus.Et cum omnes ferè homines hunc morem sequãtur, ideò sæpè etiam retinent huiusmodi insignia in aliquo loco perpetuò infixa,& stabilia.Tertio,& vltimò considerantur illa ratione maioritatis, & præcedentiæ, & sic iuxta institutum propositum, ad cuius intelligentiam debemus præmittere quod insignia vnius repraesentatiuè considerantur in comparatione ad insignia alterius, & propterea inde infertur,vt quædã ponantur, & collocentur in tali loco,ita,& taliter, quod denotare valeant,cui præcedentia debeatur, atq; exhibeatur, & propterea talis locus consideratur aliquando vt est paries simpliciter,aut supra aliquam ianuã. Aliquando vt est quædã superficies plana, aut concaua. Rursus consideratur, vt est pars dextra, aut sinistra,superior,aut inferior,seu media. Ex his enim quæ diximus supra locus superior, sicut est altior ex eius natura,ita etiam est maior, post quẽ medius est dignior,& successiuè locus inferior minus dignus est reputãdus. De destro autem, & sinistro casus videtur clarus,cũ authoritate Euãgelij locus dexter sit dignior sinistro ob illud, Sedet ad dextrã Dei patris. Ex quibus habemus loca prædiċta talem ordinem habere, vt vnus sit altior,& sic dignior altero. Dubiũ modo est de cognitione istarũ partium, & locorum,& ratio dubitationis illa vř esse, quia exempli gratia in pariete in plano, & concauo, item in ingressu, & egressu illa apparent diuersa, si quidem vnus, & idem locus vno respeċtu est exempli gratia dexter, alio verò sinister, ideò quæritur quid iuris. Cui dubitationi,& quæsito primo responderi potest attẽdendam esse consuetudinem, quæ sicut est optima legũ interpres. l. si de interpretatione ff. de legib. c. cum dileċtus, de consuet. Ita etiam potest definiri talem; vel talem locum esse nobiliorem dextrum, vel sinistrum. Licèt autem consuetudo maximam vim habeat in materia præcedẽtiæ, vt sæpe diximus supra, nihilominus si hæc solutio non placeat, dicas secundò prædiċtam difficultatem esse soluendam iuxta tenorem alicuius constitutionis, presuposito tamen quod illa reperiatur insuper promulgata, vt contingit in nonnullis casibus supra suis locis adnotatis. Sed si illa non extet recurrendum esset ad

communem hominum opinionem. Hinc est, quòd in festiuitatibus solēt homines multū animaduertere quomodo constitui debeant insignia diuersarum personarum in locis prædictarum solemnitatum, siquidem sicut inter huiusmodi insignia quædā præcedunt, quædam verò cedunt; ita etiam inde demonstratur eorum dominos præcedere, & cedere respectiuè, & ita cognoscimus quomodo præcedentia rerum applicari debeat ad præcedentiam personarum. Et cum per hæc habeamus (ni fallor) solutionem ad articulum, illiusq; intelligentiam, ideò non videtur necessarium vlterius procedere.

QVÆSTIO XIII. ET VLTIMA.

De iudicio præcedentiæ. Art. 12.

HActenus vidimus quæ iuxta propositum institutum erant adnotanda de præcedētia. Circa quam cum sæpè, imò sæpissimè inter homines oriantur controuersiæ, & lites, conuenit propterea vlterius animaduertere qua via sint illæ definiēdæ. Si enim de præcedentia contēdentes amicabiliter velint inter se illas componere, non esset opus aliud adnotare. Verū quia talis amicabilis concordia rarò contingit, ideò deueniendum est ad iudicium, quo illa cognosci, & definiri debeat, cum ad hunc finem illud sit introductum. Qua de re, cum expediat summopere in fine istius tractatus aliquid explicare de iudicio præcedētiæ, ideò fuit proposita præsens quæstio, de qua videndum est, videlicet.

1 An, & quomodo de præcedentia oriat, aliqua lis, & cotrouersia, & qua via illa definiri debeat.
2 An talis lis sit possessoria, vel petitoria.
3 An sit communis.
4 Quo iuris remedio sit agendum.
5 Quomodo procedatur.
6 Quis sit iudex.
7 Quando sit agendum.
8 Vbi sit agendum.
9 Quæ exceptiones admittantur.
10 Quomodo incumbentia sint probanda.
11 An admittat appellationem.
12 Quomodo sētētia sit exequēda.

An, & quomodo de præcedentia oriatur lis, & controuersia, & qua via illa definiri debeat. Art. 1.

INter homines oriri controuersias de qualibet re nemo vnquam dubitauit, cum sint faciles ad dissentiendum l. Item si vnus. §. fi. ff. de arbitr. Glo. in cap. super litteris de rescript. Hinc est quod non debet mirum videri si sæpius de præcedentia oriatur controuersia, cum homines adeò vigilare soleant circa proprium honorem, vt regulariter nil charius eo possidere videantur. Quomodo autem talis controuersia oriatur non est vndiq; clarū, siquidē cū præcedentia sit fundata in honore, vt constat præsertim ex his quæ diximus supra q. 1. se

rè

rẽ per totam, sequitur inde illam dari in acquirendo, in conseruando, in recuperando iux. ea, quæ diximus supra q. 3. artic. 16. 17. 18. & 19. & ad hoc facit etiam tex. in §. sequens diuisio, institut. de interdict. & ibi glo. & doct. Disputatione autem omissa exemplum dari potest de duobus alicuius publici Gymnasij professoribus, contendentes acquirere primam cathedram, cum clari sit iuris, & facti illam præcedere, vnde sicut contendunt eam acquirere, ita etiam cõtendunt præcedentiam obtinere. Et sic quemadmodum præcedentia sæpè reuocatur in dubium in acquirendo, vt constat per huiusmodi exemplum; ita etiam sæpè sæpius de eadẽ dubitatur in conseruando, & recuperando. Specificè autem qualis sit hęc controuersia non videtur possibile certa regula id posse cognosci cum plura sint negocia, quam vocabula, teste iure consulto in l. natura enim ff. de præscript. verb. Ex quibus omnibus videtur concludendum de præcedentia omni controuersiam, & litẽ modis prædictis. Et ratio est, quia si præcedentiæ causa adhuc non fit acquisita, lis in tali casu erit de acquirendo. Si verò acquisita fuerit in cõseruando. Sed si sit acquisita, & postea amissa erit in recuperando. Et ita per hæc intelligimus primam partẽm propositi articuli. Nunc vlterius procedendo conuenit modo adnotare qua via illa cognosci, ac definiri debeat. Tres enim obseruo in iure reperiri modos, quibus aliqua controuersia definiri valeat. Vnus enim dicitur compositionis per amicabiles cõpositores, & arbitratores. Alius dicitur compromissi, & arbitrij. Per Arbitros, & eorum laudum, de quibus videndi sunt doct. in c. Quintaualliis, de iureiur. & in l. societatem. §. arbitrorum, vbi Barto. ff. pro soc. Tertius denique est iudicij per iudicem, & & eius sententiam, de quo est text. in c. quoniam contra, & ibi docto. de probation. Hoc præmisso, an prædicta controuersia de præcedentia debeat definiri potius vna, quam altera via de prædictis, non est omnino clarum, siquidem Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 13, de regul. definit huiusmodi controuersias esse componendas, ergo iudicium in tali casu nõ permittitur. Cõfirmatur per tex. in c. fi. de transact. & ibi glo. 1. & docto. vbi cauetur iudicem debere partes litigantes cõponere, meritò &c. In contrarium facit tex. in l. 3. § 1. ff. de arbitr. vbi legimus arbitrium esse liberum. Hoc idem probat text. in c. cum dilectus, eod. Pro solutione puto animaduertendum amicabilẽ compositionem semper esse voluntariã, siquidem, cum sit quidã contractus, consequenter est voluntatis, & non necessitatis i ux. tex. in l. sicut. C. de actio. & obliga. Compromissum verò aliquando est voluntatis, & aliquã do est necessitatis, cum dependeat aliquando a iure communi tantum, & aliquando a iure municipali. Qua de re cum in casu nostro nullibi caueatur differentiam de præcedentia esse necessariò compromittendam, ideò sequitur inde de ea id esse tenẽdum, quod supra diximus de compositione. Vnde vt concludamus, dicimus bonum, ac expediens esse in Republica inducere huiusmodi de præceden-

cedentia contendétes ad concordiã, per viam compositionis, seu compromissi, si tamen commodè id fieri posset. Sed si ad eam induci nequeant non debent propterea cogi; atque ita videntur intelligenda iura, vt supra pro hac parte adducta, vnde si prædicti ad id cogi nequeant necessariò est permittendum eos venire ad iudicium, & sic per processum iudicium, & iudicem, & eius sententiam huiusmodi lis debet cognosci, & definiri. Nec debet obstare Concil.lo.ci. siquidem aut est intelligendum ratione congruentiæ, vt intelligitur etiam tex. in d.c.si.ob rationem supra assignatam. Aut si hoc non placeat, intelligi debet, vt locum habeat quoad personas ecclesiasticas, quæ tenentur de iure abstinere a strepitu iudiciorum iux.tex.in can.duo.12.q.1. §.1.insti.can.de iur.person. cũ simil.

An lis, & iudicium de præcedentia sit possessorium, vel petitorium, seu mixtum. Art. 2.

AD intelligentiam istius articuli præmittendum est clarissimũ esse in iure triplex dari iudicium, videlicet possessorium tantum, petitorium solum, atque mixtũ, doct. communiter in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir.poss. Canonistæ in c. Pastoralis de caus. poss. & propriet. & propterea quãdo iudicium est mixtum vtrumq; definiri debet, ita tamen, quòd sententia incipiat à possessorio, executio verò fiat in petitorio iux.tex. in c. cum dilectus, & ibi doct. eod. & ratio est, quia in exequẽdo dominium trahit ad se possessionem. Hoc præmisso causa dubitationis istius articuli illa videtur esse, quia ponderãdo fundaméta præcedentiæ, de quibus diximus supra inde inferri potest, quod sicut alterũ eorum, infixum est ossibus illam prætendentium, ita etiam in tali casu iudicium videtur petitorium secus in altero. Confirmatur, quia præcedentia dicit relationem, ex quo consistit in maioritatem, vt sæpè diximus supra, quæ dari nequit, nisi in comparatione ad alium, seu aliud, vnde quod ab alio dependet non videtur posse possideri, & successiuè non dari prædictum iudicium possessorium. In cõtrarium tamen verius est de iure respondendum, quod videlicet etiam in materia de præcedentia detur iudicium possessorium, & petitorium, & successiuè mixtum, iuxta tradita a Thob.Non.omnino viden.in consil. 71. per tot. Idque ad similitudinem rerum spiritualium, in quibus prædicta iudicia similiter reperiuntur, iux. tex. in c.querelam, de elect. & in c. consultationibus, de iur.patron. atq; in istis locis doct.communiter. Ad hæc faciunt etiam ea.quæ adnotant scribentes in c.cum ecclesia Sutrina, eod.de caus.poss. & cum in decidendo ab hac conclusione non sit recedendum, vt etiam in practica quotidie videmus, sequitur propterea, vt respondeamus ad obiecta, vnde licèt altera causa præcedentiæ sit interna illam prætendentis, non propterea sequitur inde non dari iudicium possessorium, cum aliud sit habere exẽpli gratia scientiam, & aliud illa mediante velle alteri præcedere. Hoc.n. secundum sicut potest ab altero separari,

parari, atque respectiuè vniri; ita etiã hoc habito respectu potest dari iudicium prædictum. Nec obstat si ex aduerso replicetur sub hac ratione istud iudicium esse possessorium tantum, quia ad hoc dicimus iux. tradita per doct. in locis cita. quòd ille, qui prætendit, ita prætendere potest, vt aliquando habeat ius etiam præcedẽdi. Et tunc iudicium esset petitorium. Aliquando verò prætendit vsum talis iuris, & sic esset possessorium, & propterea obiectio non videtur obstare, cum spiritualia dicantur quasi possideri ratione vsus, & quorundã actuũ. Ad id autem, quod in confirmationẽ adducebatur, respondetur, quod quãuis præcedentia consistat in relatione, non propterea tenet obiectio ob rationem assignatam, & ita debemus concludere, túc iudicium præcedentiæ esse petitorium, quando quis prætendit ius præcedendi. At quando prætenderet talis iuris vsum per aliquem actum in tali loco, vel tempore, tunc illud esset possessorium ad similitudinem aliarum rerum spiritualium. Si quid autem circa rem propositam vlterius desiderari posset vltra loca adducta, videndi sunt doct. in l. 1. ff. eod. de acquir. poss. vbi præsertim Bart. nu. 12. & sequ. Ex quibus omnibus inferendum est in casu præcedentiæ potius possessionem, quàm dominium esse attendendam ad similitudinem electionis, & præsentationis, de quibus in d. c. querelam, & in d. c. consultationibus. Sicut enim electio, & præsentatio tunc dicitur legitima, & canonica quando facta fuerit à possessore iuris eligendi, & iuris præsentandi, vt in dictis capitulis legimus decisum; ita quoque ille legitimè, & de iure præcedere debet, qui est in possessione vel quasi prædicti iuris præcedendi, quamuis de proprietate dubitetur. Idque non sine ratione, cum veniat à virtute possessionis, ex quo possessor in dubio præsumit etiã dominus, vt dicit tex. in l. fi. C. de rei vẽd. Et ita per hæc habemus (ni fallor) solutionem ad articulum veram, & claram.

An iudicium prædictum sit commune vel proprium.
Art. 3.

SIcut in præcedẽti articulo fuit necessarium vnum præmittere pro meliori illius cognitione; ita etiã hoc idem faciendum est in præsenti, & propterea dicimus inter distinctiones iudicij vnam reperiri, qua scimus iudicium aliud esse simplex, aliud duplex: simplex dicitur illud, in quo vnus litigantium est actor, alter verò reus: duplex autem est illud, in quo vterque est actor, & reus. De qua distinctione vidẽdus est Maran. in suo Specul. par. 4. dist. 17. per tot. text. in §. quædam actiones, & ibi glo. & doctor. instit. de actio. & in iure habentẽ proprij tituli. Hoc præmisso dicimus modo iudicium, de quo agimus, esse duplex, cum vterque in eo litigantium prætendat (vt puto) præcedentiam, & sic est actor, & reus. Confirmatur arg. interdicti possessorij retinendæ, in quo quilibet litigantium prætendit possessionem retinere. §. retinendæ, insti. de interdictis. In contrarium verò facit text. & doctrina in præmissis relat. Siquidem cum iudicium

diciu n duplex dicatur quando agit iudicio fam. hercisc. aut communi di uid. seu fin. regund. de quibus proprij tituli habentur in ff. & C. atq; iudicium præcedentiæ non sit huiusmodi, sequitur inde illud esse simplex, & non duplex. Pro solutione articuli puto ita distinguendum, quòd iudicium de præcedentia aut est petitorium, & tũc semper videtur simplex, cum actor in eo prætendat ius sibi competere præcedendi: aut est possessorium, & tunc cum sit acquirendæ, aut retinendæ, seu recuperandæ possessionis, primo, & tertio modo placet similiter esse simplex, vt de se patet ex eius propria natura: at secundo respectu potest reputari duplex, cum quælibet pars prætendat, atque contendat manu teneri in sua quasi possessione, iux. d. §. retinẽdæ; atque sub hoc respectu possent verificari quæ supra pro hac parte sunt deducta. Ex quibus omnibus habemus etiam quomodo responderi debeat ad obiecta, ideò non indigent alia speciali solutione. Ex qua quidẽ conclusione, vt supra deducta, & declarata, inferri pôt quis debeat probare incumbeotia in isto iudicio stante illa vulgari propositione, quod onus probandi incumbat actori, vt in fra clarius suo loco dicemus.

Quo iuris remedio sit agendum in isto iudicio præcedentiæ.

Art. 4.

NOn videtur necessarium in præsenti aliquid adnot. de re proposita, siquidem si iudicium istud fuerit petitorium, medium agendi desumendum esset ab aliqua actione, de qua in tit. instit. de action. si verò fuerit possessorium desumi debet ex aliquo interdicto, de quo in tit. insti. de interdictis. In contrarium tamen facit qualitas præcedentiæ, quæ cum sit quædam res spiritualis, ut diximus, ideò, & meritò quidem quæsitũ fuit quid iuris de articulo proposito. iux. c. dilecti filij, de iudic. cum ibi adno. satis esse videtur explicare factum, ita distinctè, vt ex eius narratione inferri valeat bonum ius agentis. Cæterùm hoc non videtur satis ponderando tex. in c. examinata, eod. vnde ego congruentius iudicarem ita esse distinguendum, quòd illud iudicium si fuerit petitorium, actio debet esse realis, vt constat ex natura rei. Hinc est, quod aut debet obseruari decisio dicti capit. dilecti, & tot. tit. eod. de formul. acti. subla. Aut tex. in §. æquè si agat, cum §. seq. & ibi glo. & doct. insti. de actio. Si verò illud fuerit possessorium in communi est omnino animaduertendum præd. remedium esse vnum de prædictis interdictis possessorijs, quæ cum sint plura, & diuersa in materia proposita necessariò erit acquirendæ, aut retinendæ, seu recuperandæ possessionis, de quibus per modum compendij est adnotandus tex. in §. sequens diuisio cum tribus seqq. eod. de interdict. & ibi glo. & doct. per modum autem tractatus recurrendum est ad Menoch. in suis relectionibus ad remedia omnia acquiren. retinen. & recuperand. Sicut enim hæc remedia habent locum etiam in materia spirituali, vt vltra ea quæ adduximus in præcedenti articulo adnotandus est text. in c.

si a

si a sede, de præben. in 6. in c. execrabilis. eod. in extrauag. & doct. in c. de multa, eod. extra. Ita quoque a simili debent illa verificari in materia proposita de præcedentia.

Quomodo procedatur in isto iudicio. Art. 5.

MOdus procedẽdi in iudicio denotat formam illius, & propterea debemus præmittere iudiciũ inter eius diuisiones ita diuidi, vt vnũ sit solẽne, aliud summarium, de qua distinctione viden. est Maran. in suo Specul. iudic. par. 4. distin. 9. & doct. in clem. sæpè, de verb. signific. cum simil. Solemne enim dicitur illud, in quo seruatur certa iuris solemnitas: summarium verò est illud in quo procediĩ summariè simpliciter sine strepitu, & figura giudicij, vt in dictis locis habetur. Hoc præmisso intelligentia istius articuli illa est, vt videamus quod nam iudicium de prædictis sit sequendum in quæstione de præcedentia. Quoniam autem materia est admodum grauis, cum in ea tractetur de honore, vt constat ex deductis in præcedentibus quæstionibus, ideò sequitur inde iudicio solemni esse procedendum ob illam vulg. iuris conclusionem, quod vbi maius est periculum, ibi cautius est agẽdum, cap. vbi periculum, de elect. in 6. In contrarium responderi potest ob illam rationem, quod ad euitandum maius malum, vtilius esse videtur in tali causa procedere magis summariè, quam solemniter. Ex quo enim quæstio de præcedentia est quæstio de honore, vt diximus, si longo examine discuteretur dareĩ occasio inimicitiæ, & cum etiam occasiones ad mala semper debeant euitari, c. cum ab omni, de vit. & honest. c. per vestras de donat. inter vir. & vxo. meritò, &c. Pro solutione duo sunt animaduertenda, vnum qualis sit forma iudicij summarij: alterum an quæstio de præcedentia debeat cõnumerari inter quæstiones definiendas summaria cognitione. Quoad primum non oportet hic aliquid definire, cum id declaretur in d. clemen. sæpè, vbi Card. Zabarell. est adnotandus. Quoad secundum est consideranda decisio clem. dispendiosam, de iudic. vbi recensetur causa, quæ summaria cognitione cognosci, & definiri debent. Vnde a simili procedendo puto dicendum, quòd sicut electio, postulatio, seu prouisio ad aliquam dignitatem debent summariè cognosci, & definiri, ut in d. clement. deciditur; ita etiam hoc idem videtur dicendum de præcedentia, eiusue quæstione, siquidem sicut prouisio ad dignitatem est declarare aliquem maiorem; ita quoq; hoc idem affirmamus in quæstione de præcedentia. Hæc omnia sunt omnino sequenda, nisi aliter de consensu partium prouisum esset, vt ibidem habetur. Nec obstat, quod supra in contrarium fuit deductum, cũ non teneat consequentia, causa est grauis, ergò debet definiri solemni iudicij cognitione, siquidem electio, postulatio, prouisio, & aliæ similes causæ, de quibus in dicta clemen. licèt videantur graues, nihilominus summaria cognitione sunt cognoscendæ, & definiendæ, vt ibidem deciditur. Qua de re cum a simili hoc idem

idem sit dicendum in casu, de quo agimus, ideo obiectio remanet soluta.

Quis sit iudex competens in isto iudicio. Art. 6.

SOlutio istius articuli deseruit ad intelligentiam alterius quæstionis, an videlicet quæstio de præcedentia sit delegabilis, & propterea puto imprimis animadertendum, quòd sicut quilibet iudex ordinarius habet iurisdictionem generalem cum illam habeat a lege iux. tradita per doctores in l. more maiorum. ff. de iurisd. omn. iudi. ita quoque videtur habere potestatem cognoscendi de re proposita. In contrarium faciunt ea, quæ nos docent doct. imò tex. ipse in l. 1. ff. de offi. eius, dicentes. Causas quæ requirunt altiorem cognitionem nō posse delegari, & successiue a quolibet ordinario non posse cognosci.

At quoniam quæstio proposita est huiusmodi, cum inter grauiores connumeretur iuxta ea, quæ diximus supra quæstione 1. art. 7. ideo nō a quolibet iudice, sed a superioribus est cognoscenda, atq; definienda. Pro solutione puto imprimis præmittendum illam esse desumendam ex parte personarum de præcedentia contendētium, aut ex parte ipsius met quæstionis seu ex parte iudicis. Primo modo omnis homo, qui de ea contendit aut est persona publica, seu priuata, hinc infertur quæstionem propositā esse aliquando inter personas publicas tantum; aliquando inter priuatas solum, & aliquando inter publicam, & priuatam. Primo modo aut personæ illæ sunt eiusdem iurisdictionis, aut alterius, & alterius. In primo casu iudex competens ille dicitur esse, qui est superior vtriusque. Hoc idem puto dicendum, & ampliandum in istis tribus casibus; Quoad alias personas in eis consideratas. Et ratio est, quia potestas, & iurisdictio vna in comparatione ad aliam aut est superior, aut æqualis, aut inferior. Vnde cum æqualis, & inferior iudicare nequeant, iuxta c. cum inferior, de maiorit. ca. inferior, dist. 21. ca. innotuit, de election. & l. 1. & ibi glo. ff. de appella. sequitur inde per superiorem id esse definiendum, cum par in parē non habeat imperium, d. c. innotuit, multò minus inferior in superiorem, vt in dictis iuribus legimus. At si personæ prædictæ fuerint alterius, & alterius iurisdictionis, vt exempli gratia inter personas iurisdictionis ecclesiasticæ, & secularis, recurrendum esset ad iurisdictionem superiorem, quæ est ecclesiastica, c. solitæ, de maiorit. At si persona fuerit priuata debet vlterius considerari vt forensis, seu comitatensis, seu ciuis. Vnde quæstio prædicta potest esse inter ciues ad inuicem inter forenses inter se, & simili modo inter comitatenses; & deniq; inter eosdem diuersimodè: ob quam quidem casuum diuersitatem placet adnotare illam cōmunem regulam, quòd actor sequi debet forum rei, c. si clericus, & ibi doct. de foro compet. Cæterùm si in huiusmodi casibus reperiantur aliqū plures iudices, atq; omnes competentes, solùm superior esset competens in quæstione proposita, cum de alijs possit dubitari, licèt regulariter competentes reputentur, & sic ex

parte

parte personarum habemus. quid iuris de proposito articulo: nunc ex parte ipsiusmet quæstionis, & causæ puto illam dupliciter esse considerandam. Primo ratione iuris ordinarij, & sic idem quod supra existimo esse tenendum. Secundo ratione delegationis, & commissionis, & tunc placet ita distinguere, quod si illã contemplemur secundum terminos iuris ciuilis, non videtur delegabilis, per ea, quæ supra diximus. Et propterea à proprio iudice est cognoscẽda. At si eandem inspiciamus secundum terminos iuris canonici placet eam esse delegabilem, ex quo ego semper fui illius sentẽtiæ, & opinionis quamlibet causam secundum canones esse delegabilem; & motus fui tali ratione, quia quodlibet negociũ ex propria eius natura videtur tale, vt cognosci, & definiri valeat tam via ordinaria, quam delegata, cum prohibitio delegationis respiciat potius personam iudicis, quam merita ipsius causæ, & propterea videmus etiam secundũ canones quasdam personas, & iudices esse incapaces ad delegationes recipiẽdas iux. cap. stat. de rescript in 6. Denique ex parte iudicis illud vnũ videtur satis adnotare, quod sicut iudicum quidam sunt superiores, quidam inferiores, & quidã æquales; ita etiam superioribus quædam sunt reseruata in signũ suæ superioritatis argumento ca. 4. de off. lega. & c. graue nimis de præben. cum adnot. in dictis locis. Et cum quæstio, de qua agimus sit grauis, vt diximus, ideò conuenientius est illam superioribus esse riseruatam alijs verò denegatam, & succesiuè ab eisdem esse cognoscẽdam, & definiendam. Et cũ per hæc omnia habeamus quomodo in contrarium supra adducta possint, & debeant ad inuicem conciliari, ideo non oportet vlteriùs procedere.

Quando sit litigandum, & quæstio proposita definienda.

Art. 7.

Litigare etiam in proposita materia videtur esse in arbitrio prætendentium præcedentiam iuxta l. 1. C. vt nemo inuit. age. & propterea non videtur necessariũ aliquid adnotare de proposito articulo. In contrarium tamen facit talis ratio, quod præsuposita cõtrouersia de præcedentia, si illa intra certum tẽpus cognosceretur, & definiretur, seu illius vsus præscriberetur ad similitudinem aliarum rerum spiritualium, inde oriretur in Rep. maxima vtilitas, cum in ea homines pacificè viuere debeant iux. l. congruit. ff. de off. præsid. Et propterea legimus lites restringẽdas, l. properandum C. de iudic. c. finẽ, & c. fi. de dol. & cõtu. Pro solutione est animaduertẽdum ex quo capite illa sit desumenda, placet igitur eam desumere aut ex parte litigãtiũ; & de præcedentia contendentium, aut ex parte iudicis. Primo modo tenenda est regula, quæ habetur in d. l. 1. idque ea ratione, quia. vnusquisque renunciare potest iuri suo iux. l. pen. C. de pact. & sic erit in arbitrio cuiuslibet etiam in materia proposita litigare. Nec obstat si ex aduerso replicetur, quod quis renunciando tali iuri tacitè, vel expressè, videtur etiã re-

renunciare suo honori, quod secundum vnam opinionem nō est admittendū iux. ea, quæ diximus supra q. 11. art. 11. Ad hoc enim respondetur secundum alteram opinionem obiectionem non obstare. Quæ autem de prædictis opinionibus sit sequēda non est præsentis loci adnotare, sed me remitto ad ea, quæ ibi diximus. Nec obstat argumētum supra in contrarium adductum, cum illud teneat secundum vnam opinionem. Rursus, quamuis præcedentia præsupponat honorem, non tamen præsuponit illum formaliter, & propterea ille, qui cedit alteri certum locum, non dicitur priuatus honore. Confirmatur, quia talis cessio aliquando est actus virtutis. Hinc videmus homines virtuosè viuentes sæpe inter se studiosè contendere, cum vnus velit cedere alteri, & versa vice alter sibi. Vnde puto concludendum non esse recedendum à dicta regula, quæ posset limitari: primo iux. decis. Boer. 255. secundo si ille intendat euitare præscriptionem, de qua non est præsentis loci pertractare: tertio limitari posset iux. l. 1. C. quando li. vnicuique se vendi. Et ita ex omnibus his habemus solutionem ad articulū ex hoc capite. Secundo ex parte iudicis dicimus duo esse consideranda tempora, videlicet continuum, & vtile. Continuum est illud, quod continuo fluit. Vtile verò est illud, in quo iudex ius dicit. Doct. in l. more Romano, de fer. & in c. fi. eod. & de vtroque habemus tract. Bard. Senen. Hoc præmisso solutio articuli videtur de se clara, cum non liceat litigare, nisi in d. tempore vtili, quia sicut in alio, quod etiam feriatū nominatur, officium iudicis conquiescit; ita etiam litigantes debēt a strepitu iudicij cessare, & multò minus litem incohare. Quæ quidem solutio posit limitari, quia sicut per iudicem aliquando intelligitur etiā arbiter; ita quoque coram arbitro pōt prædicta controuersia cognosci, & definiri, & sic in quolibet tempore, cum notorij sit iuris compromissum recipere formam a voluntate contrahentium, vt diximus supra art. 1. Licèt autem multa hic addi possint, ista tamen videntur satis iuxta propositū institutum.

Vbi istud iudicium fieri debeat.

Art. 8.

IN lib. 3. Cod. habentur plures, ac diuersi tituli, atque insuper leges, in quibus deciditur vbi de certis causis in eis adnotatis agi debeat. Inter quos placet obseruare titulos illos, videlicet vbi causa status, & vbi quis de curiali. Ex quibus puto inferendum, quòd sicut de causa status eo in loco agi debet, vbi illa occurrit; ita etiam hoc idem videtur dicēdum de quæstione præcedentiæ. Hinc est, quòd fuit mihi relatum in Vrbe anno Iubilei ortas esse diuersas de præcedētia cōtrouersias inter nobiles Neapolitanos, quæ sicut ortæ sunt in Vrbe; ita quoque in eodem loco sunt cognitæ, & definitæ. Causa autem talis decisionis illa fortasse fuit, quia præsuposita controuersia erat necessarium eam statim definire, ne ob dilationem illius aliqua pars grauaret. Hinc etiam videmus in Concilijs, & alijs

alijs hominum congregationibus, in quibus sæpè occurrunt similes controuersiæ, ibidem statim illæ cognoscuntur, & definiuntur: vnde vltra doct.in d.titulo hæc solutio pōt confirmari, quia quæstio de præcedentia videtur esse ad similitudinē quæstionis relatæ, & propterea sicut forum contrahitur inter alias causas; aliquando ratione rei, de qua est futura lis.c.fin. & ibi doct. de for. comper. vbi præcipuè Abb.l.1.vbi de posses. l.1.C.vbi in rem actio.l.1.C. vbi de hæredi.cum simil.ita etiam quæst. de præcedentia ibi debet cognosci, & definiri, vbi illa oritur.Et sic articulus remanet(ni fallor)satis clarè solutus: si quis tamē circa illum plura videre cupiat, videat doct. in citatis locis.

Quæ exceptiones admittantur in proposito iudicio. Art.9.

DIximus in compendio introductorio iuris ciuilis; lect. 11. ex quo capite exceptiones desumi valeant, vnde non est necessarium illa in præsenti repetere, sed solùm conuenit adnotare id, quòd facere pōt ad rem propositam, vnde disputatione omissa puto animaduertendum exceptiones dupliciter esse considerandas. Primo respectu istius iudicij. Secundo respectu causæ eiusdē. Primo modo satis est adnotare. §.Fit tamen cum sequen.insti.cano.de in ius voc.vbi legimus iudicium non subsistere. Aliqñ ex parte iudicis; quia est incōpetens. Aliqñ ex parte litigantiū, quoniam non habent personam legitimam standi in iudicio. Aliquando ex parte citationis, quia illa non est legitimè facta. aliquando ex parte loci, vel temporis, quoniam clari est iuris, & facti non in quolibet loco, nec in quolibet tempore ius esse reddendum, & ita intelligimus, quæ, & quales exceptiones opponi valeāt in isto iudicio, de quo agimus ex parte eius. At secundo respectu similiter diuersæ opponi possunt exceptiones. Siquidem animaduertere debemus, quòd præcedentia, de qua orta esset quæstio aliquando alicui denegatur ex quo ius commune sibi resistit, arg.c.1.de præscript.in 6. Idque contingit si exempli gratia ille vellet præcedere ratione dignitatis, & de iure non esset talis, vt est dignitas coadiutoriæ, quæ secundum canonēs non videtur dignitas, sed dato, quòd competat sæpè tamen occurrit, vt non competat in tali loco, seu tempore, seu tali modo. Et ratio est, quia demonstrauimus supra q.4.artic.4.in materia de præcedentia considerari distinctionem rationis, & propterea licèt quis debeat præcedere ob cumulum diuersarum causarum præcedentiæ. Si tamen contingat illum reperiri in tali loco, seu tempore respectu vnius causæ tantum, sicut reliquæ silent, & sic nil dicuntur operari; ita quoque deberet in tali casu potius cedere, quàm præcedere, vt ibi diximus. Ex quibus habemus intelligentiā exceptionis, quæ quoad merita causæ istius iudicij opponi deberet. Et propterea a simili hoc idem est dicendum in alia eiusdem præcedentiæ quæstione, idque confirmari potest argumen.iuris agendi. Sicut enim qui agit debet succumbere, vel quia sibi non competit actio

agendi, aut quoniam non fuit legitimè intentata, & proposita, vt passim nos docent doctores. Maran. in suo specul iudic. p. 5. scribentes in c. examinata de iudic. Couarr. in lib. 1. var. resol. c. 1. & Ioseph Ludo. in sua cõmuni conclus. 50. ita etiam hoc idem est dicendum de exceptione. Et propterea sententia esset ferenda aliquãdo condemnatoria, aliquando absolutoria, & aliquando ab obseruatione iudicij, idq; contingeret, quia posset competere ius agendi, & non ius excipiendi. Aliquando verò è cõtra. Et ita per hæc (ni fallor) habemus solutionem ad articulum.

Quomodo probetur præcedentia, eiusq; quæstio. Art. 10.

QVoniam quæ sunt facti debent in facto cognosci, & definiri; Hinc est, quod non videtur possibile, vt in præsenti de re proposita possit aliquid adnotari, cùm tractatus iste respiciat potius theoricam quam practicam, vt diximus supra q. 12. In cõtrarium verius est de iure respondendum, & propterea iura, & doctores docent diuersos modos probandi. Vnde, vt breuiter hic aliquid adnotemus non est imprimis ignorandum controuersiam de præcedentia dupliciter considerari, primo quoad factum: secundo quoad ius. Primo modo oportet distinctè narrare seriem facti iuxta c. dilecti, de iudi. facit etiã text. in capit. super eo, de cohabi. cleri. Itẽ omnes eiusdem facti circumstantias, & accidentia argumento eorum, quæ nos docent doct. in cap. super litteris de rescript. & nos diximus in nostro tractat. de subreptione Rescriptorum; præcipuè autem illa capita narrari debent ex quibus quis præcedentiam prætendit. Quæ omnia sic distinctè; & per capita explicata, cum in facto consistant, debent postea probari per testes, per instrumenta, & per coniecturas secundum qualitatem casus cõtingentis: ad hæc enim capita probatio in re proposita reduci potest, de quibus non oportet hic aliquid specificè adnotare, cum de eis copiosè pertractent doct. in rub. de probat. & hodie Mascard. in suo vtilissimo tracta. eod. de probat. Vnum tamen non est omittendum, quod hæc probatio aliquando est facienda de re antiqua, vnde in tali casu etiam quælibet monumenta dicuntur probare iux. tex. in c. cum causã, & ibi doct. eod. Quando autem hæc probatio fieri debeat non videtur necessarium hic aliter definire. Est tamẽ admodum vtile scire prædicta omnia esse probanda ante inceptum iudicium ad perpetuam memoriã iux. tex. in ca. quoniam frequenter, & ibi doct. vt lit. non contest. ca. significauit, & c. Albericus, de testib. & ibi similiter scribentes. Quamuis autem hæc decisio indifferenter locum non habeat, quando tamen ad huiusmodi cautelam sit recurrendum ex doctoribus super dictis iuribus sciri debet. At si hæc probatio sit facienda post litem incohatam sine dubio iuxta telã iudicij, & sic in termino probatorio debent produci articuli, & testes insuper examinari, & successiuè, quoad factum attinet, sub huiusmodi forma oportet procedere, nũc quoad ius spectat non videtur possibile

bile aliquid posse adnotari, cum illud varietur ad varietatem facti iux. l. vt responsum. C. de transact. Gigas in cons. 1. in princ. cum vulg. Vnde diligens debet esse iurisperitus, vt ex cognitione facti intelligere valeat, quod nam ius, & quæ doctrina competant. Cum illud definire debeat nõ per regulas generales, sed specificas, siquidem officium doctorelli est procedere per regulas generales; prudentis verò doctoris per doctrinas speciales, vt docet Felin. relatus etiam a Thoma Treuisano in præfatione suarum decisionum. Atque hæc de probatione videntur satis, quoad articulum, & institutum propositum attinet.

An iudicium de præcedentia admittat appellationem. *Art.* 11.

Lanfrancus in sua repetitione ad c. quoniam contra de probat. §. de interloquut. & appella. numero 120. & seq. quærit in qua causa detur appellatio atque soluendo dicit illam in qualibet dari, nisi expresse prohibeatur, & propterea refert plures casus, in quibus legitur prohibita. Ex qua quidem doctrina inferri potest in casu nostro eam esse potius admittendam, quam reiciendam, cum nullibi reperiatur prohibita, vt hactenus obseruare valui eoq; magis, quo etiã in materia proposita verificari potest causa, propter quam appellatio introducta fuit, de qua in l. 1. ff. de appel. c. suggestum, eod. cum simil. Cæterum melius distinguẽdo clarior apparebit ad articulum solutio. Vnde dicimus, quod si istud iudicium fuerit petitorium, seu mixtum, puto illam doctrinam esse omninò sequendam per deducta, quæ posset limitari secũdum qualitatem iudicis, qui de præcedentia cognouerit, & iudicauerit, cum clari sit iuris quosdam iudices, esse in iure adeò priuilegiatos, vt ab eorum sententijs non detur appellatio, iux. l. a proconsulibus, & ibi Sali. & alij. C. eod. At si prædictum iudicium fuerit possessorium oppositum existimo tenendum iuxt. l. 1. C. si de moment. poss. Hæc autem conclusio similiter aliquando limitatur, prout plures limitationes adnotat, et copiosè declarat Conrard. in sua repet. super eadẽ l. Ad quam semper esset recurrendũ in contingentia facti. Ad hæc omnia addi potest, quod cum effectus appellationis sit suspensiuus, & deuolutiuus, vt communiter nos docent doct. in rub. eiusd. tit. de appell. Hinc est, quòd quando appellatio non esset admittenda intelligi debet quoad effectum suspensiuum, secus autem quoad effectum deuolutiuum. Et ratio est, quia licèt sententia in tali casu exequi debeat iuxt. clement. 1. de senten. & re iudi. talis tamen executio non potest, nec debet impedire appellationem quoad effectum deuolutiuum iuxta adnotata ibi per doct. idq; confirmari potest, quia sicut debitor potest soluere debitum, & postea illud repetere iux. tex. in c. debitores cum ibi aduot. de iure iur. ita etiam, immò multò magis hoc idem est dicẽdum in casu, de quo agimus, quòd videlicet sententia super præcedentia lata exequatur, & postea beneficio appellationis eadem causa melius

ſius cognoſcatur, atq; ſi opus fuerit præd.ſententia moderetur, vel reuocetur,prout iuris fuerit.

Quomodo ſententia lata in isto iudicio ſit exequenda. Artic. 12. & vlt.

HOc præmiſſo, quòd ſententia lata ſuper præcedētia ſit omnino exequenda,ex quo præſuponitur tranſiſſe in iudicatum arg. totius tituli de execut. rei iudi.in C. Dubium eſt quomodo illa exequi debeat. Ratio autē eſt, quia ad ipſam executionem requiritur ſententiæ, ſeu inſtrumenti liquidatio Surd. in ſua deciſ. 27. Senat.Pedemont. in ſua antiq.deciſ.129. & Soc. ſen. conſ. 51. num. 5.vol.1.In contrariū verò facit qualitas iudicij,ſiquidem præcedētis poſtquam definitum fuerit illam competere non videtur requirere aliam liquidationem, cum quæſtio de ea in eo ſolum fortaſſe conſiſtat,vt cognoſcatur,an competat ſicuti apparet ex deductis in præcedentibus quæſtionibus. Pro ſolutione puto obſeruandum,quòd cum præcedentia cōſideretur hic moraliter, conſequenter dependet ab omnibus ſuis circūſtantijs, vt ſupra ſæpè diximus. Vnde ſicut ſecundum illas debet cognoſci,& definiri quid iuris;ita quoque debet aliquid liquidari. Quibus adde, quòd executio duplex reperitur, vna enim dicitur executio iuris, & propterea datur iudicium executiuum, de quo cæteris omiſsis videndus eſt Maran. in d.ſuo Specul.p. 6.titu. de execut. Sent. Et Papien.in ſua pract. in proprio libello. Altera verò dicitur executio facti, & eſt quando quis capit corporalē poſseſsionē, vel quaſi rei petitæ, & iudicatæ. Quoad primum videndum eſt quid iuris in iudicio executiuo. Quoad executionē verò facti adnotandus eſt Bart.in l. ab executore ff. de appella.vbi quærit quid iuris,ſi executor excedat in exequendo fines mandati. Vnde,vt omnia cōcludamus ſententia aliquando non eſt exequēda,quia ab ea fuit interpoſita appellatio iuxta ea, quæ diximus ſupra in præcedenti articulo. Aliquādo verò omnino exequi debet, ex quo appellatio aut non fuit interpoſita,aut non debebat appellari, & propterea fuit reiecta. Et tunc aliquando eſt exequenda ſimpliciter,aliquando verò requirit aliquam liquidationē, quæ fieri poteſt ante,& poſt executionem datam,vt ad litteram docet Senat. Pedem. in d. ſua deciſ. atque Soc.in d. ſuo conſ. cum ibi adduct. Hæc oīa ſunt quæ iudicaui animaduertēda in iſta veili, frequēti, & qua ſi neceſſaria materia de præcedētia. In cuius explicatione ſi aliquid boni adnotauimus, Deo detur gloria; ſi quid autē imperfectionis in ea reperiat debili ingenio,ac doctrinæ aſcribat. Intētio.n. mea fuit illa rem propoſitam declarare ad laudem Dei,& vtilitatem proximi. Et propterea in quolibet articulo me ſubmitto meliori,ſaniori,pio,ac prudēti iudicio, præcipuè autem correctioni S. Matris Eccleſiæ, cum illius ſit propriū, vt non poſsit errare.

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

Quæst.1 art.2.col.1 pag.3.assignat tum, corrige tamen. d.q.art.4.pag.6.in fin.col.Franc Piccolomin.corrige Alexander. d.q.art.7.pag.10. in ver. hono. corrige honor. d.q ar.10.pag 13.col.2.in fi.tam quibus,tam etiam,corrige tum quibus, tum etiam. d.q ar.12.pag.16.in prin.obligant vtriq; , corrige vtique. q.2.ar.1.pag. 27 eam significare, corrig.eum. d.q ar.& pag. aduicem recte, corrig.adinuicem. d.q ar 4. pag.29. col.1. 2.q.9. corrig.90. d.q.ar.6. pag.31. tenetur seruari, corrige seruare. ead q.ar.& pag.l prolatam.C.de sñijs, & interloc adde damnat sententiam ordine iudicij non seruato. d.q.2.art. 11. pag. 35 in prin articulendi,corrig.articuli: q.3.ar.5.pag.42.col.2 quæstio 1.corrig. quæst.2. d q ar.7.pag.45.col.2.quia diuersitate corrige diuersitatem d.q. art. 8.pag 47 a quâ dare corrig.dari. d q art.17 in prin.pag. 55. per vnum earum, corrig.per vsum. d.q.ar.vlt pag 60.ad l 5.corrig.ad l.1. ibid.prædictus metrû, corrig.prædictum q 4.ar in prin.pag 60.dignitatis corrig dignitates. d.q.art. 4. pag.66 col.1.in fi.declarati debeat corrig.declarari. d q.art.6.pag 69.col. 2.eo constitutione corrig constitutis.q.4 pag.80.81.corrig.70.71. d.q ar.8.pag.72. col 2.in prin.a causis præcedendi adde alterius. d.q.ar.9 pag.73.in fin.vulg. veris.corrig.iuris. q 5.ar.2.pag.77 col 1.nobilitate aliquid corrig. nobilitati ibid. nec esse sint æquales dele sint. q.6.ar.3.pag.84 col.1.in princ. perfectionem altera corrig. perfectiorem. d.q art.5.pag.55 col. 2.in princ. quod licet effectus corrig quod sicut. q.7.ar.2.pag.97.col.1 in prin Medin.in suo tract.corrig.Molin. d q ar.7.pag.106.a nomine corrig.a nemine,& pag.107.col. 1. diuersitas indicium corrig.iudicum.d.q ar.8.pag.109.col.1.in fin.non videtur propterea adde aliud necessarium. d q.ar.10.pag.111.col.2.vbi minus est periculum corrig.vbi maius. d q ar.13.pag 118.col.2.quid nam locus sit corrig quitnam. d. q. ar.14 pag.123.col.1.est vniuersas corrig vniuersitas. q.8.ar.1.pag.129.in prin. secundum varietatem corrig secundum veritatem. d.q.& ar pag.130.col.1.nobilitas constitnat corrig.consistat d.q & ar.pag.131.col.2.dicemus nobilitatē corrig dicimus. q.9.ar.5.pag.157.col.2.exercentes artes vtiles; corrig.viles. d.q.& ar.pag.158 col.1.in fin.ita occurrentibus corrig.in d.q.ar.7 pag.162.col. 2. bonorum apositio corrig. appellatio ead. pag.col. 2. & sic est vnius corrig. vnicus. d.q.ar 7.pag.163.obiectum illum corrig.illud. d.q.ar.10.pag.167.col. 2.in fin at si ijsd.milites corrig. ijdem. d q.ar.10.pag.170.col.1.in princ.me tenue doctrina,corrig.mea tenui. d.q.& ar.pag.170.col.1 in fi.conuenientibus, corrig. conuenientius. d q. ar.18 pag.182.in prin.prædictorum, corrig. prædictarum. d.q ar.19.pag 184 col.1.quoad dignitatem corrig. nobilitatem q 10. ar.7.pag 198 col.2.q 7 ar 12.corrig 13 q.12.in prin.pag. 212 proposita materiæ corrig.propositæ.d q ar 1 pag 213.col.1. professores corrig. professoris ead. col.in fi.niuersa accidentia corrig. diuersa. q.13. arr 2.pag.220.col. 2. consistit in maioritatē, corrig.in maioritate, d.q.ar.12.pag.230.col.1.siquidem præcedent.s, corrig.præcedentis siquidem.